





EXERCITIUM PERFECTIONIS, ET VIRTUTUM CHRISTIANARUM,

AUCTORE

R. P. ALPHONSO RODERICIO VALLISOLETANO, SOCIETATIS IESU,

Eiusdem Societatis hominibus dedicatum.

PARS SECUNDA,

IN QUA DE EXERCITIO ALIQUARUM VIRTUTUM, omnibus Deo servire volentibus necessariarum tractatur.

Recenter ex Hispanico Latinè reddebat Matthias Martinez.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Sumptibus IOHANNIS ANTONII KINCKII

Sub Monocerote.

ANNO M. DC. LVII.

TRACTATVS, QVI HAC SECVNDA PARTE CONTINENTVR.

AD

AD LECTOREM.

Primaria quidem mea isthoc in opere, intentio fuit Religiosæ vitæ sectatoribus commodare ac prodesse; ipsum tamen ita dispositum est, ut omni hominum virtutis studio sese applicantium generi magnæ sit utilitatis futurum, quemadmodum in prima parte dictum est. Et certè, secunda hæc pars speciali quodam modo, est ad sæcularium sincerè, & ex animo Deo servire volentium, commodum utilitatemq; egregiè accommodata. Hi enim, si rem rectè attendere velimus, instar industriorum agricolarum, ante omnia cordis sui terram debent mortificationis passionum & appetituum inordinatorum vomere proscindere, subigere, & arare linguam ac reliquos sensus singulari quodam modo refrenando, seque coram Deo profundè humiliando, quo tandem optatum boni seminis, quod in illam terram jacietur, bonorum inquam operum, fructum colligant. Atque ideo in tribus prioribus Tractatibus agimus de Mortificatione, Modestia, Silentioq;, & Humilitate; quod illæ sint virtutes, quibus Christianus jam inde à conversionis suæ initio potissimùm applicare & exercere debet. Et quoniam nos Spiritus sanctus monet & consulit, ut, cum ad servitutem Dei primùm accedimus, jugi in timore vivamus, nosque ad tentationes excipiendas disponamus: Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justititia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem: *hinc in quarto tractatu disseritur de bonis & fructibus quæ è tentationibus consequuntur, simulque earumdem superandarum modos ac media suggerimus. In quinto autem & sexto nonnulla tradimus impedimenta ac remoras, quæ Dei servis hic occurrere solent: simulq; declaramus, quanti referat, insignem eos in virtutis via mentis alacritatem, hilaritatem, gaudiumque præferre: adhæc, mirabiles quosdam effectus in animam eius redundantes qui novit, quem thesaurum & quàm ingentia bona in Redemptore nostro Christo ac sacra illius passione possideamus. Qua de re in septimo tractatu disseritur: ubi simul modus traditur, in sublimium horum mysteriorum meditatione nobis servandus; fructus item: qui ex iisdem colligendus. Denique, pro secundæ huius partis conclusione, docetur, quo nos ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumendum modo disponere debeamus, & aliquem è sacra communione fructum capere. Quæ singula ad praxin quàm accommodatissimè tractantur, ut sic melius quisque illa pro vitæ suæ statu, opere exequi, & reipsa practicare possit. Atq; hoc præcipuè in hoc libro conscribendo spectavi & intendi. Benignè ergo Christianus Lector exiguum hunc laborem meum suscipiat: cuius operâ, simulq; boni alicuius desiderii, à Deo promoti, ope fiet, ut de effrenibus passionibus suis victoriam referat, & quamdam in verbis circumspectionem, in actionibus omnibus modestiam, in tentationibus consolationem ac remedium, ingentem in Christo Iesu thesaurum, notabilem in suo spirituali secessu atq; animi collectione devotionem, singularem deniq; in anima sua fructum consequatur.*

Eccli. 2. 1.

Alphonsus Rodericius.





TRACTATVS PRIMVS,

DE MORTIFICATIONE.

CAPVT PRIMVM.

Mortificatio cum oratione conjungi, unaque alteri invicem opitulari debet.

Tob.11.8. Iejuniū quid significet.



1. Bona est oratio cum jeiunio, dixit Angelus Raphael Tobiæ, cùm se illi, quis esset, detexit. Iejunii verò nomine sancti Patres hoc loco, & ut plurimum, omne genus pœnitentiæ mortificationisque carnis intelligunt. Hæc porro duo, mortificatio nimirum & oratio, duo sunt de præcipuis, quæ ad proficiendum in spiritu habemus, mediis, quæ sibi mutuo semper conjungi, nec ab invicem umquam disiungi debent, sed unum alteri indissolubiliter sociari.

Alvar. de Paz. tom. 2. l 2. p. 1. c. 11.

2. S. Bernardus in illa Canticorum scribens verba, *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris?* ait per myrrham optimè mortificationem, per thus orationem designari; hæcque duo semper & ubique nos comitari, ad usque ipsum perfectionis fastigium evehere, bonamque ad Dei nares à nobis fragrantiam emittere debere: adhæc, unam sine altera parum, aut certè nihil, prodesse: Si quis enim carnem quidèm mortificare nitatur, in orationem tamen nō incumbat, eamque negligat; in superbiam efferetur, & evanescet: cui proinde meritò illud Prophetæ dicatur: *Nunquid ego Deus manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Neque enim hæc sacrificia carnium & sanguinis sola, sive ex se, Deo opt. max. placent. Contrà, si quis mortificatione sui neglectâ, totum orationi se dedat, audiet illud Christi in Evangelio exprobrantis: *Quid*

Ser. 59. ex parvis alias Gilbert. ser. 15. in Cāt.

Cant. 3. 6. Myrrha mortificationis, thus orationis est symbolum.

Psal. 49.

Mortificatio optima ad orationem dispositio. Simile.

Luc. 6. 46.

Quid vocatis me Domine, Domine, & non facitis quæ dico? nec non illud sapientis:

Prov. 28.

Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio ejus erit execrabilis. Numquam enim Deo tua placebit oratio, nisi quod ipse jubet faciendum, opere exequaris.

Serm. 255. de Tempo.

Altare duplex orationis in corde, mortificationis in corpore.

3. Quare præclarè S. Augustinus: *In templo*, ait, *Salomonico duo erecta erant altaria; unum in atrio exteriori, super quod animalia immolanda mactabantur & cremabantur; alterum in Sancto super quod thymiama è variis odoramentis compositum adolebatur: pari modo duplex nos altare habere oportet; unum quidem in corde, super quod orationis thymiama adoleatur & incendatur, juxta illud Salvatoris monitum, Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito. Alterum externum, in corpore scilicet, ipsam, inquam mortificationem. Adeò ut hæc duo semper conjungi, & velut sorores, numquam ab invicem disjungi debebant; sed una ab altera juvari.* Mortificatio enim, necessaria quædam est ad orationem dispositio; & oratio vice versa optima perfectæ mortificationis obtinendæ ratio.

Matt. 6. 6.

Mortificatio optima ad orationem dispositio. Simile.

4. Quod autem mortificatio, optima sit ad orationem dispositio, nec non necessarium ejus peragendæ medium, unâ omnes Sancti Patres ac vitæ spiritualis magistri voce testantur, docentque, quemadmodum in membrana pergamena nulla commodè littera exarari potest, nisi ea admodum lævis sit, & à carne, à grossitie penitus disjuncta: pari ratione animam nostram, nisi ab effectionibus, quæ à carne subnasci solent, prorsus libera & sequestrata sit, dispositam & aptam non esse, ut suam Deus sapientiam donaque divina ei inscribat atque inprimat. Unde Isaias Propheta interrogat: *Quem docebit Deus sapientiam suam? & quem intelligere faciet auditum?* cui dabit intelligentiam, ad mysteriorũ suorũ arcana penetranda? respondet: *Ablactatos à lacte, avulsos ab uberibus*; eos nimirũ, qui se, illius ex amore, à mundi deliciis ac voluptatibus, atque à carnalibus appetitionibus desideriisque, quæ militant adversus animam, abstrahent ac divellent. Ut enim Deus animam nostram ingrediatur, plena eam priùs in pace & quiete agere, summaque tranquillitate potiri vult: Nimirum *factus est in pace locus ejus.*

Isaia 28. 9.

Ps. 75. 3.

Sapientiam cõciliat quietudo, quã passiones turbant.

5. Non latuit ea res etiam priscos Philosophos: qui uno omnes ore docent, tum demum animam hominis sapientem fieri, cum quiescit, ac monitionis omnis expers est: tum vero illa quiescere dicitur, cùm passiones & appetitus sensuales in ea jam subacti, mortificati & quieti sunt: tunc quippè nullæ ibi vehementes passiones sunt, quæ, inordinatis & effrænibus suis motibus, pacem ejus interturbent, rationisque oculos perspicacitatemque offuscent; uti tum pacem interturbare, & rationem exoculare passiones solent, cùm vividæ sunt & vigent. Earum namque proprium est, rationis lumen eripere, arbitriique nostri libertatem valdè atterere & imminuere: uti videre est in homine jam irato, quem ira omni judicio spoliasse, adeoque lym-

phato, furenti ac phrænetico similem reddidisse videtur. Quem si postea sibi redditum interroges. Cur hoc illudvé dixerit aut fecerit; respondebit,se sui impotem, nec sibi præsentem fuisse. Verùm cùm passiones jam mortificatæ subactæq; sunt, intellectus primùm clarus limpidusque est, ad id quod bonum est cognoscendum, voluntas dein libera, ad bonum cognitum amplectendum dispoſita est,& hac ratione homo sibi sapientiam simul & virtutem comparat.

Hæc Pax opus est justitiæ, & Dei.

6. Hanc ergo pacem ac quietudinem etiam DEUS requirit, ad in anima habitandum, sapientiamque suam donaque cœlestia in eamdem infundenda: hujus autem pacis consequendæ ratio, est passionum nostrarum inordinatarumque affectionum mortificatio: ac propterea etiam Isaias illam justitiæ fructum & effectum nominat, dicens, *Et erit opus justitiæ, pax.* Egregiè hoc declarat S. Augustinus super illa Psalmographi verba, *Iustitia & pax osculatæ sunt*, aitque: *Fac justitiam, & habebis pacem, ut osculentur se justitia & pax. Si non amaveris justitiam, pacem non habebis, quia duæ amicæ sunt justitia & pax, ipsæ se osculantur: si amicam justitiam non amaveris, non te amabit ipsa pax, nec veniet ad te.*

Isa. 32. 17. S. August. Ps. 84. 11.

Per bellum pax paratur.

7. Bello paratur pax: unde nisi tibi ipse bellum inferas, cupiditates tuas & passiones mortificando, tibi resistendo, adversando, teque exsupetando, pacem hanc orationi habendæ adeò necessariam neutiquam consequeris. *Quis te*, ait ille vir sanctus: *magis impedit & molestat, quàm tua immortificata affectio cordis?* Etenim passiones, appetitus, & pravæ propensiones, quas habes, te inquietant, ac quo minùs orationi te applices, impediunt, & in ea te turbant, hæc tantum in anima strepitum ac tumultum cient, ut te à suavi hoc somno identidem excitent, aut, ut rectiùs dicam, in eum te ingredi, in eoque quietem habere non permittant.

A Kempis de Imitatione Christi lib. 1. c. 3.

Passiones animæ pacem perturbant & orationem.

8. Cùm quis æquo largiùs cœnavit, de nocte nec somnum, nec quietem capere potest: etenim cruditas stomachi, crassique illi ciborum vapores sursum ascendentes, ita eum inquietant & vexant, ut illum tota nocte identidem in omnem partem se versare ac reversare, nullâ inventâ quiete, compellant. Idipsum & in oratione usu venit. Habemus quippè cor admodum grave & onustum: nam nimius nostri ipsorum amor, appetitibus satisfaciendi affectus, honoris æstimationisque ab aliis accedentis studium, magnum quoque desiderium, ut voluntati nostræ omnibus in rebus mos geratur, usque adeò cor perturbant, talesque vapores sursum ejaculantur, & tales ac tam varias figuras, chimæras, imaginationesque menti repræsentant, ut cor in DEO colligere, in eoque defixum habere minimè patiantur. Atque hoc in sensu exponitur communiter illud Servatoris JESU in Evangelio monitum: *Attendite vobis, ne fortè graventur corda vestra crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ*; nimirum, ut non tantùm de ebrietate

Luc. 21. 34.

tate

tate à vino consequi solita intelligatur, sed & de ea, quæ ab aliis mundi hujus rebus per affectionem exoritur.

Isa.51.21 Mortificatio hominem sublimat.

9. Huic consonat quoq; illud Prophetæ Isaiæ: *Audi hoc paupercula, & ebria nō à vino.* E corde n. immortificato obscura tetraq; quædam ascendit nebula, quæ DEI in anima nostra præsentiam impedit, aut etiam penitus submovet. Atque hoc insinuare vult Apostolus, dum ait, *animalis autem* seu carnalis *homo nō percipit ea quæ sunt spiritus Dei*: hæc enim sunt valdè subtilia, ipse verò spissæ materiæ admodum implicitus, & crassus est, ideoq; per mortificationē se ab ea expedire, & subtiliorē reddere debet.

1. Cor. 2. Passiones animæ pacem perturbant & orationem.

Cur oratio hominibus sit molesta.

10. Atq; hinc facilè patebit solutio dubitationis & quæstionis cujusdam notabilis, ecquæ nimirum causa sit, cur oratio, cùm una ex parte adeò sit suavis, jucunda, & sapida, (orare n. est agere & tractare cū DEO, cujus conversatio es commercium nullam adducit vel amaritiem, vel nauseam, vel tædium; sed magnam suavitatem & jucunditatem: *Non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam & gaudium*) ex alia parte adeo nobis utilis ac necessaria; ipsa nihilominus nobis tam gravis ac laboriosa videatur, ac cur tanta cum difficultate ad eam adeamus, cur etiam tam pauci orationis studiosi inveniantur? ut Sancto Bonaventura teste, *quasi ligati catuli ad stipitem, renitenti animo in divinis esse cogamur.* Cujus rei alia causa non est, quàm ea quam dicimus: oratio quippè ex se gravis ac difficilis non est, sed gravis existit mortificatio, quæ necessaria ad eam est dispositio: qua quoniam caremus, hinc oratio nobis tam gravis & laboriosa evadit.

Sap 8,16.

Lib. 1. de profect. Religios. c.16.

Dispositio ad formam est laboriosior ejus introductione.

11. Quod ipsum & quotidiè in rebus naturalibus videre est: neque enim formæ alicujus in subjectum introductio per se difficilis est, sed ipsa subjecti ad dictam introductionem suscipiendam dispositio ac præparatio. Exemplo sit lignum viride & humidum: qua enim nō vi ignis connititur, ad humorem viroremque illum ab eo expellendum! quis non fumus exsurgit! quantum temporis impenditur ad ipsum igni concipiendo disponendum? at, illo jam disposito, ignis in momento illud, velut proprium domicilium, citra ullam difficultatem subingreditur. Pari ratione in præsenti materia usu venit: omnis quippe molestia & labor in passionum nostrarum viriditate auferenda, in inordinatis appetitionibus mortificandis, in cordis à rebus terrenis avulsione & sequestratione cōsistit. Hoc enim facto, anima quā facillimè ac celerrimè ad Deum se conferet, atq; insignem è commercio ac conversatione cum ipso voluptatem percipiet. Quisq; cum sibi similibus agere & conversari gaudet. Maximè verò utilibus & commoda magna afferentibus.

Arist. 1. Rhetoric.

Mortificatas spiritualis est effectus.

12. Proinde quisquis suas passiones mortificavit, utpotè jam spiritualis, Deoq; similis redditus, magnā mortificationis adminiculo, è Dei cōsortio & conversatione voluptatem percipit; uti & Deo vicissim cum tali homini agere & tractare volupe est. *De-*

litiæ

licia mea esse cum filiis hominum. At cum quis passionibus & inordinatis appetitib. adhuc scatet, honoris vani & æstimationis hominum plus æquo appetẽs est, affectiunculâ aliquò propendet, recreationibus ac deliciis vanis capitur, hic permagnã in conversatione & tractatione cum Deo difficultatem ac nauseã sentit (quod conditione multùm ab eo differat) cumque sui similibus de rebus terrenis ac sæcularibus agerere gaudet. *Facti sunt abominabiles sicut ea qui dilexerunt.*

Prov. 8. 31.

Osee 9. 10.

Simili declaratur, quod cor mũdum cõtuetur Deum.

13. Quidam ex antiquis illis Patrib. eremi dicebat: quemadmodũ in aqua turbida faciẽ suã vel aliud quidpiam nemo conspicari potest: sic nec vultũ Dei in oratione contueri, nec Deus ipse ei se videndum exhibebit, nisi cor à terrenis sit affectionibus, à quibus turbatur & inquietatur, expurgatum ac segregatũ, & à vanis atq; impertinentib. solicitudinibus liberũ. *Beati mundo corde, quoniã ipsi Deũ videbunt* Oratio, spiritualis quædã divinorum mysteriorũ & operũ visio est, & sicut ad oculis corporalibus rectè videndũ, eos necesse est limpidos ac mundos habere: Ita ad Dei opera animæ oculis rectè contemplanda, mundũ oportet cor ac purum habere S. Augustinus in supradicta Christi verba sic ait: *Deum videre* & contemplari vis? *prius cogita de corde mundando, & quidquid ibi vides quod Deo displicet, tolle.*

Matt. 5. 8.

Ser. 2. de ascens. Domini qui est 157. de tempore.

14. Abbas Isaac, ut Cassianus testatur, hac illud similitudine declarabat. Dicebat enim animam nostram levissimæ pennæ persimilem esse: si enim hæc humoris extrinseci superventu vitiata aut gravis effecta non fuerit, à quovis etiam tenuissimo flatu adjuta, ad sublimia effertur, & sua quasi mobilitate in auras sustollitur: si verò humoris cujusdam aspergine vel infusione fuerit prægravatæ, non modò in altum non evolabit, sed & ad terram concepti humoris pondere deprimetur. Parimodo si anima nostra pura & munda sit, quàm primùm per suavem & levem considerationis & meditationis æstum ad Deum ascendit & sustollitur: at si rebus terrenis adhærescat, iisque afficiatur, si inordinatis passionibus atque appetitibus sit onerata; ita ab iisdem degravatur ac deprimitur, ut eam nec ad cœlestia se sustollere, nec rectè orationi insistere sinãt. Dicebat Abbas Nilus: Si Moyses ad rubum accedere prohibitus fuit, donec calceamenta deposuisset; quomodo ipse ad Deum videndum, cum eoque tractandum & agendum accedere præsumis, rerum mortuarum & periturarum passionibus affectibusque plenus.

Colla. 9. c. 4. Simili declaratur, quod Anima terrenis adhærescens ad Deum nequit ascendere.

De orat. orat. c. 3. in Bibl. SS. Patr. tom. 3.

15. Optimè hanc affectuum passionumque, quam ad orationi vacandum, & cum Deo tractandum, nos habere oportet, pacem ac quietem declarat historia illa quam libro quarto Regum legimus. Cùm enim Joram rex Israel, Josaphat rex Juda, & rex Edom egrederentur ad cum Rege Moab confligendum, & per solitudinem copias ducerent, aquarum laborare penuria cœperunt, unde universus propè exercitus siti periit. Quare ad Prophetam Eliseum, quid facto opus esset, consulendum abeunt. Quem rex Israel, qui impius & ido-

Exemplum, quod passionũ quies requiratur ad orandũ benè. 4. Reg. 3. 13.

& idololatra erat, sic alloquitur: Quid oro est, *quare congregavit Dominus tres reges hos, ut traderet eos in manus Moab?* cui respondit Elisæus: *Quid mihi & tibi est? vade ad Prophetas patris tui, & matris tuæ. Vivit Dominus, in cujus conspectu sto, quod si non vultum Iosaphat regis erubescerem, non attendissem quidem te, nec respexissem, nunc autem adducite mihi psaltem.* Reprehendit illum Propheta sancto quodam zelo & ardore, peccata ac idololatriam ei in faciem exprobans, atque ita passione quadam corpus commoverat, uti anima ejus zelo Dei erat commota: tamen in gratiam pii & sancti Regis Josaphat, voluit illis beneficium, quod illa in expeditione ipsis Deus collaturus erat, aperire; nimirum, aquam in abundantia quamprimum subministrando, deinde luculentam ex hoste victoriam concedendo. Quia tamen Propheta per hunc zelum & animositatem, tametsi sanctum, nonnihil turbatus fuerat, ut se hac à turbatione & inquietudine expediret, mentemque serenaret, sicque à Deo responsum acciperet, adduci sibi psaltem jussit, qui cùm cecinisset, mente jam serenatâ, & ad quietem compositâ, enarrare cœpit mirabilia, quæ ipsis erat Deus Opt. Max. præstiturus. Porrò, si etiam post bonam & sanctam turbatiunculam, qua commotus fuerat propheta vir etiam sanctus, mentem ejus prius componi oportuit, ut cum Deo efficaciter tractaret, ejusque responsum acciperet; quid erit de turbatione & inquietudine non sancta, non bona, sed imperfecta, ac mala sentiendum?

16. Quod ad secundum supra in hoc capite num. 3. propositum, attinet, orationem nempè medium esse mortificationis consequendæ, pluribus, cùm de oratione 1. parte tract. 5. ageremus, disseruimus; atq; is potissimus fructus est, quem ex illa nos colligere oportet, unde & S. Patres orationem illam, quæ mortificationem sororem & comitem non habet, suspectam habent. Et meritò: nam quemadmodum ad ferrum elaborandum & aptandum, non sufficit id calore & igne fornacis ductile reddere, nisi & malleorum ictibus identidem tundatur, quò eam, quam volumus, ei formam inducamus: ita satis non est, animum orationis devotionisq; igne emollire, nisi mortificationis malleus accedat, ad eum debitè efformandum, ut sic vitiosas ab eo cupiditates amoveamus, & virtutes quibus opus habet, introducamus & imprimamus.

Mortificationis obtinendæ medium optimũ est oratio.

Quod malleus ferro, hoc animæ mortificatio: & quod ignis eidem est id animę oratio.

17. Huc scilicet debet orationis dulcedo, & amoris divini suavitas referri, ad laborem videlicet difficultatemq; quæ in mortificatione occurrit, imminuendam, simulq; ad nos ad voluntatis propriæ abnegationẽm, & vitiosarum inclinationum expugnationem animandos atq; excitandos. Nec antè ab oratione nobis cessandum, quàm divinâ juvante gratiâ, perfectam hanc passionum subactionem ac mortificationem, quo, uti experiẽtia docet, tantopere nobis opus est, quamq; & sancti Patres universi, & divina scriptura tam impensè nobis commendant, consequamur.

Oratio mortificationis asperitatem lenit.

18. D. Augustinus scribens in illa verba

Gaudiũ mortifi-

cati Hominis. q.50. in Genes.

verba Genesis: *Crevit igitur puer, & ablactatus est, fecitque Abraham grande cõviũ in die ablactionis ejus*, quærit, ecquæ sit causa, cur Isaac, filio illo tam sæpè, tamq; solemniter à Deo promisso, à patre tam cupidè desiderato, & in quo omnes omnino gentes erant benedicendæ, jã nato, nullũ in ejus die natali conviviũ, nullumve solemne epulũ institutũ scriptura commemoret; uti nec in die octavo, quo puer hic circũcisus est (qui Hebræis cumprimis erat solennis, uti apud nos est dies baptismatis;) sed posteà, cùm jã ablactatur, cùm jã à matris uberibus absinthii succo inunctis avellitur, cũ plorat quod lacte posthac carere cogatur, tũc à patre Abrahamo festũ epulum ait adornatũ. Ac respondet S. Doctor, id spirituali ac mystico in sensu exponendum esse, ut quæstio proposita solvi possit. Igitur per hoc Spiritus sanctus docere nos vult, tum demũ spirituale festũ & gaudiũ instituendum videri, cùm quis crescat & evadit in virũ perfectũ, nec jam ampliùs de illis est, de quibus pronuntiat Apostolus, *Tamquã parvulus in Christo lac vobis potũ dedi, non escã.* Utq; hoc ipsum specialius nobis adaptem⁹, per factũ hoc edocemur, non tunc Religionem ipsoque superiores (qui patres nostri spirituales sunt) lætari cum Religioni ipse nasceris, id est primùm in illam ingrederis, non cum absoluto novitiatus tempore in eam cooptatis; sed tunc cùm te vident ablactatum, puerum esse desinere, nec jã amplius dulciariis crepundiisq; puerilibus delectari, sed pane solido duroque posse vesci, ac tecum velut cum viro spirituali & planè mortificato jam agi & tractari posse.

Cur epulum institutũ in Isaaci ablactione.

1. Cor. 3. 1.

19. Habet præterea oratio aliã particularẽ cum mortificatione connexionẽ & consanguinitatẽ, quoddam sit ad eã assequendam medium, verùm & ipsa in se sit nõ modica carnis mortificatio. Testatur id Spiritus S. apud Sapientẽ loquens: *Vigilia honesta tis tabefaciet carnes*. Et alibi: *frequens meditatio, carnis afflictio est*. Idẽ symbolicè insinuatur nobis in lucta illa, qua Jacob Patriarcha per totã noctẽ cum Angelo est luctatus, ex qua exinde is mansit claudicãs. Unde etiam experientiâ magistrâ, videmus, eos qui se mentalibus his exercitiis totos impendunt, ut plurimũ debiles, languidos, vultu luridos, & morbidos esse: hæc enim ad instar tacitè cujusdã limæ, corpus debilitãt & attenuãt, carnẽ atterũt, vires & excedentẽ sanitatẽ destruũt. Mortificationẽ ergò omnimodis egregiè promoveri ab oratione, nemo inficias ire deinceps poterit.

Oratio ipsa mortificatio quædam est.

Eccl. 7. 30.

Eccl. 31. 1.

Eccl. 12. 11.

Gen. 32. 22.

Caput II.

In quo sita sit mortificatio, & quantopere ea nobis necessaria.

1 Ut ergò à fundamentis ipsis, & radicibus rẽ exordiamur, antè omnia supponendum est *primò* duas esse in anima partes primarias, quarũ unam Theologi *superiorem Hominem* alterã *inferiorẽ* nuncupãt; sive terminis notioribus rationem & appetitum sensitivum.

Alvarez. Paz. to. 2. l. 2. p. 1. c. 2. & 31.

Duabus partibus constat homo.

2. Et quidẽ, antè lapsum protoplastorum, in beato illo innocentiæ & justitiæ originariæ statu, in quo Deus hominem condiderat, inferior illa pars superiori, ratio appetitui, tamquam

Appetitus in statu innocentiæ rationi parebat.

Post peccatũ secuta rebellio appetitus.

Rom. 7. 19.

Sap. 9. 15.

quam res ignobilior nobiliori, & quasi ancillæ naturalis dominæ suæ perfectissimè subjiciebatur. *Nam fecit Deus hominem rectum:* non verò inordinatum, quales modò sumus. Tunc quippè, citra ullam difficultatem, repugnantiam, contradictionemve, sed magna cū facilitate, ductilitate & suavitate, appetitus rationi, tamquā dominæ, morē gerebat, atq; ipse homo sic creatorē suum diligebat, seq; totū illius obsequio impēdebat, nihil ut ipsum in hoc impediret vel remoraretur. Adhęc adeò tunc appetitus sensitivus rationi parebat, ut nullus ab eo motus, nulla carnalis tentatio posset exsurgere, nisi homine liberè in hoc cōsentiente & volēte. Nulla tunc nos impotenter, uti nūc, tēcasset ira; nulla invidia, nulla gula, nulla luxuria, pravū desiderium nullū, nisi id ipsi propria voluntate habere voluissemus.

Eccl. 7. 30.

Eccl. 31. 1. Eccl. 12. 11.

Gen. 32. in 22.

Post peccatū secuta rebellio appetitus.

3. Verùm eum per peccatum, homo tam ratione & libertate potens nihilominus jam adversus Deum rebellavit, rebellavit & sensitivus appetitus adversus rationem. Hinc illæ miserabiles voces: *Nō quod volo bonū, hoc facio: sed quod nolo malū, hoc ago,* uti dicebat Apostolus. Nā in appetitu sēsitivo, etiā te invito, & volūtate omnimodis repugnāte, excitabuntur jā cōtrarii motus, & affectiones invicē pugnantes. Præterea, si non peccasset homo, corp⁹ ad quodvis opus, q̄ anima exercere decrevisset, ita dispositū & expeditū fuisset, nullū ut in eo impedimentū sensisset: at modò *corpus, quod corrūpitur, aggravat & impedit animā* multis in reb⁹, ad quas alioquin illa se habilē cupidamq; sētit. Secundū vetera statûs innocentis vestigia.

Rom. 7. 19.

Sap. 9. 15.

4. Est igitur in nobis appetitus noster velut equus succussator, qui, dum ei insidemus, membra nostra succussando mirum in modum fatigat, frequenter cespitat, incedens defatigatur & fatiscit, ut etiam ipsum sæpè regere non valeamus, quiq; ad ubram minimam pavidus consternatur, & tum cum maximè nos juvare deberet, sternax humi provolvitur.

5. Estq; id certè factum justissima Dei castigatione ac judicio teste S. Augustino: *Hæc est,* inquit, *pœna inobedienti homini* à Domino *reddita in semetipso,* ut, quia ipse Creatori ac Domino suo obedire detractarit, *ei vicissim non obediatur à semetipso,* neque à carne & appetitu suo, sed continuum in se bellū rebellionemq; perpetiatur.

Iustè permissa à Deo rebellio. *l. 1. contra adver. legis & Prophet. c. 14.*

6. Docent communiter Theologi, præeunte Ven. Bedâ, hominem per peccatum spoliatum fuisse gratuitis, & vulneratum in naturalibus: neque enim solùm privatus est primigenia justitia & gratia, aliisque donis supernaturalibus, quæ receperat, verùm etiam læsus in naturalibus: intellectus enim ad res divinas intelligendas fuit obscuratus, liberum arbitrium debilitatum, voluntas ad bonum faciendum reddita infirma; appetitus verò ad malum patrandum, validus & effrenis; memoria vaga & distracta, imaginatio, tam inquieta & mobilis, ut vix unicam orationē Dominicam cogitatione jugiter in Deū fixa recitare valeamus, quin statim, etiā penè nō sentientibus nobis, velut furtim se nobis subducat, foras prosiliat, per mundum quaqua versum di-

In 1 2. Ven. Beda.

Vnde olim ista rebellio fuisset.

Item Hominis post lapsum miseria.

vagetur, nec conſiſtere valeat: ſenſus prætereà ſunt curioſi, caro immunda, ſpurca & in malum prona. Paucis ut complectar, natura noſtra ita per peccatum ſauciata & convulnerata eſt, ut jam non eat prout antè ſolebat, nec poſſit quòd poterat priùs: ita ut is qui antè peccatum Deum plus quàm ſeipſum diligebat, poſt ipſum, ſe plus diligat quam Deum, ſemperque ſuiipſius amore & affectu laboret, propriæ ſit voluntatis explendæ cupidus, & ad appetitibus ſuis ſatisfaciendum, ac paſſionibus deſideriiſque ſuis, tametſi rationi Deoq; directè adverſantibus, morem gerendum inclinatus.

Culpa nō fomes peccati per baptiſmū non tollitur.

6. Notandum hîc prætereà, quòd, quamvis originalis culpa (quæ omnis huius inordinationis ac vitioſitatis cauſa fuit) baptiſmo tollatur; hæc tamen appetitus noſtri contra rationem Deúmque repugnantia ac rebellio (quam Theologi & Sancti Patres peccati fomitem vocant) minimè tollatur. Voluit enim Dominus, juſto ſuo & inſcrutabili judicio diſpoſitioneque, hanc rebellionem ac repugnantiam in nobis remanere ſuperſtitem, ut hac ratione ſuperbiam noſtram retunderet ac caſtigaret, ut ſcilicet ipſi nos ſemper, viſâ hac noſtrâ miſeria & vilitate, humiliaremus dicentes: *Homo cum in honore eſſet, non intellexit comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.*

S. Bonavent. l. 2. de profect. Relig. c. 33.

Pſ. 48. 21.

Iuſtū Dei in hac re judiciū.

7. Creavit Deus hominem in ſummo honore & eminentia (plurimis enim donis ac gratiis ſupernaturalibus donando & condecorando) ſed, cùm pulchritudinem illam ipſe non intelligeret, nec eius datori proptereà gratus exiſteret; metuit illis omnibus à Deo exui, denudari, brutis aſſimilis reddi, brutales appetitiones, cupiditates, ac deſideria in ſe ſentiens: ut vel ſic in ſe reverſus, ſe agnoſcat & humiliet, nullamque jam ſeſe extollendi ſuperbiendique occaſionem habeat. Et hoc non ſolum parens omnium Adam, ſed etiam filii eius, qui ab ipſo fuiſſent hæreditatem originalis gratiæ recepturi, ſi ipſe in ea perſtitiſſet. Itaque nullam, ſiquidem nos ipſos noverimus, habemus evaneſcendi; at plurimas erubeſcendi; noſque ſemper humiliandi cauſas, nati ex tam depauperato parente.

Alterum fundamentū mortificationis illecebra creaturarum.

8. *Secundò*, aliud primarium hac in materia fundamentum, (quod è priori illo à nobis jam jam indicato, conſequitur) nobis præſupponendum eſt: nimirum, hunc noſtrum appetitum taliter inordinatum, in compoſitumque, & hanc noſtram carnem ac ſenſualitatem, accedente iſthoc illecebra creaturarum aliarum quaſi cognatarum, maximum præcipuumque impedimentum ac remoram eſſe hactenus, ad progrediendū in via virtutis. Atque hoc ſcilicet eſt quod communiter dicimus, nempè, *non habere nos hoſtem carne noſtra capitaliorem infeſtioremque*; ab hac enim univerſas noſtras tentationes & lapſus ſentimus penè oriri, teſte S. Iacobo in ſua Canonica; *Vnde bella, inquit, & lites in vobis? nonne ex concupiſcentiis veſtris quæ militant in membris veſtris?* Noſtra ſenſualitas, concupiſcentia,

Iacob. 4.

ſcentia, & inordinatus noſtri ipſorum amor, omnium bellorum noſtrorum omnium peccatorum, univerſorum quoque defectuum atque imperfectionum, quas admittimus, cauſa eſt. Hæc proinde maxima eſt, quæ in via virtutis occurrat, difficultas.

Myſteriũ hoc etiã philoſophis innotuit. *Li.7.ethi. cap.7.*

9. Intellexerunt idipſum & veteres Philoſophi ſolo naturalis luminis & rationis ductu: unde *Ariſtoteles* omnem, quominùs quis probus & virtutis ſtudioſus ſit, difficultatem in eo ſitam dicebat, quòd cupiditates & affectiones, id eſt gaudia & triſtitias, refrænare & moderari neſciat. *Epictetus* quoque univerſam philoſophiam ad duo hæc capita monitaque reducebat: *Suſtine & abſtine*: quòd omnis virtutis difficultas in duobus ſita ſit. Primò in ſuſcipiendis & tolerandis laboribus, deinde in abſtinendo à voluptatibus & deliciis. Et ſanè ita ſe rem habere, quotidianâ docemur experientiâ: nemo enim peccatum aliquod conſciſcit, niſi ut vel difficultatem quampiam moleſtiamve declinet, vel voluptatem jucunditatemq; aſſequatur, vel ne ea carere cogatur. Hic ſiquidem peccat è bonorum temporaliũ cupiditate, ille ex honorum appetentia & ambitione, alter quo ſenſuali & carnali voluptate fruatur: alius denique ad laborem ac difficultatem, quem in mandatis divinis & eccleſiaſticis adimplendis experitur, effugiendum: ſummam quippe difficultatem ſentit in inimicis diligendis, in jejunando, in ſeſe humiliando ſive accuſando in flagitiis infamibus & occultis confeſſario aperiendis. Omnia ergo peccata hinc ortum habent: & non peccata ſolùm, ſed & omnes defectus & imperfectiones quas in via perfectionis & virtutis committimus, uti ſuo loco inferiùs oſtendemus.

Cap. 12.

In quo ſita ſit mortificatio.

10. Hinc ad oculum patet, in quo ſita ſit mortificatio, nimirum, in paſſionibus, praviſque affectionibus, & in noſtri ipſorum amore, dirigendis & moderandis. Quare S. Hieronymus illa Redemptoris noſtri verba, *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*, exponens, illum reverà abnegare ſeipſum, & tollere crucem ſuam ait, qui, cùm anteà honeſtus non eſſet, fit honeſtus & caſtus; anteà non temperans, fit inſigniter abſtinens; cum ante eſſet timidus & formidoloſus, virile robur induit & conſtantiam. Hoc ſcilicet eſt abnegare ſeipſum, alium nimirum fieri, quàm erat priùs.

Epiſt. ad Algaſiã. Matt. 16. 24. Luc. 9. 23.

Ordoni via virtutis. *S. Baſilius.*

11. Obſervat verò curioſè S. Baſilius, priùs dici, *Abneget ſemetipſum*; ac deinde ſubjici, *Et ſequatur me*: niſi enim priùs propriam voluntatem abnegâris ac renunciâris, & pravas inclinationes tuas atque appetitus mortificâris; plurima impedimenta & remoras invenies, quæ te à Chriſto ſequendo quaſi catenis vinctum retrahent & morabuntur. Igitur virtutis via priùs per mortificationem eſt complananda vel potius aperienda. Idcirco mortificationem is vocat fundamentum, non ſolùm perfectionis, ſed & vitæ Chriſtianæ.

Encomia mortificationis collecta ex dictis.

2. Cor. 4. 10.

Iob. 7. 1.

Gal. 5. 17.

12. Hæc, illa crux est, quam assiduò baiulare & circumferre debemus, si Christum sequi velimus, juxta illud Apostoli, *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes.* Hoc quoque innuebat Iob, cùm *vitam hominis militiam esse super terram* dixit: nam, teste Apostolo, *Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcunque vultis, illa faciatis.* Hoc quoque bellum est, quod continuò nobiscum ipsi gerimus: quicunque verò carnem & appetitus suos meliùs subegerit ac debellarit, is melior, fortior, & generosior Christi miles futurus. Vnde etiam SS. Gregorius & Ambrosius docent, *illam veram servorum Dei fortitudinem esse, quæ non in corporali fortitudine & lacertis carnalibus, sed in animi robore & virtute sita est, in carne, inquam, propria subigenda,* in desideriis & appetitibus frangendis, in vitæ huius voluptatibus & deliciis despiciendis, denique in occurrentibus laboribus atque adversitatibus generosè perfringendis. Adduntque majus ac potius esse, seipsum regere, sibi dominari, passionibus ac sensibus propriis imperare, quàm regere & subjicere alios, juxta illud Sapientis pronuntiatum, *Melior est patiens viro forti, & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.*

Li. 7. Moral. c. 8. lib. 1. offic. c. 36.

Prov. 16. 32.

Ser. de Elisæo.

Causæ encomiorum tantorum.

Lib. de Ioseph. c. 8.

Gen. 39. 7.

Homil. de David & Saul. tom. 1.

1. Reg. 24. 7.

1. Reg. 18. 6.

13. Cuius rei rationem hanc dat S. Ambrosius, *quia graviores inimici sunt praviores, quàm hostes infesti.* Agens verò de magna potentia, ad quam evectus est Ioseph Patriarcha, maius grandiusque eum facinus fecisse ait, seipsum dum vicit adulterium cum domina pellace committere recusando; quàm dum postea universum regnum Ægypti gubernavit & rexit. Plus quoque fecit, teste S. Ioanne Chrysostomo, David, se metipsum vincendo & mortificando, dum de Saule hoste jurato vindictam sumere noluit tum, cùm eum in spelunca solum clam omnibus commodè interficere poterat, quàm Goliath illum Philisthæorum fortissimum conterendo: huiusque victoriæ tropæa posuisse cum ait non in Ierusalem terrestri, sed superna illa & cælesti: nec occurrisse hîc illi mulieres Israelitides epinicia & lætum pæana canentes, (uti occurrerunt tum cùm, Golia prostrato, urbem victor invectus est) sed exercitium Angelorum glomeratim effusum, hoc ad factum exultasse, eiusque virtutis & mentis robori applausisse.

Caput III.

Nulla maior homini à Deo inferri pœna & castigatio potest, quàm cùm eum appetitibus & cupiditatibus suis tradit, sinendo ut post eas abeat.

Incitamentum I. ad mortificationem, est atrocitas hostis mortificatione subigendi.

1. VT autem meliùs intelligatur, quàm nos necesse sit carnem eiusque concupiscentias mortificare, itaque magis, ad animadversus hunc hostem sumenda exstimulemur; interest sanè plurimum, nosse, quàm magnus & capitalis hic sit adversarius. Certè tantus est, ut communiter sancti Patres doceant, unam è gravioribus pœnis & castigationibus Dei,

Dei, & qua suam is iram magis ostendat, esse, cum ipse peccatorem in adversarii huius manus tradit, illum in potestate suorum appetituum ac cócupiscentiarum, tamquam immanium carnificum & tyrannorum, relinquendo. Adferunt ad hoc comprobandum, varia è sacris litteris testimonia: illud inprimis Psalmographi: *Et non audivit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi: & dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.* Et hanc fuisse castigationem ait Apostolus, quâ superborum illorum Philosophorum Gentilium arrogantiam & fastum Deus castigavit. *Qui cum,* inquit, *cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt sed evanuerunt in cogitationibus suis: propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum; in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.*

Ps. 80. 12.

Rom. 1. 12. & 14.

2. Notat autem huius occasione S. Ambrosius per hoc tradere Dei, quod tum in hoc, tum in aliis plurimis, sacræ Scripturæ locis legimus, non intelligi, quasi Deus quempiam ad malum incitet, aut in peccatum prolabi faciat; sed permittit is tantùm, ut hi appetitus & pravæ cupiditates, quos in animo jam antè conceperat, foras prorumpat, & hos ipse, dæmone incentore & cooperatore, opere exequatur.

S. Ambros. Cautè accipi debent verba tradĕtis, &c. cum de Deo dicuntur.

3. Quod supplicii genus quàm grave sit, ex eo quod hinc consequitur, liquidò patebit. Ponderat & excutit ibidem Apostolus, quantum mali superbis & arrogantibus illis philosophis hæc castigatio pepererit, quamque eos atrociter & durè immanis ille hostis habuerit, cui ipsos permittendo Deus tradiderat. Certè nec verbis commodè exprimi, nec satis dicendo exaggerari potest, in quæ eos mala ad flagitia præcipites raptarit: abripuit quippe eos per omne flagitiorum genus, nec antè substitit, quàm eos in spurca, nefanda, abominandaque etiam contra naturam scelera pertraxisset. *Tradidit,* inquit Apostolus, *illos Deus in passiones ignominiæ.*

In quanta probra ceciderint philosophi, qui Deũ non glorificaverunt.

Rom. 1. 20

4. Si illos Mundi sapientes & sapientium florem tam atrociter afflixit sua effrænis concupiscentia, Ah! quò te tandem inimicus hic tuus, immanis ille & indomitus equus, si in manus eius tuo ipse nutu semel incideris non propellet! nam uti præclarè S. Ambrosius ait: *Qui dominari nescit cupiditatibus: is quasi equus raptatur indomitus, voluitur, obteritur, laniatur, affligitur.* Ita inquam tecum adversarius ille aget, ut equus indomitus & sternax cum sessore, quem ex una lacuna in aliam, ex unis salebris in alias abripit, donec se unà cum illo in præcipitium inemendabile agat. Hoc scilicet modo te habet appetitus tuus: si eum edomare, mortificare, illique dominari non velis. Abripiet te de scelere in scelus, de vitio in vitium, nec antè quiescet, quam ad gravissima flagitia & piacula te pertrahat, atque in profunda inferni deturbet. Monet proinde Ecclesiasticus: *Post concupiscentias tuas & appetitus non eas, & à voluntate tua avertere: nam si præstes animæ tuæ concupiscen-*

Tyrannis concupiscentiæ propriæ.

Lib. 3. de Virginib.

Eccl. 18. 30.

cupiscentias eius, faciet te in gaudium, risum & sibilum *inimicis tuis*. Nullum obtingere inimicis nostris dæmonibus gaudium potest maius, quàm dum nos appetitibus & concupiscentiis velut servos mancipatos conspiciunt, hæ enim nos facient tales, & eò pertrahent, quò ne universæ quidem tartari potestates viribus junctis possent.

Exemplum de precantis tyrannidem concupiscentiæ suæ. Eccl. 23. 4 & 6.

5. Eapropter quam instantissimè Deum sapiens rogat, ut tale à se supplicium & flagellum avertat: *Domine Pater & Deus vitæ meæ, aufer à me ventris concupiscentias, & concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me, & animæ irreverenti & infrunitæ ne tradas me.* Et verò non sine ratione docent Sancti Patres, non esse evidentius irati Dei signum, quàm si permittat, ut peccator infrenis post concupiscentias suas abeat, & palati sui gustum sectetur, appetitui & cupiditatibus suis infrunitis per omnia obsequendo.

Simile, Medici permittentis omnia ægro.

6. Quando Medicus dat ægro quodcumque allubuerit palato, comedendi bibendive potestatem, certum id desperatæ valetudinis, & mox secuturæ mortis signum est. Eamdem ergo tunc peccatori potestatem facit Deus, cum graviter ei indignatur; sinit quippè tunc eum agere quidquid voluerit, quid autem homo, adeò per se languidus & debilis, ac malis inclinationibus tam plenus, aliud agere, velit, quàm quod sibi & damnum adfert, & mortem causatur? Hinc facilè intelligemus, quam miser, infelix & periculosus, illorum sit status, qui eam demum summam felicitatem & magnitudinem ducunt, voluntatis impulsum liberè per omnia sequi posse.

Caput IV.

De sancto suiipsius odio, ac de spiritu mortificationis, ac pœnitentiæ, quæ hinc ortum habent.

Necessitas odii di seipsius odio sancto.

1. SI, quæ dictæ sunt hactenus, benè attenteque expendentur, satis ea erunt, ad sanctum illud nostri ipsorum, odium & abnegationem, quod Redemptor Iesus tam impensè nobis in Evangelio commendat, ut sine eo, discipulos nos suos esse posse neget, in animis nostris generandum.

Luc. 14. 26.

Incitamenta ad hoc odii. Corpus maximus noster hostis & proditor est.

2. Quid enim magis ad hoc necessarium, quàm certò nosse, corpus hoc nostrum infensissimum & acerrimum nostrum hostem esse? hostē inquam, capitalem, proditorem que vaferrimum, cuique vafritie par nullus umquam extitit, utpote qui & mortem, eamque æternam, afferre procurat ei, à quo sustentatur, fovetur, & necessariis omnibus ei providetur: nam quò vel exigua voluptatula potiatur Deum non veretur offendere, animæque duraturas in ævum sempiternum pœnas accersere.

Incitamenti huius declaratio.

3. Si cui diceretur: Noris carissime aliquem è domesticis tuis, qui de mensa tua & comedunt & bibunt, insidias in caput tuum moliri, quò tibi vitam eripiat; quo is timore corriperetur? Si præter hæc ei diceretur: Noris insuper, tanto eum tui odio æstuare, idque tam esse atrox, ut vitam ipse

ipse suam pro nihilo habeat, modò tibi eripiat tuam: adhæc, etiamsi norit, patrata jam cæde certissimam se crucem & mortem manere, universa tamen hæc parum moratur, dum tibi necē inferat. Quid obsecro, huic animi foret? quantū sive comedens, sive dormitum abiens, ac nullo nō loco & tempore, trepidaret, & anxius cruciaretur! an fortè hoc ipso tēporis articulo ille propositam cædem executurus sit, sicamq; feralem structurus, qua Dominum de medio tollat? Quē si posset indicio aliquo signouè deprehendere, quo in illū odio exardesceret, quā vindictam de eo sumeret? Huiusmodi porro hostis corpus hoc nostrum est, nobiscum vescens & dormiens, atque etiam exploratum habens, se si quod animæ nocumenū inferat, eadem simul opera sibi nocere ac fraudi esse? &, si animam ad infernalia supplicia detrudat, se quoq; eodem consequenter detrudendum. Nihilominùs ut cupiditati & concupiscentiæ suæ faciat satis, nihil horum pensi habet; contemnit omnia.

Examen ærumnarum quas anima à corpore sit passa.

4. Vide ergo, an non meritò ipsum odio prosequamur. Quoties obsecro, adversarius hic tuus infernali te damnationi addixit? quoties divinam te majestatem atque infinitam bonitatem fecit offendere? quot spiritualibus bonis te spoliavit? quoties tuam singulis horis salutem præsentissimo periculo exponit? Quis ergo non indignetur, non sancto quodam zelo exardescat in illum, à quo tantū noxæ accepit tantam bonorum jacturā passus est, & nullo nō momento in tot pericula conjicitur? si cacodæmonem odimus, eumque internecinum hostem nostrum ducimus, ob continua bella & damna quæ nobis infligit: pejor sanè & immanior longè hostis est caro nostra, quòd atrocius & magis continuum nobis bellum inferat. Et sanè exiguum quid dæmones possent, nisi auxiliatricem haberent carnem hanc ac sensualitatem, ad nos per illam oppugnandos.

Sancti seipsos oderunt, & ad simile studiū hortantur.

5. Hanc ob causam sancti viri ita seipsos ac carnem suam odio habuerunt & abnegarunt: indeque ardens quidam mortificationis & pœnitentiæ spiritus in iis enascebatur, ad de inimico hoc, ultionem sumendam, eumque in potestatem suam redigendum, seduloque advigilandum, ne quod corpori suo oblectamentum concederent & indulgerent: persuasi, id esse, studio opes & arma inimico suppeditare, quibus ille fiat, ad ipsos oppugnandos, potentior & animosior. Unde S. Augustinus: *Ne præbeamus*, ait, *vires illicitas carni & corpori nostro, ne committat bellum adversus spiritum nostrum*, sed ipsam castare & mortificare satagamus, ne facta validior, potentiùs contra nos exurgat. Nam, ut benè dicit Sapiens: *Qui delicatè à pueritia nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem.* Prisci illi monachi ita studiosè in hoc exercitium incumbebant, ut & nihil haberent antiquius, quàm inimici hujus vires atterere atque imminuere, ut, cùm alia ad hoc media minimè sufficerent, gravissimos labores corporales ad hostem hunc suum edomandum

Li. seu exhortat. de salutarib. monitis, c. 35.

Prov. 29, 21.

mandum ac subigendum ultro assumerent.

Exempla viri sancti corpus suũ laborib. atterebant.

6. Refert Palladius *monachum quemdam*, cum à superbiæ vanæque gloriæ spiritu identidem exagitaretur, nec eum ullatenus à se posset repellere, ingentem terræ cumulum impositum humeris, sporta per vices ex uno loco in alium transportasse. Rogatum verò quid, & quorsum id ageret, respondisse, *Vexo vexantem me, & ultionem de hoste meo sumo.* Idem de *S. Macario*, in ejus vita refertur. *S. Dorotheus*, quoque gravissimis pœnitentiis & afflictionibus in corpus suum animadvertisse legitur: interrogatus verò ab alio qui ejus sortem miserabatur, cur corpus suum sic attereret & enecaret, *Quia illud*, inquit, *Occidit me.* Quin & *S. Bernardus*, sancto quodam odio & zelo in corpus suum excandescens, tanquam in hostem capitalem, clamabat: *Exsurgat Deus, cadat armatus iste, cadat & conteratur inimicus homo, contemptor Dei, amator sui, amicus mundi, servus diaboli, quid tibi videtur? certè sentis mecum, dices, Reus est mortis, Crucifigatur, crucifigatur.*

Palladius.

Histor. Eccles. p. 2, li. 6, c. 2

S. Bern.

Per carnem edomitã dæmon oppugnandus.

7. Simili ergo & nos generositate & animo, carnem nostram mortificare & refrænare oportet, ne invalescat, spiritumque & rationem secum in perniciem trahat: præsertim cùm, hoc hoste debellato & subacto, etiam diabolus manus ceu victus, daturus sit. Ut enim scelesti illi spiritus nos per carnem nostram oppugnant, & evincere connituntur, sic & nos, eamdem mortificando & exagitando, ipsos oppugnare & debellare par est. Hanc pugnandi rationem suasit quoque S. Augustinus commentans in hæc Apostoli verba: *Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno* cum Satana, *non quasi aerem verberans*, aut velut cum spectro vel phantasmate ensem vibrans (hoc enim est, *quasi in incertum*) *sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* Quasi diceret; *Castiga corpus tuum, & diabolum vinces: hoc enim modo Paulus adversus illum docuit nobis esse pugnandum.*

S. August.

1. Cor. 9. 26.

Simile à captivo bene custodiendo.

8. Cùm præfectus quis loci alicujus Mauris finitimi aliquem domi Maurum pro mancipio habet, jam ad bellum abiens, eum vinctum compedibus ergastulum detrudit, & catenis illigat, ne is adversus dominum insurgat, & ad hostiles partes se rebellando transferat. Hoc ipsum ergo & nos facere oportet, carnem inquam nostram compescere & mortificare, ne ad inimicorum nostrorum partes transfugiens, unà cum illis bellum nobis moveat.

Caput V.

Profectus & perfectio nostra omnis in mortificatione consistit.

Mensura perfectionis mensura est mortificationis.

1. Hac de causa sancti Doctores, & vitæ spiritualis magistri, unanimi voce docent, omnem nostrum profectum ac perfectionem in unica mortificatione sitam esse. S. Hieronymus inprimis dicit, *Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris.* Atque super illa Jobi verba, *Nec invenitur in terra suaviter viventium,* scribens, ait perfectam sapientiam, & verum

S. Hieron.

Iob. 28. 18.

Alvar. de pac. tom. 1. lib. 2. p. [illegible] 12.

Examen sive probatio spiritus sui.

Vitæ ej. Lib. 5. c. [illegible] Testimonia Authorum præcare. Li. 4. c. [illegible] vita.

Alvar. de vit. tom. 2. lib. 2. p. 4. c. 12.

verum Dei timorem, in terra suaviter, id est ad voluntatis suæ arbitrium, viventium, non inveniri. Quemadmodum ager, cùm proferre sinitur quæcumque vult, carduos inquam, tribulos & lolium, ridere & quiescere dicitur, laborare verò, cùm triticum aut simile frumenti genus producere jubetur. Pari modo in cordis nostri terra fit: cùm enim quis abit in sensum cordis sui, & appetitibus suis pro arbitrio obsecundat, gaudere eum dicimus, & suavissimam jucundissimamque vitam ducere. In hac ergo terra non invenitur, (ait S. Hieron.) vera sapientia; sed in terra laborantium, id est, se mortificantium, nec appetitibus suis habenas laxantium.

Examen sive probatio spiritus sui.

2. Hæc est regula & mensura, ad quam unicujusque virtutem & in spiritu profectum sancti Patres dimetiuntur. Si ergo videre & nosse vis quem in virtute progressum feceris, vide quantum te mortificaris, quam edomitas & subjectas tibi habeas effrenes animi passiones, & vitiosas inclinationes; quomodo v. g. humilitas & patientia tua se habeant: num affectus erga ea quæ mundi sunt, & erga carnem ac sanguinem, in te jam emortuus sit. Atque inde colliges, num quem profectum feceris, an secùs; non autem ex consolationum & gnotuum in oratione perceptorum affluentia.

Vitæ ejus Lib. 5. c. 1.

Testimonia Authorum pro eare.

3. Sic de S. Patre Nostro Ignatio legimus, pluris eum solitum mortificationem quam orationem facere, & ex illa de cujusq; profectu judicium ferre, Beatus quoque P. Franciscus de Borgia, cùm quempiam ut sanctum & perfectum dilaudari audiebat, dicere solebat, *Sanctus erit, si mortificatus sit.* Ludovicus Blosius deniq; Dei servum mortificatum, botro jam maturo, sapido, & ad tangendum comedendumve suavi non inscitè comparabat; immortificatum verò immaturo, amaro & insipido: juxta illud Isaiæ; *Exspectavi ut faceret uvas, & fecit labruscas.*

Li. 4. c. 5. vita.

In instit. spirit. c. 2.

Isaia 5. 4.

Discrimen spiritus divini & sæcularis.

4. Hoc porrò inter filios Dei, & sæculi hujus discrimen est, quòd hi de mortificatione parum solliciti, appetituum sensualium ductum sequantur: *qui autem Christi sunt, carnem suam crucifigunt cum vitiis & concupiscentiis*, affectus & concupiscentias suas mortificare satagunt, earumque impetum non sequuntur, sed spiritus & rationis.

Gal. 5. 24.

Quo sensu perfectio in mortificatione cōsistat.

Simile.

5. Non tamen nudè dico, perfectionem nostram in mortificatione essentialiter consistere, sed in amore & dilectione Dei: eoque hominem perfectiorem fore, quo Deo per amorem erit conjunctior. Verùm quemadmodū lapis in altò quodam loco detentus, amoris impedimentis, ipsum contra naturalem inclinationem suam ibi detinentibus, ilicò seipso deorsum ad centrum, locum videlicet naturaliter sibi debitum, fertur: consimili ratione anima nostra, quæ spiritualis quædam substantia est, & ad Deo fruendum creata, inordinatorum appetituum & vitiosarum inclinationum impedimentis, quæ eam vinctam & rebus terrenis illigatam detinent, jam sublatis, quam primum divinæ gratiæ ope, rectâ

ad Deum, velut centrum & finem suum, fertur, eique se per amorem astringit.

Lib.13.Confess.c.9. Amor animæ pondus est, testimonio SS. PP.

6. Vnde rectè S. Augustinus: *Ponderibus suis aguntur omnia, & loca sua petunt, levia sursum,* uti aër & ignis; *& gravia deorsum,* ut terra & aqua: *pondus meum amor meus, eo feror.* Quod in elementis & corporibus naturalibus efficit pondus, hoc in creaturis ratione præditis amor. hinc sicuti naturalia moventur conformiter ad pondus quod habent; ita rationales creaturæ juxta amorem in illis prædominantem ac regnantem: unde si rerum terrenarum amor in nobis dominetur, appetitus item honoris & laudum humanarum, nec non desiderium ut voluntati nostræ in omnibus mos geratur, corporis quoque commoditatum sectandarum studium; motus ac desideria nostra sensualia erunt & terrena. At, si per mortificationis falculam omnium illarum sensualium rerum amorem resecemus; Creatoris Dei amor in animo prædominabitur, ille nostrum erit pondus: unde statim maiori is celeritate ad Deum, quam lapis ad centrum suum, feretur. Hoc insinuat S. Augustinus, cum scribit: *fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Meritò ergò SS. Patres progressionem ac perfectionem nostram, ad mortificationis normam & regulam dimetiuntur: qui enim egregiè mortificatus erit, magno in Deum amore feretur, summæque perfectionis erit.

Lib.1.Confess.c.1.

S. August. Psal. 41.1.

7. Idem S. Doctor, explicans hæc Psalmistæ verba: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima ad te Deus,* ita scribit: *Cervus serpentes necat, & post serpentium interemptionem maiori siti inardescit, peremptis serpentibus acrius ad fontes currit.* Quòd dein egregiè ad propositum nostrum accommodat. Nosse vis, inquit, cur ingenti siti ac desiderio perfectionis assequendæ non inardescas, nec intenso in Deum amore feraris? Causa est, quòd ad instar cervi, serpentes non eneces. *Serpentes, vitia tua sunt,* & inordinatæ passiones: *consume* & mortifica illos *serpentes iniquitatis, tunc amplius desiderabis fontem veritatis,* ac statim virtutis & perfectionis assequendæ sitim in te senties, statim anima Deum amabit, & ad eum aspirabit, uti desiderat cervus ad fontes aquarum. Quò ergo passu progredietur mortificatio, eo subsequatur perfectio Deique amor. Alibi verò sic loquitur: *Augmentum charitatis diminutio cupiditatis: perfectio, nulla cupiditas.*

Simili declaratur latio animæ in Deum.

Lib. 83. qu.36.

8. Quemadmodum aurum, quo magis eius consumitur & excoquitur scoria, purius perfectiusque evadit: sic amor & dilectio Dei eo fit perfectior, & magis augetur, quo inordinatus nostri ipsorum omniumq; rerum sæculi huius amor magis imminuitur & decrescit; qui ubi jam planè consumptus & extinctus erit, Dei dilectio prorsus pura, defæcata & perfecta erit.

Alio simili, idē explicatur.

9. Ioannis Abbatis, ut refert Cassianus, jam ex hac vita decessuri lectulum circumsteterunt discipuli, perinde ac filii solent moriente patre, instantissimè ab eo petentes, ut memo-

Exemplum. Lib. 5. de renunt. c. 28.

memoriale aliquod mandatum, velut hereditarium legatum, sibi relinqueret, per quod possent ad perfectionis culmen præcepti compendio facilius pervenire. Ingemiscens ille, *Numquam, ait, meam feci voluntatem, nec quemquam docui, quod priùs ipse non feci.*

CAPUT VI.

Religiosis, & præsertim iis qui proximorum student saluti, præ aliis necessaria est mortificatio.

Alvar. de Paz. tom. 2. lib. 2. p. 4. c. 12.

Mortificatio Religiosis maximè convenit.

1. ETsi omnibus Dei famulis hacce mortificationis exercitium proprium maximeque necessarium est, ut quotidie magis magisque se voluntati divinæ conforment, Religiosis tamen id potissimùm convenit, utpotè qui idcirco, repudiato sæculo, Religioni nomen dant. Atque hoc demum, S. Benedictus dicit Religiosum esse, mores vitamque corrigere & in melius mutare: unde illius Ordinis sectatores in professione quam edunt, ita vovent: *Promitto conversionem morum meorum.* Atque hoc quotquot in Religione sumus, de facto promittimus; hocque per mortificationem faciendum est; *spoliando nos veterem hominem, & induendo novum*, ut loquitur Apostolus. Vnde etiam S. Bernardus omnibus Religionis suæ jugum subeuntibus semper proponebat: *Attendite filii, ut solus spiritus monasterium ingrediatur, corpus autem remaneat foris*: innuere iis volebat, non esse illis, de corpore curando, nec de appetituum sensibus & inclinationibus propriis satisfaciendo, posthac laborandum, sed de sola anima & spiritu, juxta illud Apostoli monitum: *spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis.* Porrò *spiritu ambulare* (quod à cunctis Dei servis tam impensè est inculcatum & expetitum) est secundum meliorem nostri partem, nimirum spiritum & rationem, vivere, non verò secundum carnem & sensualitatem. Erat, teste Cassiano, certum velut axioma, & communis traditio, veterum illorum anachoretarum, eaque experimentis plurimis constabilita, neminem in Religione aut proficere, aut perseverare posse, qui de voluntate & appetitibus suis refrænandis seriò nō cogitaret: hi namq; cum rebus, quas profitetur Religio, nullatenus conveniunt, sed planè contrarii sunt: *Multis*, inquit Cassianus, *experimentis edocti tradunt, eum in cœnobio diutiùs perdurare non posse, qui priùs voluntates suas non didicerit superare.*

S. Benedictus in formul. votor.

Coloss. 3. 9.

Gal. 5. 16.

Lib. 4. de instit. renunt. c. 8.

Maximè verò his qui proximum curant.

Lib. de sacerdot.

2. Licèt autem omnibus in genere Religiosis mortificatio necessaria sit, iis tamen quàm maximè quibus ex instituto incumbit proximorum salutem curare. S. Chrysostomus luculenter diserteque probat, passionum mortificationem iis, qui ad proximo opitulandum medio in populo ciuitatibus agunt, pernecessariā esse: Quoniam feræ illæ belluæ, (sic enim passiones nostras vocat) multo plus ibi sese fouendis escæ, ob ingentes quotidie ibidem occurrentes occasiones, inueniunt. Miles qui in aciem non prodit, suam celat infirmitatem; sed in castra proficiscens, quid possit,

ostendit. Pari modo, inquit Sanctus ille Præsul, qui intra cellæ suæ angustias conclusus latitat, quos habet defectus, celat: at foras prodiens, ad cum mundo confligendum, eique spectaculum futurus, virtute & mortificatione excellenti præditus sit oportet.

Accommodare nos oporter iis quibuscum agimus. 1. Cor. 9. 22.

3. Præterea, ut eos, quibuscum agimus Christo lucrifaciamus, necesse nos est eorum moribus & conditioni, quantum fieri potest, nostros attemperare, juxta illud Apostoli Gentium. *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Ad quam rem quàm sit mortificatio necessaria, nemo non videt. Tradunt Philosophi naturales & anatomici, ipsam pupillam oculi, qua nimirum omnes colorum species recipiuntur, & visio formatur, omnes esse coloris expertem, idque ita necessarium fuisse, ut hac ratione ipsa omnium colorum in se species admitteret, eosque omnes, uti sunt in se, distinctè videret. si enim certi coloris alicuius ea foret, non nisi hunc ipsum posset recipere: nam intus existens, prohibet extraneum. si verb. grat. viridis foret, quidquid conspiceremus, nobis appereret viride; uti apparet tum cùm pellucidum vitrum viride oculis applicamus: si alterius coloris esset, eiusdem quoque appareret quidquid in oculos incurreret. Ad eumdem modum te necesse est, tuam naturam, conditionem, moresque eruere, & passiones omnes egregiè domitas & subactas habere, tuique dominum esse, ut sic omnium conditiones in te admittere, cum omnibus agere, iisque te accommodare possis, ut omnes ad Christum adducas, exemplo Apostoli.

Simile pro hac accommodatione.

Contraria accómodatio nis huius sacræ.

4. Non est spiritus Religionis, nec perfectionis, ut quis iis solùm, qui eiusdem secum conditionis & humoris sunt, adhæreat, v. g. ut tibi cholerico arrideat solum cholericus, tibi verò melancholico displiceat cholericus; multo minùs erit, populatib. suis & eiusdem secum nationis hominib. se adjungere. Non eum infelicem & miserum censeres, qui tales nactus esset oculos, ut unum duntaxat colorem intueri possent? At infelicius longè & miserius est, voluntatem tam angustè patentem & malè dispositam habere, ut nonnisi erga suæ nationis & complexionis & indolis, homines afficiatur. Charitas ex æquo complectitur omnia, quia proximum, propter & pro Deo diligit; unde nullum facit discrimen personarum, *non est ei Gentilis & Iudæus, circumcisio & præputium, Barbarus & Scytha, servus & liber; sed omnia, & in omnibus Christus.* Omnes intra viscera sua concludere vellet, quod eos ceu Dei filios, & Christi fratres intueatur. Hinc colligere est, quàm hîc sit mortificatio necessaria.

Colos. 3. 11.

Mortificatio necessaria ad charitatem fraternam conservandam.

5. Necessaria præterea illa est ad mutuam inter nos unionem, & fraternam charitatem, quam ita seriò Redemptor nobis commendavit, ut ex illa velut charactere colligi velit, veréne discipuli ipsius simus, sartam tectam conservandam. Tunc enim unionem hanc & fraternam charitatem quis violat ac destruit, cum seipsum quærit, sua commoda sectatur, hono-

Ioan. 13. 35.

honorem & æstimationem propriam ambit. Secum quisque disquirat, & videbit, quotiescunque in charitatem proximi peccat id fieri, vel ut dictorum aliquid quærat, aut sibi procurare studeat, vel ne quid eorum deperdat, illoque carere cogatur. Mortificatio ergo hæc omnia tollit, viamque charitati *non quærenti quæ sua sunt*, sternit & complanat. Vnde S. Ambrosius: *Si quis vult placere omnibus per omnia, quærat non quod sibi utile est, sed quod* fratribus *& multis, sicut quærebat & Paulus*; qui nos, ut idipsum imitari studeamus, cohortatur: *Non quæ sua sunt, singuli considerantes, sed ea quæ aliorum.*

Contraria accómodationis huius sacræ.

1.Cor.13.5
Lib.3.offic.3.
Philip.2.4.

Caput VII.

De Duplici mortificationis & pœnitentiæ genere: & quomodo utrumque Societati Iesu *commune sit & usurpetur.*

Coloss.3.11.

S. Augustinus illud Evangelistæ S. Matthæi exponens; *A diebus Ioannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*; sic scribit. *Duo sunt abstinentiæ & crucis genera, unum corporale, aliud spirituale.* Priori castigatur & affligitur corpus; diciturque pœnitentia exterior: cuiusmodi sunt disciplinæ, jejunia, cilicia, lecti durities, victus tenuis & vilis, vestis asperior, aliæque id genus, quæ carnem affligunt & castigant, suasq; ei delicias, oblectaméta & cómoditates subtrahunt. *Alterum genus est pretiosius & sublimius, scilicet regere motus animi, litigare quotidie cótra vitia sua* & malas inclinationes, *increpare se quadam censura austeritatis & virtutis, & rixam quodammodo cum homine interiore conserere*, semper adversus propriam voluntatem obluctari, velut adversis ventis & flumine navigando, judicium proprium frangere, iram refrænare, impatientiam cohibere, gulam, oculos, linguam, reliquosque sensus & motus moderari. *Hæc*, inquit, *qui facit perrupto carnis*, passionum, & appetituum suorum *muro, violenter ad cælorum regna conscendit*; hic generosus & fortis miles est, utpote qui vi facta, & magna velut impetu cœlum expugnat.

Mortificatio duplex est.
Ser.20.de SS.& 1. de S.Ioanne Baptista.
Matt 11.12
Alvar.de Paz.to.2. li.2.p.1.c.3.

Mortificatio necessaria ad charitatem fraternam conservandam.
Ioan.13.35.

2. Adeò ut interior & spiritualis hæc mortificatio priore longè sit excellentior. Etenim motus animi edomare, honoremque & existimationem alienam pedibus proterere, maius longè est, quàm carnem affligere, flagrisque & ciliciis in corpus sævire. Atque uti hoc pœnitentiæ genus excellentius & nobilius est, sic & difficilius est, majorique labore nobis constare debet, quod enim præstantius & maius est, pluris constat. Hæc doctrina etiam est S. Gregorii variis in locis, S. etiam Dorothei, aliorumque Sanctorum Patrum.

Collatio utriusq;.

l.32. Mora.c.17. & li.6.c.15.& 1.l. Reg.c.2.

3. Vtrumque hoc pœnitentiæ genus in Societate nostra usurpatur. Et quidem quoad primum genus, licèt S.P.N. Ignatius ordinarias ac definitas pænitentias regula aliqua speciali determinare & constituere noluerit, quas omnes ex obligatione subire oporteret; modum verò vivendi

Vtraque in Societate Iesu viget.

vendi in Societate quoad exteriora communem & ordinarium esse voluerit, idque justas ob causas; tamen, uti mox videbimus, huic rei alia ex parte quàm sapientissimè prospexit, & quomodo in ea nos geramus oportet, præscripsit. Porro multis, eisque æquissimis rationibus, ipse adductus, statuit, ut vivendi modus in Societate quoad exteriora, communis & vulgaris foret. Cùm enim media esse fini suo proportionata debeant; Societatis verò finis sit, non propriæ solùm saluti, profectui, perfectionique vacare, sed & in proximorum salutem naviter incumbere, par certè & consentaneum fuit, ut communi honestorum clericorum veste uteremur, quò sic faciliùs ad omne hominum genus aditum nobis pararemus. Hoc enim pacto cum Religiosis sumus Religiosi, cum Clericis Clerici, cum laicis denique, non gerimus vestem à clericorum sæcularium & laicorum veste discrepantem. Huc accedit, quòd Societas Iesu sub id instituta sit tempus, quo Lutheri hæresis est exorta, & cum eiusdem sequaces Religiosos ipsorumque vestium explodebant. Quapropter, ut facilior nobis ad eos additus pateret, ad cum illis facie ad faciem disputandum, ipsosque hæreseos convincendos (id quod instituti nostri proprium est) decuit omnino, ut habitum non gereremus ab aliorum honestorum clericorum habitu distinctum: talem enim induti, hæreticis contemptui, ludibrio & & horrori essemus, etiam antequàm ipsorum in conspectum prodiremus, & cum ipsis agere inciperemus: itaque una de præcipuis partibus illius finis, ad quem à Deo Societas fuit instituta atque excitata, impediretur. Præterea, si asperiorem aliquem habitum assumpsissemus, fortasse gravis aliquis peccator nos minimà accedere auderet, ratus nos asperè & durè, pro ratione vestis nostræ secum acturos. Sit ergo habitus communis, & quem nemo ob asperitatem abhorreat, ut per eum facilior nobis ad omne hominum genus pateat accessus, nullusque nobiscum agere vereatur ac perhorrescat. Voluit ergo S.P.N. etiam in genere vestitus nos omnibus omnia fieri, ut sic meliùs omnes lucrifaceremus, idque ad exemplum Salvatoris Christi, quem testatur Sanctus Augustinus (è quo idipsum refert Sanctus Thomas) quò se magis ad cum hominibus agendum & communicandum disponeret, maioremque inter eos fructum faceret, in exterioribus medium vitæ genus elegisse potiùs, quàm austeritatem & asperitatem illam Ioannis Baptistæ.

Ca.1. examin. §.6. & 6. part. Const. ca. 2. §. 15. & 16.

Non quidē adeo in vestitu qui communis, ex certis causis.

Per hunc commodè fit omnibus omnia.

Contra Faustum. 3.p.q.40. art.2.

4. Ad alias pœnitentias exteriores quod attinet, tametsi earum nullas speciali nobis regula præscripserit, regulam tamen vivam quoad eas relinquitur, superiorum scilicet discretionem. qua scilicet unicuique, quod in Domino ei expedire judicaverint, decernant & permittant. Modis autem duobus assumi eas posse idem Sanctus Fundator tradidit: nimirum, ut *quivis eas assumat, quæ sibi videbuntur cum approbatione Superioru ad maiorem sui spiritus profectum convenire*; consti-

Sed discretè iniungendis pœnitentiis.

Ca.1. exami. §.6. & Reg. 4. Summar. consti.

nire; vel quas propter eumdem finem Superiores ei poterunt imponere. Hoc ipse indicavit magis è re Societatis fore, quàm speciali eas regula præscribere.

Causæ ob quas nullæ determinatæ injunctæ sint.

5. *Primò*, quia regula scripto tradita, non poterat in omnibus esse æqualis, quòd eædem omnibus ad eas suscipiendas non sint vires. *Secundò*, si communes singulis pœnitentiæ essent præscriptæ, certè, qui tam asperas suscipere non posset, sæpè animo concideret & doleret, quòd non eâ quâ cæteri, posset viâ incedere. Quemadmodum enim una eademque omnibus ægris medicamenta, vitæque diæta eadem, non convenit, aut quadrat; ita nec omnibus eædem austeritates & pœnitentiæ: aliæ enim conveniunt junioribus, aliæ meliùs in seniores cadunt, aliæ quadrant ægris, aliæ sanis: aliæ iis qui in vitæ innocentia Religionem ingressi sunt, aliæ graviter & lethaliter per plurima peccata sauciis. Undè SS. Augustinus & Basilius docent, nemini mirum debere videri, si pari cum omnibus in Religione viventibus modo non agatur, hic majores austeritates subeat quàm ille: etenim æqualitatem hic præscribere, magna foret inæqualitas. Quid? quòd hæc ipsa differentia & diversitas non modò pro aliis aliisque personis, verùm etiam pro una eademque conveniens sit, idque pro diversa temporum & necessitatis ratione. Una enim pœnitentia proderit in tempore tentationis & ariditatis, alia in pacis & devotionis: una ad eam conservandam, altera ad jam perditam recuperandam conducet. Has ergo ob causas noluit S.P. N. unam eamdemque omnibus & singulis, quoad exteriores pœnitentias, mensuram & regulam præstituere; sed Superioris, qui spiritualis est medicus, judicio arbitrioque earum intensionem remissionemque commisit: Vt is nimirum pro cujusque viribus, & prout necessarium ei indicaverit, eas concedat & moderetur; huic quidem majores, illi minores.

In regula. In cõstit. mon. c. 5. & in regul. fusior. interr. 19.

Congruentia Societat. Iesu cum Regula Pachomii, in hac parte.

6. Quod certè planè coincidit cum regula, quam, Deo tradente Sancto Pachomio Angelus de cœlis attulit: in qua ad hunc planè modum jubetur Superior unicuique Religioso pœnitentias, pro cujusq; videlicet necessitate præscribere. Quòd ergo Societas nostra ordinarias suas pœnitentias regula speciali præscriptas non habeat, ut eas reliquæ plerumque habent Religiones non id eò sit, quòd hæ pœnitentiæ corporales aut locum in ea nullam habeant, aut non magni fiant eæ quas alii ordines juxta institutum quisque suum sanctè observat, utpote quorum varietate Ecclesia mirè condecoratur: sed quod instituto nostro convenientius, fini intentionique suæ magis proportionatum, & antiquæ Sanctorum Patrum doctrinæ conformius, esse judicavit, illarum mensuram modumque prudentiæ & charitati Superiorum penitus relinquere. Quod in causa est, ut pœnitentia non solum non assumatur minùs, sed etiam magis & frequentiùs, majoriq; cum voluntatis propensione & fervore. Vndè (quæ Dei bonitas & mi-

Ps. 44. 10.

sericordia est) re ipsa videmus, hujusmodi pœnitentias in Societate magis usurpari & exerceri, quàm usurparentur eæ quæ per regulam aliquam essent constitutæ. Faxit eadem divina bonitas, ut hic fervor, ac tam bonus, sanctus, adeoque in Ecclesia frequentatus, spiritus semper adaugeatur & increscat, ac necesse sit freno potiùs (uti hactenùs ferè factum constat) quàm calcaribus apud nostros uti.

Mortificatio secundi generis societati in usu est inprimis.

7. Cæterùm secundum pœnitentiæ genus, passionum inquam & proprii amoris inordinati mortificationem, obviis manibus, & præcipuo quodammodo societatem plectitur. Atque hæc una de justis causis est, ob quas S.P.N. ordinarias quasdam pœnitentias regulâ certâ aut lege speciali præstituere noluerit, quòd in interiorem passionum & appetitionum nostrorum mortificationem nos potissimum incumbere, eamque præcipuam nostam pœnitentiam esse vellet, quòd hæc (uti antè diximus) pretiosior & nobilior sit exteriore. Præscripsit nobis S.P.N. in Constitutionibus & Regulis non pauca magnæ perfectionis opera & præcepta, ad quę exequendę insigni quadam opus est mortificatione & nostri ipsorum abnegatione; vult proinde primarium uniuscujusque nostrum studium versari circa ea quæ ad hanc abnegationem ac continuam appetituum mortificationem spectant, atque ut in veris solidisque virtutibus, omniq; perfectione assiduè incrementum faciamus. Et verò poterat timere, nec sine ratione, secumque ita vir sanctus ratiocinari. *Si quidem meis ordinarias statutasque quasdam pœnitentias regulæ præscripsero, in iis forsan pedem figent, nec ulteriùs volent progredi, eas sufficere rati, dicentque: Ex regulæ decreto ad tot obstringor jejunia, ad tot cilicia, ad tot flagella: hæc si suscepero, abundè meis partibus satisfecisse videbor: atque ita omittent id quod præcipuum est, quodque maximè ad rem facit, ipsam, inquam passionum suarum mortificationem, & verarum solidarumque virtutum exercitium.* Non aliam igitur nobis qua nitamur, basin dare voluit, quàm interiorem mortificationem ac virtutem. Voluit proinde vitam nostram quoad exteriora, communem esse, ut quoad interiora singularis sit & excellens, solidis scilicet virtutibus frequentique mortificatione stipata: & quidem insita eminenter, ut etiam in exterioribus reluceat, nosque Religiosos esse deforis ostendat. Quo quidem testimonio nos qui de JESU Societate sumus, præ aliis Religiosis opus habemus: hos enim aut habitus ab aliis distinguit, aut vestis victusq; asperitas populo commendabiles facit. Verùm in Societate, ubi hoc locum non habet, eò quòd cum instituto nostro minimè conveniat; per interiora id necesse est suppleri, tantamque in nobis relucere humilitatem, modestiam, charitatem, animarum zelum, & cum DEO familiaritatem, ut quisquis nos visurus & nobiscum tractaturus est, dicat, verè hic est Religiosus Societatis Jesu. *Isti sunt semen cui benedixi Dominus.*

Ca. 4. examin. §. 46. & 3. p. constit. c. 1. §. 27.

Isa. 61. 9.

8. Quapropter id, ad quod potissimum collineare, & circa quod inprimis

Ei igitur intêdent singula-

[margin, right edge, partly cut off: ...rius qui de Soc. sunt. / l. 6. vita c. 7. / l. 1. de perfect. religio. cap. 9. / Vnde si suavitas in regimine Societatis ex mortificatione.]

primis nostrum versari studium & exercitium debet, est hæc mortificatio interior; in qua cùm elanguere, & remissiores esse incipiemus, noverimus oportet, tunc nos desinere vivere ut Religiosos Societatis vivere decet: illa autem exterior quam usurpamus, pœnitentia assumenda nonnisi velut instrumentum ac medium ad priorem illam & interiorem perveniendi, sicut dicit & docuit vir ille verè Apostolicus S. Franciscus Xaverius, & ante ipsum S. Bonaventura.

rius qui de Soc. sunt.

l. 6. vita c. 7. l. 1. de perfect. religio. cap. 9.

Vnde sit suavitas in regimine Societatis, ex mortificatione.

9. Hinc quivis facilè intelliget, quę causa sit ejus, quod toties dici audimus, quodque (quæ singularis Dei bonitas est) etiam re ipsa experimur, nimirum Societatem miram in suo regendi procedendique modo & regimine suavitatem habere. Hæc autem non in eo sita est, quòd res arduę & difficiles in ea minimè occurrant, vel quòd Superiores subditorum postulatis & petitionibus per omnia obsequantur: (hoc enim si esset, ne nomine quidem Religionis digna esset:) Sed quod ardua discretionis temperamento imponantur. Occurrunt porrò in eo plurima res arduæ & difficiles, quemadmodum mox ostendemus. Ad hæc autem, quicumque ei nomen dederunt, vera passionum mortificatione, suique abnegatione seriò disponuntur, valdeq; indifferentes & resignati esse, ad quodcunque quod Superiores de ipsis volent, jubentur. Hæc autē indifferentia, resignatio, & interior subditorum dispositio causa est magnæ illius suavitatis, quæ in Societate tam in Superioribus in imperando & gubernando, quàm subditis in obediendo, reperitur. Tali enim modo in manu Superioris omnes sunt positi, quo pauxillum argillę in manu figuli, ut, quod libuerit vas ex eo fingat. Atque hoc spectavit mirabili illo consilio & proposito, à spiritu divino inspiratus, S. P. N. cùm suos hinc mortificationi, & sui ipsorum abnegationi, tam impensè jussit insistere: perinde ac si dixisset. *Occurrunt in Societate res arduæ & difficiles plurimæ; ad quas suscipiendas ut quisq; valdè promptus ac dispositus sit, ut item Superiores suis eas præscribere nō vereantur, ac præ metu velut subterfugiant, hoc mortificationis & suiipsorum resignationis fundamentum omnibus præstituere volui. Intelligant proinde singuli, adeò se indifferentes, & in manus Superioris resignatos esse debere, ut quodcunq; ei visum fuerit, liberè eis posset præscribere: perinde ac lutum in manu est figuli, & panni lacinia ac frustum in sartoris, qui ex eo prout & ubi allibuerit, recidit; hanc quidem partem manicis, illam sinibus lateralibus, unam collari, alteram oræ infimæ & terris proximæ adaptans, & æquè bona est hæc panni pars atque illa, cùm ex uno eodemque omnes panno refectæ sint: & æquè bonum lutum, è quo vas formatur culinarium, atque id è quo mensale: quod utrumque ex una & eadem desumptum sit massa,* ut loquitur Apostolus. Ad eumdem modum, omnes erant in Societate condiscipuli, & omnes eodem tempore pariter ad eam venerunt; & fortasse tam præstanti erat ingenio qui ad prima Grāmaticæ rudimenta docenda designatur, quàm qui ad altiores artes aut

Rom. 9. 21.

D 2 Theolo-

Theologiam. Interim tamen non queritur lutum vel pannus: *Quid me fecisti sic?*

Rom. 9. 20.

Imo ex quovis qui in Societate est mortificatis passionibus.

10. Causa ergo & origo tantæ in Societate suavitatis esse debet in te, ut nimirum egregiè sis mortificatus, valdè resignatus, & ad omnia jussa excipienda indifferens; ut nulla sit in te repugnantia, nulla contradictio tam exterior, quàm interior, circa ea quæ Superiores de te volent statuere. Vndè, cùm hanc, quam dico, facilitatem & suavitatem in imperatis suscipiendis, aliisque rebus occurrentibus admittendis minimè percipis, Superiori culpam non adscribe, nec de eo conquerere; sed de teipso, qui non pro eo atque oportet dispositus & mortificatus es. Superior enim agit quæ sui sunt muneris, teque Religiosum, ac proinde mortificatum, & ad omnia indifferentem esse, præsupponit; neque necesse est, tuam antè voluntatem exploret, & an ad jussum hoc dispositus sis; semper enim dispositum & paratum esse te oportet, ad omnia quæ tibi obedientia volet iniungere. Quinimò insigni te Superior honore afficit, dum te talem reputat, & talem tractat, & ut tali quid imperat. Cùm saxum aliquod aptè sciteque dedolatum est, quàm id facili negotio faber murarius loco quo vult collocat! quòd enim id loco jam quadret, sola demissione impositioneque eiusdem opus est. Sed cùm antè malè & inscitè dolatum est, quot tunsionibus, malleationibus, quantoque labore pòst opus est, ut ipsum loco debito inferatur?

11. Sequitur hinc & aliud consideratione dignissimum, & à S. Bonaventura observatum, videlicet, etsi interior mortificatio multo sit pœnitentiis exterioribus difficilior, uti antè diximus; tamen facilius ab his aliquem, quàm à mortificatione interiore, excusari & eximi posse. Nam in illis verè quis dicere potest, non suppetunt mihi ad toties jejunandū, ad toties induendum cilicia, ad toties flagris in corpus sæviendum, ad incedendum discalceate ad mediâ nocte surgendum, vires. Nemo autem dicere verè potest. Impares mihi sunt vires, non fert valetudo, ut humiliter de me sentiam, adversa quælibet patienter feram, obedientiam colam, in omnibus sim resignatus. Dicere quidem verè poteris. Virtutem & gratiam non habeo ad tantam humilitatem, obedientiam & resignationem, quanta in Societate & viget, & necessaria est; sed non, Non suppetit mihi valetudo ad illa: neque enim corporales ad hoc vires requiruntur, sed spirituales: cùm fortis æquè ac imbecillis, sanus non minùs quàm infimus, magnus juxta ac parvus, adeoque omnes, gratiæ Dei adminiculo, si modò velint, hæc exequi valeant.

l. 1. de prof. relig. c. 3.

Internæ mortificationi omnes; externæ non omnes sufficiunt.

12. Est hoc insigni consolationi iis, qui ideò pusillanimes fiunt, & animo dejiciuntur, quòd non satis sibi spiritualis suppetere peculii & subsidii putent, pro tam sublimi fine & instituto, qualem sibi Societas proponit. Cùm Saul, (ut in libro 1. Regum refertur) Davidi denuntiasset, velle se filiam suam ei nuptui tradere; respon-

Parva res est mortificatio in se, grata tamen Deo.

1. Reg. 18. 23. & 25.

respondit ei David: *Non parum videtur vobis generum esse Regis? ego autem sum vir pauper & tenuis.* Cui Rex ilico renuntiari jussit; *Sic loquimini ad David: non habet rex sponsalia necesse, nisi tantum centum præputia Philisthinorum, ut fiat ultio de inimicis Regis.* Hoc ipsum his respondere pusillanimibus possumus; Non habet opus his talentis, facultatibus & dotibus DEUS quas tute tibi cogitatione fingis: DEUS *meus es tu, & bonorum meorum non eges.* Nihil autem aliud requirit, quàm ut hosce appetituum tuorum & vitiosarũ inclinationum Philisthæos circumcidas.

Psal. 15. 2.

Quid Societas à suis requirat personis.

13. Idem quoque à nobis exigit ac petit Societas: proindè, si quidem ipse velis, bonum eius esse membrũ, & utile instrumentum potes. Da operam ergo, ut egregiè humilis, & ad omnia quæ de te constituere volet, indifferens & resignatus sis; ulterius nihil à te requirit. Avertat DEUS, ne quæ vanitatis & superbiæ argumenta in te notentur, ne proprii judicii æquo tenacior, ac commoditatum sectandarum studiosus inveniaris, ne recreationis vanas ambias, ut clarè sincereque cum Superioribus non agas. Hæc enim si in te inveniantur, & ipse sis huiusmodi, nulla tibi Societate Religio difficilior & gravior videbitur. At humili, mortificato, verè pauperi spiritu, indifferenti, resignato, & omnem voluntatem propriam exuto, quæcumque in Societate observantur, & facillima & suavissima videbuntur.

Mira contemperatio mor-

14. Æquissimum proinde est, ut DEO nos gratos præbeamus, insigne hoc beneficium ac gratiam, quod nobis præstitit, gratissima recordatione recognoscendo: nimirùm, quòd, cùm in Societate res occurrant ex se perdifficiles & arduæ; eas tamen ipse tam suaves, & factu faciles nobis reddiderit. Etenim, quæ Dei bonitas est, exteriores etiam pœnitentiæ frequentiores & usitatiores in illa sunt, quàm ulla regula certa potuissent præscribi, uti suprà dictum est: Quoad interiores verò & mortificationem (quæ, Sancto Augustino teste, prioribus dignior & excellentior est) habemus in Regulis & Constitutionibus nostris tantæ perfectionis, & ex se tam difficilia præcepta, ut longissimo post se intervallo omnes austeritates & pœnitentias exteriores relinquant.

tificationum Extern. & Internarum in Soc. Iesu.

Quid in Societate statutum circa mortificationem & indifferentiam.

15. Quod si quis inficias iverit, rem ad oculum demonstrabimus. Ac primum, an non evidens est longè, jejunio, flagellis, & cilicii gestatione, ex se difficilius esse. *Superiori, Præfecto vé rerum spiritualium, perfectam omnium quæ ad animum quomodocumq; spectant, omnium inquam motuum, tentationum, pravarum propensionum, universorumq; defectuum atque imperfectionum suarum, rationem reddere;* quæ certè res in Societate nostra adeò & expetitur, & usurpatur, ut una de substantialibus eiusdem sanctionibus & institutis esse censeatur. Item illud quod aliâ regulâ præscribitur: *Ad maiorem in spiritu profectum, & præcipuè ad maiorem submißionem & humilitatem propriam contentus esse quisque debet, ut omnes errores & defectus ipsius, & res quæcumque, quæ notata in eo &*

Can. 17. Congreg. V. general. reg. 40. summar. & 4 commun.

Regula 6. Summarii; Resignatio ad ius famæ tuendum.

eo & observata fuerint, Superioribus per quemvis, qui extra confessionem eas acceperit, manifestentur? Res ea certè per se est eiusmodi, ut excellenti ad eam practicandam opus sit humilitate & mortificatione: quòd nimirum non conqueraris, quòd delator te prius huius rei non commonuerit, aut defectum plus æquo exaggerarit. Sed nec hoc quidem sufficit. nam & paratus esse debes publicè reprehendi, & non modo erroris verè admissi, verùm etiam falsi. Quinimò, cùm falsa adversus nos testimonia depromuntur, vult nos S. Pater Noster non solùm ea moderatè patienterque sed & cum gaudio sustinere, nullâ à nobis occasione eorum datâ: atque ut mundani homines de honore & magna nominis sui æstimatione sibi gratulantur, ita nos infamia, injuriis & contemptu nostri summopere lætari quoad se. Ad quæ quanta animi opus sit virtute, nemo non videt.

Indifferentia ad officia & gradus.

Indifferentes præterea simus oportet ad quodlibet officium, ministerium, functionē, cui nos Superior volet applicare, & ad quemcumque votorum suorum gradum nos Societas cooptare volet. Cumq; in ea tam diversæ sint functiones ac gradus, & horum unus altero sublimior; sanè ut ad infimum eorum suscipiendum paratus sis, & tam in illo contentus vivas, quàm si ad summum evehereris; res est maximæ perfectionis, & ad quam consequendam ac rectè exequendam insigni opus est mortificatione.

Indifferentia ad locum.

Semper præterea accinctus paratus, ac valdè dispositus, & indifferens esse debes, ad in quamcumque orbis partem, illorum ministeriorum exequendorum causa, proficiscendum: nec solùm ad aliud Collegium, sed & ad aliam Provinciam, aliud itē regnum, in Indiam tam Orientalem quam Occidentalem, Romam, in Germaniam, Angliam, Transsilvaniam, ubi omnis in perpetuum parentum, consanguineorum, & amicorum videndorum tibi spes sit præcisa, uti & illis vicissim tui unquam revidendi.

Paupertas in Societate quomodo observetur.

Paupertatem porro Societas tam exactè & strictè observat, ut nulli liceat in cubiculum ullas delicias cupediasve admittere, vel habere. nec solùm ad esum, sed ne librum quidem, in quo vel minimam lineam ducere possit, vel secū, cùm aliò profecturus est, deferre. Ad hæc, ita à rebus omnibus denudatos & expeditos esse nos oportet, ut (quemadmodum in tractatu de paupertate, pluribus dicturi sumus) nec sera, nec clave in arca pluteóve rem aliquam occludere nobis liceat; sed omnia in propatulo præposita & aperta esse debeant, tamquam si intrare volenti disertè quisque diceret, Accipe si velis, neq; enim id meum est.

3. p. tract. 3. cap. 7.

Rigor in Societate quantus.

16. Hæc aliaque id genus, quæ in Societate frequentia sunt, satis ostendunt, quantum cùm quoad perfectionem, tum sui difficultatem, omnib, exterioribus pœnitentiis & asperitatibus præstent. Proinde quisquis spiritum rigoris adversus semetipsum habuerit, ac se quam maximè mortificare, severasq; subire pœnitentias voluerit (quod certè boni spiritus indicium est) in Societate certè plurimas & maximas isthuc exequendi occasiones

casiones habebit. Et quamquam non defuerint, qui quoad vocationẽ suã tentari, hanc ipsam tentationẽ honesto maioris perfectionis sectandæ, & graviarũ pœnitentiarum in alia Religione subeundarum, pallio cooperire & excusare voluerunt; eventus tamen postea sat docuit, hanc causam vere non fuisse, sed quòd mortificationem ac perfectionem ad quã tendit Societas, ferre non possent. Cuius rei certissimum habemus experimẽtum, & ab his ipsis Societatis desertoribus datum testimonium, & (quod hac in re caput est) ab ipsa sede Apostolica declaratum, à Pio V. inquam, qui antè fuit Ordinis D. Dominici: ita nimirum hic in Bulla quadam, quam pro Societate, contra eiusdem apostatas, vel ad sæculũ, vel ad alium quempiam Ordinem, uno Carthusiensi excepto, transeuntes dedit, declarat. Cùm enim in ea retulisset, *quantam Societatis Iesu institutum perfectionem, difficultatem ac laborem includeret; ipsam tentationis, qua nonnulli vel ad eamdem deserendam, vel ad aliam Religionem transeundum tentantur, radicem declarat his verbis: Nihilominus nonnulli animi levitate, ut credebatur, ducti, ac quietem labori, cui proculdubio Religiosi Societatis huiusmodi pro excolenda & propaganda Christiana religione continuò erant expositi, ac privatum commodum publicæ tã dictæ Societatis, quàm Christianæ reipubl. utilitati indiscretè præferentes, fucatisque coloribus asserentes, se id facere ob fugam meliorũ vitæ, aut strictoris observantiæ, ad alios, etiam Fratrum Mendicantium Ordines transire posse jactabant.* Ex quibus verbis apparet, eos revera, non tam maioris perfectionis sectandæ, vel austerioris pœnitentiæ subeundæ studio, quàm ad laborem difficultatem declinandam, hanc defectionem moliri; quod eas in se vires, animos, ac peculium spiritus, nolint sentire, quibus ad tantam perfectionem ac mortificationem, tantamq; indifferentiam & resignationem, quanta in Societate requiritur, opus est.

Bull. Pii 5.

17. Hæc ergo causa fuit, cur S. P. Noster mortificationem hanc tam impensè filiis suis commendarit, nolsque in illa jugiter exerceri, & bene fundari, & circa eam uniuscuiusque nostrum studium continuò versari voluerit.

Conclusio.

Caput VIII.

Mortificatio non est odium, sed verus amor, non animæ nostræ solum, sed & corporis ipsius.

1. Quoniam verò suprà diximus, & quidem ex Sanctorum Patrum in Evangelii vestigiis insistentium doctrina, *nos ipsos odisse & abnegare nos debere*; id autem durum & naturæ nostræ inprimis contrarium videatur; idcircò, nequis hoc audito percellatur, hincque aliquam animo cadendi, & mortificationem omnem fugiendi ansam sumat; paucis hic ostendam, hoc non tam odium & detestationem esse, quo nobis ipsi malè velimus, sed sincerum amorem, non animæ solùm, sed & corporis nostri: contrà, nos non mortificare, verùm esse odium, non animæ solùm, sed

Odiũ est duplex, nempe malum & bonũ.

sed

Serm.6. de verbis Apoſtoli. Gal.5.17.

ſed & corporis. Teſtem dicti offero S. Auguſtinum, qui ſuper illa Apoſtoli verba, *ſpiritus concupiſcit adverſus carnem*, ſcribens, *Abſit*, ait, *fratres mei, abſit ut ſpiritus concupiſcendo contra carnem, oderit carnem.* Quid ergo hic odit? *Vitia carnis odit, prudentiam carnis odit*, omnem eius aſtutiam, malas inclinationes, illam eiuſdem repugnantiam adverſus rationem, *contentionem mortis odit*: carnem potiùs amat, dum eam mortificat, eique adverſatur: perinde ac medicus ægrotum non odit, ſed ſolùm morbum, & adverſus illum arte ſua inſurgit, ægrum diligens potiùs, quam odio habens.

Lib. de morib. Eccl. c.26 & l.14. de Trin. c.14

Quid ſit odium.

2. Sic autem id ſanctus hic Doctor probat: Amare quempiam, eſt ei bonum velle, ut docet Ariſtoteles; odiſſe verò eſt ei malum aliquòd optare. Iam, qui corpus ſub rationis jugum cogere, ipſiuſque appetitus & inordinatos motus & concupiſcentias cohibere connititur, ſummum & maximum ei bonum procurat, æternam videlicet requiem & gloriam: itaque hic verè ipſum amat. Qui verò de eo mortificando & ſubigendo non laborat, ſed ipſum effuſis in malas ſuas inclinationes, & appetitus habenis ferri ſinit, ei maximum, quod quidem ei velle & procurare poteſt, malum optat, ſempiterna ſcilicet apud inferos ſupplicia igneſq; æternum duraturos.

Corpori indulgens, verè ipſum odit.

Pſa.10:6.

3. Hic ergo verè corpus ſuum odit & deteſtatur. Vnde benè Propheta: *Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam*: etenim æternos illi cruciatus accerſit & conciliat. Pari modo & eandem ob cauſam, cum S. Auguſtino, dicere poſſumus, eum *& corpus ſuum odiſſe*, cùm idem ei malum damnumque procuret ac cauſetur immenſum. Hac quoque ratione ducti Theologi, docent juſtos & bonos maiore in ſemetipſos amore ferri, quàm peccatores & malos, non ſolùm quoad animam, verùm etiam quoad corpus, eò quòd verum ei bonum procurant cæleſtem, inquam, beatitudinem, cuius & corpus aliquando modo ſuo particeps fiet. Additque, ob eamdem cauſam, S. Thomas, juſtos corpus ſuum non etiam qualicumque amore, ſed amore charitatis, qui altiſſimus & eminentiſſimus amoris eſt gradus, diligere.

S.Tho.2.2. q.25. art.5.&7. Ar.5. ad 2.

Simile ab ægrotis petitum.

4. Videre, id eſt in duobus ægrotis, quorum unus pro libitu comedit & bibit quidquid ſapuerit palato, incidi venam ſibi non patitur, catapotia averſatur, omnemque medicinam fugit: alter verò ſuo in morbo ſe circumſpectè gerit, diætam ſervat, & ut fame ſitique propè conficiatur, nihil cibi potuſvé admittit, catapotia nulla averſatur quantumlibet amaricantia, venæque inciſionem, quamvis non ſine dolore, libens patitur. Liquet ſanè, hunc præ illo vitam, corpus ſalutemque ſuam magis amare: quia, quò illam tueatur, conſervet, & recuperet, parvum ſubire laborem, inediam & amaras medicinas patiendo, non detrectat; illum verò, pauxillum laboris ſubire, & ſitim modicam tolerare detrectando, ſemetipſum necare meritò dicimus. Eodem planè modò ſe in præſenti materia res habet. Sic quoque aliàs S. Berna-

Corpus odit qui illud delicatè pascit: non contra.

S. Bernardus sæcularibus quibusdam indignantibus & frementibus quòd sectatores ejusdem tam severè corpus suum haberent, quasi ipsum capitali odio prosequerentur, respondit; cùm dixit, ipsos qui hæc dicerent, & sic sentirent, potiùs corpora sua odisse; cùm, quò illis modicum sensualis voluptatis, ac delectatiunculæ pauxillulum indulgeant, æternis illa suppliciis addicant & victimam mactent; fratres autem suos verè illa amare, utpotè qui parum & ad modicum ea affligendo, sempiternam illis quietem pararent.

Testimonia pro doctrina præmissa.

5. Hanc sanè veritatem jam olim in Evangelio nos docuit Redemptor noster Jesus. Cùm enim dixisset: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*; statim dictorum rationem subnectit: *Qui enim voluerit animam suam salvam facere perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* In quæ verba sic commendatur S. Augustinus: *Magna & mira sententia, quemadmodum fit hominis in animam suam amor, ut pereat; odium, ne pereat. Si malè &* inordinatè *amaveris, tunc odisti; si benè oderis, tunc amasti*; quia tunc eam servas in vitam æternam, ut idem Redemptor alio in loco testatur: *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Concludit verò tandem Sanctus hic Doctor: *Felices qui oderunt custodiendo, ne perdant amando. Noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita.*

Matt. 16. 24.

Tract. 5. 1. in Ioann.

Ioann. 12. 25.

6. Aliam ad rei hujus confirmationem rationem adducit idem Augustinus: *Non desinit*, inquit, *aliquid amare is, qui aliud præ illo ardentiùs amat.* Et adfert ad hoc declarandum duas similitudines. Certum est enim, illum pedem & brachium suum amare, qui illa sibi resecari patitur, cum hæc sectio ad vitæ conservationem necessaria judicatur. Valdè quidem & impensè illa membra diligit, at vitam impensiùs: quocirca libenter jacturam patitur minoris, ne subeat detrimentũ majoris. Constat quoque avarum miro pecuniæ studio teneri, ejusque conservandæ amore plus æquo inardescere, nihilominus eam erogare, & domo velut proscribere, ut panem & quicquid ad vitam trahendam necessarium est, eâ coëmat. Quantumvis enim nummos amet, vitam tamen habet cariorem, unde libenter impendit quòd minus est quo quid majus est, tueatur. Pari ergo modo suam non desinit homo carnem amare, dum illam mortificat; animam tamen & vitam æternam plus amat: quia verò ad majus animæ bonum, & ad perfectionem, simul & vitam æternam consequendam, caro mortificanda & rigidiùs habenda est, ideo eam mortificat & malè habet. Quamobrem non est id, odium, nec amoris defectus; sed intensior tum Dei, tum animæ propriæ & perfectionis amor.

Lib. de doctrin. Chr. c. 25.

Potest quid præ alio diligi.

Caput IX.

Qui de carne mortificanda non laborat, non solùm spiritualem vitam non vivit, sed ne rationabilem quidem.

Serm 18. in Ioann. Triplex est vita.

1. TRiplex vitæ genus statuit S. Augustinus; vitã bestiarum, vitam Angelorum, & vitam hominũ. Prior illa bestiarum tota in sensualibus & terrenis rebus, appetituumque naturalium complemento occupatur: Angelorum, Deo rebusque cælestibus duntaxat detinetur: hominum verò inter duas illas media est; quòd homo cum natura tum illarũ, tum horum, aliquam communionem habeat. Si enim secundùm spiritum vivat, Angelorum se similem & socium reddit; si secundùm carnem, se bestiis assimilat, & fit bestialis. His suffragantur quoque verba S. Ambrosii: *Qui secundum carnis appetentiam vivit, caro est: qui secundùm præcepta Dei, spiritus est.*

Adhæsit pavimẽto anima mea. Ps. 118. octonar. 4. in illa verba.

Immortificati qua vita vivãt.

2. Quapropter qui carnis appetitibus morem gerit, non solùm non vivit vitam spiritualem, sed ne rationalem quidem hominis, ast animalem & brutalem. Vel unum hoc certè, animos nobis addere deberet ad mortificationi totis viribus incumbendum. Quid enim generositate & excellentia hominis, ad imaginem ac similitudinem Omnipotentis, utque eodem æternùm frueretur, conditi, esse potest indignius, quam ut brutis ac pecudibus similis efficiatur, se rei tam vilis & bestialis (id est carnis & sensualitatis) servum ac mancipium reddendo, juxta ejus impetum, impulsum, nutum vivendo, ejusque infami & pecuino se obsequio per omnia subjiciendo?

c. 3. Meditat.

Sensitivum Appetitum homini imperare, est absurdum.

3. Quid magis absurdum & præposterum, teste S. Bernardo, & quæ major *abusio*, quàm *dominam*, id est rationem, quàm imperare & dominari oportebat, *ancillari*; *& ancillam*, carnem, inquam, *dominari*? Hęc scilicet, est monstrosa illa inordinatio & inversus ordo, quam olim vidisse se testatur sapiens: *Vidi servos in equis velut dominos, & principes ambulantes super terram quasi servos* & turpiter famulantes. Quàm visu portentosa, inquit P. M. Avila, & admirationis plena res foret, si quæ bellua freno hominem circumduceret, & quocumque vellet ageret, illud inquam regeret, à quo regi ipsa deberet? Tales porrò, brutalium scilicet concupiscentiarum suarum freno frenati sunt plurimi, magni æquè ac parvi: qui quia numero infiniti, hinc vix ad hoc reflectimus, nec quemquam nostrum monstrosa illa fęditas exterret, aut in admirationem rapit, quòd ipsum etiam majore commiseratione dignum. Diogenem (qui cum ferunt, cùm accensâ pleno meridie lucernâ, in foro Atheniensi quasi quid quæsiturus oberraret, interrogatum quid quæreret, respondisse, se hominem aliquem quęrere. Inferentibus verò aliis, forum hominibus plenum esse, proinde frustra quærere, retulit, non homines eos esse, sed bestias: neque enim hominum eos vitam vivere, sed bestiarum concupiscentiarum suarum

Eccl. 7. 10.

Ca. II. sup. audi filia.

rum belluinarum motum impulsumque sequendo.

Absurditas eadē declaratur.

4. Aliam scitam, at rei propositæ declarandæ peraccommodam, similitudinem adfert S. Augustinus: *Qualis est*, inquit, *in oculis hominum, qui universis pedibus ambulare videtur*; quòd certè ridiculum & histrionicum est; *talis est in oculis* Dei & *Angelorum, cui caro propria dominatur*, & in quo ratio ancillatur quisquis hujusmodi est, inversus ambulat pedibus nimirum sursum, capite deorsum verso. Jam verò, quem ita præposterè incedere non pudeat? Etiam Seneca in profunda gentilitate fœditatem hanc vidit, & obstupuit: unde divinam hanc sententiam protulit: *Major sum, & ad majora genitus, quàm ut mancipium sim mei corporis.* Aurea sanè verba, & digna quæ Religiosus Christianus quilibet cordi quàm profundissimè insculpat. Si enim Ethnicus solâ rationis luce prælucente, ita sensit, & fœditatis hujus eum puduit; quid facere par est Christianum lucidissimo lumine fidei illustratum, quid Religiosum tot Dei benedictionibus & consolationibus præventum & abundantem facere oportebit? Unde S. Augustinus dicere non meretur, eum quem hujus turpitudinis non pudet, quique eam non sentit, rationem ac iudicium planè turbatum habere. Et erit hoc aliud & novum monstrum longè quàm prius admiratione dignius, quòd scil. homo in bestiam sit mutatus, ne id tamen sentiat, nec animadvertat.

Ser. 50. ad frat. in eremo.

Epist. 65.

Li. contr. Mendac. ad Consortium.

5. Refert Galenus à se puero visum hominem, qui magna cum festinatione januam quamdam clave aperire conabatur; sed contrà ac sperabat, ei accidisse etenim, quantumlibet conniteretur, januam aperire non potuit; qui quia in tanta festinatione omnem operam ludebat, in eam rabiem actus est, ut & clavem dentibus commordere, & fores calcibus impetere cœperit. Nec hic furor ejus stetit: mox enim execrandas in divos diras evomere, spumam ore furibundo undiquaque ejectare, & ad instar lymphatici rabire cœpit, ut oculi ei præ furore suis è sedibus excutiendi viderentur; Hæc videns Galenus tale se tunc adversus iracundiæ vitium ait odium & horrorem concepisse, ut exinde eum nemo mortalium viderit iratum, ne priori illi similis evaderet. Quæ omnia ad animum si revocemus, stimuli loco nobis sint oportet, ad hominum ratione præditorum more vivendum, nec patiendum, ut carnalium appetituum impetus extra rationis limitem nos abripiat. S. Hieronymus in illud S. Jobi, *Vir erat in terra Hus nomine Iob,* scribens, verè eum ait virum fuisse, eamque sui dicti dat rationem quam ipsi jam dedimus: *Non enim terra carnis ejus animam ipsius superabat, sed imperantis animi consilio cuncta faciebat*; juxta illud Dei monitum,

Subter te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.

Exemplum. *Lib. de curandis animi morbis.*

S. Hieron. Iob. 1, 1.

Gen. 4. 7.

Caput X.

Operosius & laboriosius est mortificationem suiipsius omittere quàm ei studere.

Objectio ni de difficultate occurritur. *ex S. Basilio.*

1. OBjiciat hîc fortè quis: Video quidem ad oculũ quã mortificatio sit utilis, & quantopere necessaria: sed, cùm mihi difficultatem, & qui in ea situs est, laborem ob oculos pono, ab eadem sectanda quodammodo deterreor. Huic objectioni *Primò*, cum S. Basilio respondeo: si corporalis valetudinis recuperandæ ergò potiones quantumlibet amaras æquo animo sumimus, patimurque ut medicus vel chirurgus prout voluerit secet, vel canterium faciat. *Adhæc* si opum coacervandarum causa, tam evidentibus se homines terra marique periculis, ac difficultatibus subeundis exponant; par certè ac rationi consentaneum fuerit, ad spiritualem animæ nostræ sanitatem recuperandum, & gloriæ perpetuò duraturæ præmium ac thesaurum comparandam, aliquam nos difficultatem subire, ac modicam devorare molestiam.

In reg. fusiorib. reg. 52.

Aliter eidem occurritur. Laboriosius esse nõ mortificare se, quàm mortificare.

2. Verùm, quia naturali quodam horrore laborem omnem gravantem fugimus, &, cùm jam necessariò aliquid nos pati oporteat, ipsum vellemus ut quàm minimum & levissimum esset; hinc dico secundò, longè homini laboriosius esse mortificationem declinare, quàm eamdem subire. Nam S. Augustinus ait, *Iussisti Domine, & sic est, ut pœna sibi sit omnis animus inordinatus.* Illa scilicet inordinatio & lucta, quam quis in se sentit, appetitus adversus rationẽ, & rationis, adversus Deũ, immane homini tormẽtũ & inquietudine adfert.

Li. I Conf. c. 12.

Inordinata inquietane.

3. Quod omnibus in rebus generaliter usuvenire constat, quid enim tandem in mundo est, quod, si in ordine non debito inveniatur, naturaliter non inquietet ac turbet? Os enim loco suo motum, quos non dolores excitat? elementum, extra naturalem suum locum & sphæram dũ invenitur, quam patitur violentiam? Cùm igitur homini ratione prædito tam proprium & naturale sit, juxta rationis præscriptum vivere; quomodo, si inordinatè & contra rationis dictamen vitam instituat, natura ipsa reclamabit, & propria eum conscientia lancinabit? Vnde bene S. Iob: *Quis restitit ei* (Deo) *& pacem habuit?* neque enim in huiusmodi vita pax aut quies esse potest. Sic quoque S. Ioannes in Apocalypsi scribit, eos qui bestiam adorabant, nullam die noctevé quietem habuisse. Sic si carni ipse tuæ & sensualitati, truculentæ illi bestiæ, servias, nullam quietem aut pacem usquam invenies.

Iob 9. 4.

Apoc. 14. 11.

Sanitas Hominis ex sanitate corporis declaratur.

4. Medicorum axioma est, *bonam corporis valetudinem & dispositionem in recto inhumorum temperamento & proportione sitam esse:* unde dum hi proportionem & temperamentum naturale quam habere debebant, amiserunt, morbos & dolores varios creant: at, cùm debitè temperati ac proportionati sunt, bona corpus universum gaudet valetudine, hique in eo

in eo membrorum omnium vigorem,& exteriorem quamdam oris hilaritatem causantur. Pari modò universa animæ nostræ salus,bonaque dispositio in recta passionum, quæ ipsius velut humores sunt,proportione moderationeque consistit: quæ ubi debitè temperatæ & mortificatæ non fuerint,morbos spirituales progignunt; sin autem benè compositæ. anima rectè valet, & in bona dispositione est,quæ in homine eam habente insignem mentis serenitatem & quietudinem causatur.

Animæ pax à Passionũ mortificatione.

5. Aiunt præterea,& sanè verè,id in animo nostro esse passiones, quòd in mari venti ac turbines: ut enim hi illud inquietant & exagitant, sic passiones inordinatis appetitibus ac motibus suis animum, Modò quippe exsurgit passio iræ, quæ eum perturbat & inquietat; modò in nos spirat procellosus superbiæ ac vanæ gloriæ Boreas; modò nos abripit præceps impatientiæ & invidiæ turbo. Meritò proinde dixit Propheta: *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest* à tempestate exagitatum; at, illa cessante, mira gaudet malacia: *imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna.* Consimili ratione, si passionum & appetituum tuorum ventis imperare ipse noveris, eosq; ad quietem componere, mortificando, & rationis frenis eos coërcendo,protinus optata frueris malacia, quiete, & tranquillitate: at si de iis mortificandis minimè labores, tempestatibus in diversa distrahêris.

Passiones sunt veluti venti turbulenti.

Isa. 57. 20.

Matt. 8. 26.

6. Verùm, ut clariùs adhuc elucescat,maiorem subire laborem, & ponderosiorem crucem in humeros tollere, eum qui mortificationem subterfugit,quàm qui in eam incumbit; ad casus particulares, in quibus idipsum quotidie reipse videmus, descendamus oportet. Vide,obsecro,quo te modo dispositum sentias, cùm ab iræ impatientiæve passione te passus es in transversum abripi, cùm in fratrem verbum aliquod acerbius protulisti, vel quid aliud incompositum,scandalosum, malique exempli commisisti: quantum tristitiæ,turbarum,inquietudinis, & molestiæ tunc sentias. Dic mihi,an non plus tunc in animo pœnæ, maioremque crucem experiaris, quàm forsan sensisses in linguam, & iræ tuæ impetum coercendo? minimè dubium. Considera deinde, quanta sit anxietas,suspiciones, ac timor immortificati alicuius Religiosi,qui ad omnia, quæ superior circa ipsum volet disponere, indifferens & resignatus nõ est. Vel una sola res, à qua animus abhorreat,sufficit, ut in cõtinua cruce,dolore, anxitudine versetur. hæc enim perpetuò, & præ reliquis mentis illius oculis obversatur: & quamvis Superioribus, ne de longè quidẽ, in mentem veniat, illum eiusmodi officio applicare: quia tamen id eiusmodi est, ut possit ac soleat injungi, hinc perpetuo miser hic pavore & suspicione anxius jactatur, ne id sibi aliquando imperetur. Atque ut homini malè affectum & saucium pedẽ habenti videtur, quidquid demum deforis occurrit, in eam partem impingendum: ita parum mortificatus

Verè Passiones se qui magnorũ dolorum est seminarium.

Religiosus putat omnia in partem illam quam malè affectam habet, incursura, in eaque se sauciandum. Verùm qui mortificatus, indifferens, & ad omnia iniungenda resignatus est, semper gaudet, semper hilaris est, nihil habet quòd extimescat.

Superbus quam sit inquietus.

7. Consideres quoque velim, quanto perturbationum, pœnarum, & inquietudinis æstu jactandus sit superbus, cum se jam velut in angulum retrusum, præteritum ac neglectum videbit, nullam sui rationem haberi, nulla sibi speciosa honorifica, magnique nominis negotia muniave, prout quidem ipse desiderabat, concredi. Adhæc, ecquæ illius sit mētis anxitudo, quis timor, cùm huiusmodi quid illi injungetur, cumq; in publico aliquid ei obeundum erit, quando nempe anxiè secum disquiret, quis rei huius sibi sit futurus successus, num, è quo honorem sibi & sui existimationem sperabat secutura, inde forsan ignominiam referat & infamiam. Sic propria illum superbia omni ex parte lancinat & excruciat: vita sane miserrima. Idem est de reliquis vitiosis affectibus sentiendum. Tuæ ergo passiones tui sunt carnifices & tortores, qui identidem te excruciabunt, usque dum illas subigere & mortificare incipies. Atque verissimum id est, sive adimpleatur quod quis sibi propositum habet, sive non. Quamdiu enim non adimpletur, hoc quod tamdiu differtur, desiderium mirè animam affligit & excarnificat; juxta illud: *Spes quæ differtur, affligit animam.* Et ne tum quidem, cùm jam desiderio illius fit satis, & voluntati mos geritur; doloris expers erit, sed etiam hoc ipsum eum torquebit & lancinabit, dum sic secum recogitat: Iam tandem facis quod volebas, desiderio ac voto tuo satis factum est; ast, nullum inde colliges meritum, quia id pro lubitu tuo facis, & quod ipse sic volueris. Omnia ergo ei in amaritiem & absinthium convertuntur.

Prov. 13. 12.

Vermis consciētiæ rodit passionatos & immortificatos.

8. Hic accedat jugis conscientiæ remorsus, quem ubivis circumfert qui mortificationi non intendit, nec pro eo ac debet, partibus suis fungitur. Quo enim gaudio, quavé mentis quiete perfruatur Religiosus ille, qui, cum alia de causa Religionem non sit ingressus, quam ut profectui proprio invigilet, & ad perfectionem vitæ tendat, de nulla re minus quam de ea sollicitus est? certum est, eum jugi in anxietate & dolore vitam traducturum. Quod ipsum de singulis in suo statu dicere possumus. Etenim vermis ille conscientiam rodens (quem numquam non circumferimus) si munere ipsi nostro prout oportet, non fungamur, viscera nostra perpetim arrodit & depascit. *Ponantur*, inquit R. P. M. Avila, *in una libræ lance labores & molestiæ, quos quis in cum magna diligentia & spiritus fervore vivendo, mortificationiq; studendo subire queat; in alia verò illi, quos tepidus, negligens & immortificatus subit ex eo, quòd priores illos ferre nolit; haud dubiè hos præ illis millecuplo graviores deprehendes.*

In Epistol.

Feruldus plus capit voluptatis è

9. Mirabile certè est; plus jucunditatis & voluptatis sentire eum qui Domino naviter ferventerque servit in vi-

vigiliis quàm tepidus è recreationib.

in vigiliis, orationibus, & omni quicumque occurrit labore & mortificatione, quàm tepidus & remissus in loquendo, fabulando humanis consolatiunculis, & propriæ voluntati morem gerendo. Exteriùs quidem tepidus ridet & plaudit, intus verò plangit & gemit: justus deforis plangit, in corpore ridet & exhilaratur. Vnde ait Sapiens: *Iter pigrorum* & tepidorum quasi *sepes spinarum.* Quod ipsum, per Oseam prophetam, se facturum comminatus est Deus, *Ecce ego sepiam viam tuam spinis.* Delectationibus quippe & sensualibus voluptatibus immiscuit tristes conscientiæ remorsus, recreationibus amaritudinem, propriæ voluntatis executioni dolorem & cruciamentum. In his enim reperit tepidus & languidus spinas, à quibus cor eius compungitur & sauciatur. Iustorum verò via plana est, & salebrarum expers. *Via justorum absq; offendiculo.* Quanta Deus bone, animi pace & gaudio fruitur Religiosus fervens, mortificatus, de profectu suo seriò sollicitus, & boni Religiosi partes exactissimè adimplens! nullam huic similem in mundo pacem reperire est. Id quod quotidie in nobis ipsis experimur; cùm enim in Dei servitio navos & sedulos nos præbemus, summa gaudemus pace & mirè exultamus; cùm verò segnes, torpidi & negligentes stertimus, ingens nos tristitia & mœstitudo occupat. Atque hæc sæpè causa est omnis nostræ tristitiæ desolationis, & fastidii spiritualis, ut suo loco uberiùs disseremus. Itaque minorem laborem effugere volens, incidit in alios graviores & maiores. Nam *qui timet pruinam, irruet super eum nix.* Dicebas te, laboris declinandi ergò, mortificationem omisisse; ego ex adverso dico, vel ob eam saltem causam oportuisse te illius exercitio insistere, ut nimirum per eam in pace ac quiete animi viveres, etsi aliud ea bonum non includeret; quanto verò magis, cùm innumera includat?

Prov. 15. 19.

Osee. 2. 6.

Prov. 15. 19.

Tract. 6. c. 4. & 6.

Iob. 6. 16.

Caput XI.

Incipit tractatus de exercitio mortificationis.

Abnegatio propriæ voluntatis mortificationi viã præstruit.

1. PRimum maximeque potens, quod à nostra ipsi parte, ad hanc mortificationem plenamq; de nobis ipsis victoriam consequendam, adferre possumus, medium est, identidem nos in propria voluntate abneganda, in appetitibus nostris resistendo; in omnem carni nostræ recreationem & delectationem subtrahendo, nec usquam ei indulgendo, exercere: hoc enim pacto natura paulatim subigitur & edomatur, vitia & passiones evelluntur; virtus econtrà introducitur ac fit valentior. Perutile hac in materia monitum suggerit S. Dorotheus: Cùm, inquit, oppugnaris aut affligeris ab aliqua vitiosa passione vel cogitatione, si ad actum illam perducis & opere comples, scias passionem illam robustiorem adversus te fieri, ut magis te oppugnet & affligat.

Serm. 15. in biblio. the. Patrũ tom. 3.

Vitiũ enervatur, dũ ei resistitur.

2. At si contra eam certaveris, & huic cogitationi & vitiosæ passioni te oppo-

opposueris, debilitatur vitium illud & cogitatio, atque ad oppugnandum & affligendum te deinceps impotens fit & invalida. Est hæc permagni momenti doctrina, etiam quoad tentationes, idque ob eandem rationem, uti suo loco ostensuri sumus. Permagni quippè refert principiis obsistere, ne nos prava consuetudo jam usu aliquo corroborata, paulatim in maiorem difficultatem pertrahat.

tract. 4. c. 6.

Simile ab equo indomito.

3. Docent verò communiter SS. Patres, ita nos corpus hoc nostrum tractare debere, ut eques equum durioris & sternacem: ut enim hic industria sua, & violentia adhibita illum tandem compescit, condocefacit, & quocumque ac quomodocumque eum voluerit tendere, gressum cogit flectere: Sic infreni impotentique corporis nostri equo frenum perpetuò contrahendum, nec umquam ei calcaria subtrahenda. Hac ratione id tandem sub imperium redigemus, de eo statuemus quodcunque voluerimus, & quocumque illud tendere cupiemus, eò haud invitum sequetur, & quidem eo quo nos imperarimus modo: at, si ipsum frenare & domare nequeamus, aut nolimus, ipsum in nos dominium sibi vendicabit, nosque in aliquod præcipitium tandem dabit, Cùm jumentum defectu aliquo aut vitio laborat, nullum eius tollendi medium potentius est, quàm ad ei non indulgere, nec sinere, ut ipsum aliquoties exequatur. Idem ergo medium & nos adhibere oportet, ad defectus, vitia, pravasque carnis nostræ propensiones edomandas, non permittere, scilicet, ut ipsa quod propositum habet, opere exequatur, sed ei ubivis contradicere, inque omnibus appetitibus ac concupiscentiis ipsius obluctari & resistere.

Ratio, odio habendus est noctis.

4. Vt autem animosiùs & alacriùs hoc exercitium aggrediamur, non mediocriter juvabit, fundamentum illud, quod initio tractatus huius statuimus, identidem præ oculis habere: nimirum, *hominem hunc exteriorem, carnem hanc qua induti sumus, ac sensualitatem, omnium quos habemus hostium, infensißimum & capitalißimum esse, eumq; proinde excidium & interitum nostrum aßiduè moliri, adversus spiritum & rationis impulsum, Deiq; jussa concupiscere.* Vndè primaria causa, ob quam SS. Patres docent, suiipsius cognitionem efficacissimum esse medium ad omnes tentationes elidendas est, quòd qui huic exercitio incumbit, imbecillitate ac miseriâ suâ jam probè cognitâ, mox ut sinistra aliqua cogitatio vel appetitus etiam eminus suboritur; quamprimum perspicit ac deprehendit, tentationem hanc ab hoste suo procusam esse, ipsum vafrè inescare, decipere, & in interitum prolicere cupiente. Quocirca cavet sibi ab illo, creditum ei negat, nec ullatenus auscultat. At qui se ipsum minimè novit, nec de se cognoscendo magnoperè laborat, ad oborientem tentationem non reflectit, nec pro hostili eam habet; præsertim cùm per illam ad suæ inclinationi & gustui arridentia impellitur; imò verò, quòd mera tentatio est, rationi consentaneũ reputat; quodq; sensua-

Cap. 1. & 4.

Hostis nostri naturâ ante omnia nosse oportet.

tract. a frat. de mōte D. Simili declaratur, quomodo inferior Homo tractandus.

sensualitatem redolet, necessitatem interpretatur. Unde etiam facilè ab eadē vincitur & expugnatur. Quamobrem, permultum omnem in partem ad mortificationis praxin juverit, cogitare & recordari te, circumferre te ubivis, & in cute, hostem tuum capitalissimum; ac simul credere, omnes appetitus hos & tentationes tibi suborientes, nonnisi à carne ac sensualitate tua progigni, quę ceu capitalis hostis tuus, nonnisi interitum tibi machinatur, & totale exitium. Atque ita fiet, ut facili negotio te & appetitus illos mortifices, hostemq; sub potestatem redigas. Quis enim hosti suo juratissimo fidat.

Ratio, odio habendus est nocēs.

Cap. 1, & 4.

5. Aliam non minùs bonam huc considerationem adfert S. Bernardus, docetque, perinde nos ipsos & corpus hoc nostrum nobis habendum, sicut ægrotum aliquem curæ nostræ concreditum: cui negandum, etiam enixè & instanter petenti, quod noxium est, quod verò utile, etiam invito & reluctanti, ingerendum, & ut sumat instandum. Certè si nos ipsi ut infirmos & ægros duceremus, semperque cogitaremus, omnes quæ nobis occurrunt, appetentias ac desideria esse ceu delirantium ægrorum somnia atque imaginationes, esse vafras hostis nostri machinationes ac persuasiones, nobis interitum inferre gestientis; quàm facilè eas à nobis repelleremus ac vinceremus? At si non ægrum te, sed sanum te reputes; si nō ut inimicum, sed amicum ducas; in præsentissimo versaris periculo: quomodo enim oblucteris adversus id, quod non malum, sed bonum esse credis, non fraudem & imposturam, sed ipsissimam veritatem?

tract. ad frat. de mōte Dei.

Simili declaratur, quomodo inferior Homo tractandus.

Hostis nostri naturā amici omnia nosse oportet.

6. Rem miram quoad hoc propositum de se refert Sanctus Dorotheus, cùm enim ipse rerum spiritualium suo in monasterio esset præfectus, omnes fratres ad ipsum suis in tentationibus recursum habebant. *Venit, inquit, die quadam ad me de fratribus quidam, & dicit mihi, Da mihi veniam obsecro Domine, & ora pro me, quoniam & furtim surripio, & commedo. Ajo ad eum, Cur istud agis? an fame laboras? respondit: Certè equidem, neque enim mihi satis est quod in communi fratrum mensa exhibetur: nec audeo quicquam aliud postulare. Cui ego. Cur Abbatem non adis, ac nessitatem tuam illi insinuas? Tum ille, Pudore teneor & erubesco. Vis, inquam, ego illum conveniam, & tuam necessitatem illi insinuem? Age, inquit, ut lubet, Pater. Conveni itaque Abbatem, & rem illi totam (ut erat) expono. Abbas verò, Fac, inquit, ut bonum tibi videtur, & curam illius habe. Tunc assumpto illo fratre, ad œconomū me confero, & ajo ad eum. Quâcunque horâ frater ille ad te veniet, da illi ut edat, quantum vult, nihilque prorsus illi denegare velis. Faciebat hoc ille, ut jusseram. Non multos verò post dies, venit ad me iterum frater ille, & ignosce mihi, inquit, Pater: iterum cœpi & furari & furtim comedere: (hoc enim in eo laudandum, quòd statim defectus suos aperiret: quod certè efficacissimum & optimum est medium, ne diu in illis hæreatur) Conversus ad eum: Cur hoc, inquam, agis frater? nū œconomus denegat tibi quod petis? Ait ille, nequaquam, immò quidquid peto, libenter exhibet, sed ego potiùs erubesco, toties*

Exemplum de immortificato. doctr. 11.

eum adire & interpellare. Tunc ego, Erubesceres, inquam, de me, Respondit, Non. Veni ergo, inquam, ad me, & sume quidquid velis, & noli posthac ampliùs furari. Fortè tunc mihi cura erat infirmorum & ægrotantium. Accedebat igitur ad me, & quidquid illi opus erat, sumebat. Post aliquot dies cœpit denuò furari, & venit ad me tristitia & mœrore confectus: En, inquit, Pater, denuò furor. Cur, inquam, mi frater, num denego tibi aliquid ex his quæ petis? Ait, nihil certè. Cur igitur, inquam, furaris? respondit, Ignosce mihi Pater: nescio equidem, cur id faciam. Dic mihi, inquam, revera, quid agis ex his quæ furaris? Respondit, Asino ea appono: atque ita inventũ est, furabatur enim fabas, palmulas, ficus, cæpas, & alia id genus, quæ poterat invenire, quæ quidem omnia, partim sub lectulo suo, partim quocunque alio in loco poterat, occultabat. Demũ cùm quid ex his ageret, non inveniret, ubi putrida & corrupta effecta erant, asino ac jumentis ea apponebat. Hinc apparet subnectit idem Dorotheus, quò miseriarum & infortunii hominem passio & mala consuetudo deducat; & quàm meritò nos ipsos ut ægros & inimicos ducamus. Videbat hauddubiè Religiosus ille, sese in hoc malè facere, commissaque deflebat, & ob eadem animo dejiciebatur; nec tamen se ab eo abstinere, seque retinere, quò minùs iterato in idem vitium impingeret, posse credebat. Quare rectè censuit Abbas Nesteron, eum qui se à passione & mala consuetudine extra debitum abripi sinit, ejus se servum & mancipium reddere.

Vit. Patr.

Caput XII.

Quomodo mortificationis exercitium ad praxin reducendum sit.

1. Cum mortificationis exercitium potissima sit res, quam à parte nostra ad de nobis ipsis, passionibusque nostris atque appetitibus victoriam referendam & imperium obtinendum, adferri possimus, ratio; pretium operæ facturus videor, si jã ad particulariora descendens, declarem, quo istud exercitium modo ad praxin redigere debeamus. Generalis autem ordo & regula, quæ similibus in rebus præscribi solet, est, ut in id ante omnia mentis oculos conjiciamus, & studium conferamus, quò maximè opus habemus; & istud primum sit quod per hoc mortificationis exercitium consequi studeamus.

Ad particularia descendendum est in mortificationis exercitio.

2. Ipsum ergo inchoandum primò ab occasionibus mortificationis quæ se quotidiè & passim offerunt, ut ea ste necesse non sit alibi studio conquirere: sive eæ à parte Superioris tibi quid imperantis, sive à fratribus, sive alia qualibet via tibi in manus veniant. Omnes has occasiones ambabus, quod ajunt, ulnis & gratanter amplectere, easque in rem tuam convertere: ita quippe id necessarium est cùm ad tuam ipsius pacem ac tranquillitatem, tum ad bonum fratribus exemplum dandum & ædificationem aliorum. Et sanè, eum nos hac in mortificatione fervorem præferre oportet

Id mortificandum inprimis à quo maximè impetimur.

portet (cùm tanti nostra ea intersit) ut Superiores etiam rogandi essent, & quibus importunioribus precibus, ut diversimodè nos mortificent, eaque nobis exequenda injungant, à quibus majorem naturæ voluntatisque aversionem ac contradictionem sentimus, nosque quà privatim, quà publicè coarguant, ac pœnis injunctis mulctent.

Ad particularia descendendum est in mortificationis exercitio.

Occasiones se mortificandi plurimæ tibi quotidiè occurrūt à parte Superiorum.

3. Si tamen eatenus fervor tuus non extingat, occurrentes saltem mortificationis occasiones, quasque tibi Deus ad exercitium & profectum submittit, propensè, patienter, & animo libentissimo accepta. Sunt autem eæ plurimæ, quotidieque sexcentæ & ampliùs, nobis hoc in genere velut in manus incurrunt. Undè si quis ad se reflecteret, veroque sui mortificādi desiderio teneretur; aliquam semper illius materiam inveniret. Modò enim circa ea quæ à Superiore præscribuntur, tibi videbitur, quòd laboriosissima quæque tibi semper demandantur, eaq; omnia in humeros tuos conjiciuntur, cùm non desint alii, quibus ea non minùs imponi queant. Deinde suo unicuique in officio semper aliqua occurrunt, quæ eum singillatim cruciant, & mortificationis materia sunt. Has ergo occasiones, quas in manibus habes, in rem tuam converte, iisque utere: ad eas, cùm jam venturæ sunt, te dispone, & cogita, hanc difficultatem crucem esse, quæ tibi, ut sequaris Christum, in humeros tollenda est. Aliàs tibi occurret mortificationis materia in victu, vestitu, & cubiculi utensilibus; gaude proindè quòd pessima ac vilissima quæque semper tibi cedant, ut nos docet regula. Alias, tibi injungetur aliqua pœnitentia, aut commissi alicujus reprehenderis: ac subinde eam tibi non videberis esse promeritus, utpotè nullâ commissâ culpâ, vel saltem non tam gravi pœna dignâ. Subinde quoque aliter tibi res objicietur quàm contigerit, vel ipsa plus æquo exaggerabitur. Tu porrò in his omnibus gaude, nec te excuses aut conqueraris, nec statim modò apud hunc, modò apud illum, factum purgare, teque excusare satagas.

Id mortificandum inprimis à quo maximè impetimur.

Regul. 21. summarii constit. c. 2.

Item ex parte circumstātiarum, & proximorum & fratrū & à parte Dei.

4. Jam, si occasiones mortificationis, quæ nobis ex parte proximi & fratrum nostrorum, quibuscum agimus & conversamur, identidem occurrunt, excutiamus; non pauciores certè eas esse deprehendemus: modò quidem illis eas nec dare volentibus, nec id intendentibus; modò aliquâ ipsorum negligentia & inadvertentiâ interveniente, quamvis absque ulla mala intentione. Aliquando mortificandi tui occasio erit, quod te contemni, negligi, nullamque tui rationem haberi putes. Jam si veniamus ad illas quæ immediatè à Domino descendunt, idque per morbos, tentationes, infortunia, mala nobis contingentia, & differentem donorum ipsius, tam naturalium, quàm supernaturalium distributionem, inveniemus, eas quæ singulis diebus nobis occurrunt, nec subduci, nec dinumerari posse, ut nos necesse minimè sit eas aliundè conquirere.

Materiæ in quib'

5. Hæ sunt materiæ mortificationis, in quibus antè omnia nos

mortificatio noſtri exercenda,

exercere debemus: cùm enim hæ occaſiones neceſſariò ſæpè occurrant, eæque nobis etiam invitis patiendæ ſint; è neceſſitate virtutem faciamus oportet, ut, quoniam illas pati debemus, ſaltem cum fructu aliquo & proventu noſtro ſpirituali patiamur. Deinde præterquam quod per has in ſpiritu multum proficiamus, etiam de ipſis moleſtiis & laboribus, ſi quidem eas gaudenter toleremus, & hilariter ſuſcipiamus, multum diminuemus. Sæpè enim fit, ut quam ſentimus difficultas & labor, non tam in ipſa adverſitate & malo, quam in voluntatis noſtræ repugnantia ac contrarietate conſiſtat: undè, ſi eam gaudentes excipiamus, moleſtiam eius plurimum ſumus mitigaturi.

Mortificationes ultroneæ ſive Activæ, etiam neceſſariæ ſunt Chriſtiano & religioſo. in rebus neceſſariis.

6. Sunt & aliæ mortificationes, quas ipſi ſpontè noſtra & propria voluntate ſuſcipere debemus, quas proinde nonnulli, *Activas*, ad priorum (quæ *Paßivæ* vulgò dicuntur, quòd eas, etiamſi nolimus, pati nos oporteat) diſtinctionem vocant: Sunt tamen & hæ neceſſariæ, unde etiam inter primas mortificationes referri debent. Harum nonnullæ abſolutè omni homini Chriſtiano neceſſariæ ſunt ad ſanctè vivendum, ſalutemque animæ conſequendam: cuiuſmodi eſt, mortificare ſe in omnibus quæ impedimento ſunt, quò minùs Dei mandata obſervet. Aliæ verò, ut quis bonus Religioſus ſit, & ad perfectionem pertingat: cuiuſmodi eſt, mortificare ſe in eo, quod regularum impedit obſervationem, & quo minùs res ſibi iniunctas debitè perfecteque obeat.

Cap. 2.

Certum quippè eſt, non omnia peccata ſolùm (uti antè dictum) ſed & quoslibet defectus atque imperfectiones qui in via virtutis committuntur, nonniſi mortificationis defectu committi. Omnes enim inde ortum habent, vel ut moleſtiam aliquam, quam in bono meliorique exequendo ſentimus, fugiamus & declinemus: vel ne delectatione ac voluptate, quam in malo imperfectové experimur, carere cogamur. Percurramus, ſi lubet, ſigillatim omnia, & deprehendemus, ſi quidem in obedientia, regularum obſervantia, temperantia, ſilentio, modeſtia, patientia, aut alia qualibet re labamur ac deficiamus, id mortificationis defectu fieri, idque ne vel laborem, qui illis rebus annexus eſt, ſubire, vel à voluptate & recreatione, quæ in illarum contrario incluſa eſt, abſtinere cogamur.

Quomodo quis bonus Religioſus & bonus Chriſtianus evadat.

7. Quare ſi bonus Religioſus eſſe, & ad perfectionem aſpirare velis, in hiſce rebus mortifices oportet. Quemadmodum, ut quis bonus Chriſtianus ſit, ſalveturque, mortificet ſe oportet in omnibus quæ contra Dei legem concupiſcit. Atque ideo Redemptor in Evangelio diſertè pronunciavit: *Qui vult poſt me venire, abneget ſemetipſum*, quare ſi ſe in hoc non abneget nec mortificet; nō faciet ut bonum Chriſtianum decet, nec ſalvabitur. Ad eundem modum ut bonus Religioſus evadas, & ad perfectionem tendas, mortifices te oportet in omnibus quæ quoad hæc tibi impedimento ſunt. Percurre ergo

Matt. 16. 24.

ergo apud temetipsum omnia totius diei opera, jam inde à mane usque ad vesperam: ac dispice, quid te in regularum observantia, & rerum quotidianarum debita perfectaque executione impediat: molestiam si quæ hîc occurrit, evince, ac mortifica te in voluptate illa, quæ in causa est ut opus tuum malè imperfecteq; obeas, ita fiet ut opera tua quotidie meliora perfectioraque evadant, ipse quoq; à parte tua melior ac perfectior. Tota porrò profectus nostri summa ac ratio in hoc sita est, ut tandem aliquando hac in parte nos resolvamus.

8. Percontatus olim est nescio quis: *Ecquænam causa est, quòd una ex parte bona ad virtutem desideria mihi* Deus *inspiret; ex alia verò, cum eius exercendæ occasio jam adest, me debilem sentiam, atque in multos incidam defectus, itaq; numquam perfectionis metam attingam?* Responderunt permulti, id è considerationis defectu proficisci: si enim, inquiebant, hæc illavé ad animum revocares & considerares, haud dubiè illis juvareris. Vnde ei plurima considerationis puncta suggesserunt, sed nihildum inde proficiebat. Venit tandem ad senem quendam hac in re mirè exercitatū: qui id nō tam considerationis, quàm serii propositi ac resolutionis defectu dixit contingere, hancque esse exigui profectus causam. firmiter ergo apud temetipsum propone te in iis quæ jam diximus, mortificare, & ita fiet, ut ad perfectionis metam tandem sis perventurus.

CAPUT XIII.

Quomodo in rebus licitis, quin & necessariis, nos mortificare debeamus.

1. NIhil aliud circa mortificationis praxin atque exercitium restare dicendum videbatur, quàm ut illud duplici illo modo, quem Superiori capite deduximus, seriò naviterque exerceamus: hoc quippè si fecerimus, sufficiet ut in bonos ac perfectos Religiosos evadamus. Verumtamen, ut illos meliùs obeamus, adeoque expeditiores & magis dispositi inveniamur; aliud Sancti Patres, & vitæ spiritualis magistri, mortificationis exercitium in rebus, quas ceteroqui licitè facere nobis liceret, constituunt. Quemadmodum bono Christiano satis non est, facere ea quæ obligationis sunt, quæque ad salutem consequendam necessario ei facienda incumbunt; sed his addit & alia *devotionis opera*, quæ à Theologis *supererogationis* dicuntur: neque enim sufficere sibi putat, iis diebus, quibus necessariò interesse tenetur, sacro intersit; sed etiam sæpiùs per hebdomadem ei interest, sæpè quoque calculos Deiparæ percurrit, frequenter sacramenta Confessionis & sacræ Communionis usurpat: sic bonus Religiosus non debet nuda regularum suarum observantia, & sola eorum, quæ ad earum impletionem requiruntur, mortificatione contentus esse, sed alias prætereà supererogatorias mortificationes, ad quas è

Etiam in licitis mortificatio datur, quasi super erogatoria.

præscripto regularum minimè tenetur conquirere, mortificando scilicet se in nonnullis rebus non necessariis, sed liberis, quasque licitè alioqui facere posset.

Ser. I. de obedien. & propr. volun. negat.

Encomiũ mortificationis super erogatoriæ.

2. Docet S. Dorotheus nihil ad solidum in virtute progressum faciendum, pacemque ac tranquillitatem animi comparandam æquè conferre, ac voluntatis propriæ abnegationem; simul & modum licitis in rebus, quas aliàs liberè facere possemus, nos mortificandi proponit, & ad hæc exempla in particulari descendit. *Inter ambulandum, titillat animum cogitatio, caput flectendi in partem alteram, circumspiciendique, quid isthic rerum agatur.* Ne feceris, inquit, *Dum colloqueris aliis: incessit te cupiditas, addendi colloquio quidpiam, proposito valdè accommodum, ex quo prudens audias.* Cave, illud dixeris. *Suadet tibi cogitatio tua, Adi coquum, & interroga, quid paret obsonii? non obtemperes. Cernis fortè quidpiam: suadet tibi cogitatio, ut interroges, quisnam illud attulerit? missumne sit, an pretio emptum? Non interroges. Venit hospes aut peregrinus: cuperes statim nôsse, quisnam sit, undenam quonam contendat, & quid veniat? noli velle scire, sed mortifica in hoc appetitum tuum.*

A parvis ducendũ initium ut ad maiora fiat progressus.

3. Addit vero Dorotheus, hoc exercitii genus, ad propriæ voluntatis abnegandæ habitum comparandum non mediocriter juvare. si enim eam in his parvis rebus mortificare & exuere assuescamus, brevi fiet ut ne in maioribus quidem propriam simus voluntatem habituri. Vt enim qui ad bellum efformantur, se pacis tempore exercent in iis quæ belli tempore ipsos facere oportet, per tormenta, inquam, hastiludia, & umbraticas quasdam armorum prolusiones; quæ tunc nonnisi ludicra sunt, pernecessaria tamen, ut cùm seriò jam cõflictus ineundus est, prompti & expediti ad tela vibranda inveniantur, similiter Religiosus assuescat suam in rebus licitis voluntaté frangere, ut, cum dein illius in illicitis ac vetitis frangendæ occurrerit occasio, adhoc paratus, habilis & exercitatus deprehendatur.

li. 4. Dial. cap. 11.

Quã frequens olim fue rit hoc genus mortificationis.

S. Bonav. Blosius. 2. Monil. spiritual.

Exempla practica mortificationis supererogatoria.

4. S. quoque Bonaventura hoc nostri in rebus parvis, licitis, atq; arbitrariis mortificandorum exercitiũ obvio exemplo adducto declarat. Per hortum incedens florem vides, quem colligere in potestate tua est: & siquidem collegeris, nullam culpam admittis, verùm, si ad te mortificandum, à decerptione abstineas, opus Deo gratius præstas. Vnde Dei servus inquit, sæpe apud semetipsum dicat: *Propter te, & amore tui Domine Iesu, hanc rem videre vel audire, bolum hunc gustare, vel hoc oblectamenti genus accipere nolo.* B. P. N. Franciscus de Borgia, cùm adhuc in sæculo Ducem ac Principem ageret, miram è falconum & accipitrum activo aucupio voluptatem capiebat; sed, eo ipso momento & puncto quo falco ardeam jam apprehendebat, & apprehensam necabat, suos ipse Dux oculos à lucta illa aversos in terram convertebat, & suam illis velut prædam extorquebat, ea sese voluptate & recreatione privans, quam tanto defatigationis, laboris & discursus impen-

l. 1. c. 5. vit.

Cur Societas suos novitios in mortificatione maximè exerceat.

impendio die tota quæsierat. Quare S. Gregorius, *servorum Dei esse, ait, proprium, licitis se privare, ut eo sint ab illicitis sectandis alieniores.*

li.4. Dial. cap.11.

Quàm frequens olim fuerit hoc genus mortificationis.

5. Hanc ob causam veteres illi eremi cultores istud exercitium tanti æstimabant, in eoque discipulos suos jugiter & seriò exercebant, subtrahendo illis ea ad quæ animo propendebant, ea verò iis imperando, à quibus naturaliter abhorrebant, etiam parvis in rebus, quas citra peccatum & imperfectionem ullam facere poterant: in hoc unum toti incumbentes, ut propriam voluntatem omni in re abnegarent, & cùm maiora certamina jam subeunda essent, ad ea jam longo parato usu assuefacti essent. Vnde & magnam concipiebant spem, eum qui in levibus & facilibus his mortificationibus insigniter proficiebat, easque sibi familiares reddebat, ad perfectionis culmen aliquando perventurum. De alio verò secus sentiebant: videbatur enim ipsis voluntas, assueta facere quidquid allubuit etiam in levibus parvique momenti rebus, etiam contumax & rebellis valdè futura, ad se postea in rebus gravioribus, magisq; necessariis abnegandam.

S. Bonav. Blosius. 2. Monit. spiritual. Exempla practica mortificationis supererogatoria.

l. 1. c. 5. vit.

Cur Societas sua os novitios in mortificatione maximè exerceat.

6. Atque hinc Societas nostra id exercitium est mutuata, quòd usurpat, maximè sub primis tyrocinii annis, in novitiis suis excolendis, diversis eos rebus, exercitiis, & officiis applicando, jubendoque eos subitò abrumpere quæ jam agere cæperant, item jam facta reficere ac retexere, rursus denuo ad abrupta omissaque redire, ne voluntatis suæ & appetitus evadant tenaciores, sed jam indè à principio vitæque religiosæ incunabulis, voluntatem suam & proprium judicium abnegare consuescant.

7. Quin & ulteriùs in hoc mortificationis exercitio Sancti Patres progrediuntur: neque enim satis illis est, ut nostram in rebus licitis, quas ullo sine peccato atque imperfectione facere possemus, voluntatem edomare & abnegare consuescamus; sed consulunt præterea, ut eam quoque negemus, & nos mortificemus in iis, ad quas ex obligatione nos intendere oportet. At dicet hic mihi quis, quî potest hoc fieri? Omittemusne è mortificationis studio id, ad quod per regulam obligamur? Respondeo, Nequaquam: sic enim peccaremus: nec *sunt facienda mala, ut veniant bona.* Quo ergo pacto id fiet? Excogitarunt sancti Patres mirabilem quoad ad hoc adinventionem, eamque in doctrina S. Pauli fundatam: *Cave*, inquiunt, *& vide, ne quid facias, cogites, aut loquaris, quod ad propriæ voluntati & appetitui satisfaciendum atque obsequendum tendat*; sed, antequam ad cibum accedas, gulæ appetitus est mortificandus; nec ideò tibi comedendum, quòd cibus sapiat, tuque ita velis, sed solùm, quia ita fieri Deus præcipit, qui ad vitæ sustentationem te cibum sumere vult & jubet.

Quomodo in rebus obligationis nos mortificare possimus.

Rom. 3. 8.

8. Sic facere solitum Abbatem Isidorum refert Palladius, qui lacrymabatur quoties ei ad mensam eundum erat, nec nisi ex obedientia ad eam accedebat. Antequam ad studia abeas,

Exempla huius mortificationis.

In Lausiaca sect. l. 1.

abeas, studendi appetitum mortifices necesse est: deinde ideo te studiis applica, quòd ita velit ac jubeat Deus, non verò ex propria voluntate & delectatione. Antè quoque quàm cathedram cùm concionandi, tum docendi gratia, conscendas, appetitum tuum & inclinationem, quem ad eam rem adfers, mortifica: neu facias id ut voluntati ac propensioni ad hoc tuæ morem geras, sed quia facere juberis, eaque Dei sit voluntas. Pari modo reliquis omnibus in rebus voluntatis tuæ tibi proprietas & dominium est abneganda, eæque nonnisi quia Deus ita fieri jubet, suscipiendæ. Nefas enim est & absurdum, ut nos illæ post se, velut vinctos & captivos trahant; sed æquum, ut nos eas trahamus post nos & Deum, eiusque dumtaxat causa purè illas obeamus. Atq; hoc est Apostoli monitum dicentis, *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

1. Cor. 10. 31.

Ad hoc genus mortificationis pertinet purificatio intentionis purè propter Deũ agendi omnia.

9. Est hoc punctum inprimis notabile & spirituale: Neque enim ideo nobis opera & officia quæ obimus, obeunda sunt, quod erga illa afficiamur & inclinationem aliquam sentiamus, sed purè propter Deum: quòd ipse sic velit, sic jubeat; assuescendo in illis omnibus non nostram, sed unius Dei voluntatem facere, ac in illis gaudere, non tam quòd ipsæ ex se sint appetibiles, aut ipsi erga easdem afficiamur, ipsæque nostræ sint inclinationi cõsentaneæ, quàm quòd Dei Opt. Max. in illis voluntatẽ exequamur. Quisqis autem hoc modò processerit, assuescet nõ solùm suam voluntatem mortificare & abnegare, sed & divinam omnibus in rebus facere, quod profectò, eximiũ quoddam cùm amoris Dei, tum magni fructus, & perfectionis exercitium est, ut alibi docuimus.

1. p. tract. 3. c. 8.

Examen particulare circa quas mortificationes nostri sit instituendum.

10. Latissimum tam exercitio huic campum aperuimus: proinde quisquis super suæ voluntatis abnegatione ac mortificatione particulare instituere examen volet (quod certè cumprimis erit utile, per eos, quos his duobus capitibus deduximus, gradus & discrimina paulatim procedat oportet, ab imò ad summum usque conscendendo. Et *primò* quidem examen id fieri poterit circa mortificationẽ nostri in rebus quotidianis, & quæ sine nostræ conquisitione se ultro offerunt. In quibus sat nobis ad dies aliquot, quin & plurimos negotii erit; præsertim si eo pertingere conemur, ut non patienter solùm, sed & læto atque hilari animo eas amplectamur, qui tertius & perfectissimus mortificationis est gradus, uti inferius demonstrabimus. *Secundò*, circa mortificationem voluntatis in iis, quæ nos retrahunt & impediunt, quo minùs perfectè obeamus ea, quæ, ut simus boni Religiosi, Regulasque nostras exactè observemus, & ubique bonum omnibus in conversatione exemplum præbeamus, necessariò nobis agenda sunt; qualia occurrunt plurima, *Tertiò*, circa mortificationem in rebus quas alioqui licitè facere possemus, ut hoc pacto quemdam velut habitum & consuetudinem voluntatis abnegandæ contrahamus, promptiores-

ptioresque simus & paratiores ad idipsum in aliis gravioribus, si quando occurrent, faciendum; proponendo tot vicibus manè & tot vicibus vesperi, hisce in rebus nos mortificare; sub initium quidem pauciores vices assignando, posteà verò numerum augendo, prout se quisq; isthoc in exercitio proficere sentiet. Quo anté sæpius se quis mortificarit, hoc id futurum meliùs: etsi id fieret toties quot in rosario sunt globuli; sicut aliquos in Societate vidimus, qui dictum gravorum numerum iteratis per diem mortificationis vicibus excedèrent, quod ex illorum spirituali profectu satis apparebat. *Quartò*, possumus examen hoc instituere circa illarum rerum mortificationem, quas ex obligatione nos facere oportet, procurando eas obire, non tam quòd ipsi eas facere velimus, & aliquam ex iis delectationem haurimus, quàm quòd illa Dei voluntas ac beneplacitum sit. Quod certè exercitium ejusmodi est, ut toto vitæ tempore possit durare, & ejus spacio circumscribi, eò quòd maximam perfectionem includat. Hoc solùm adjungo, prædictum examen, in quatuor illos gradus discretum, à nobis posse per viam & modum conformitatis cum divina voluntate institui, accipiendo nimirum omnia tamquam à manu Dei profecta, credendoque ea ab ipso è paterno & viscerali affectu, nobis ad majus bonum & proventum nostrum immitti, ac cogitando, ipsummet Redemptorem Christum his nos verbis compellare: *Fili, hoc te nunc agere, vel pati volo.* Hac enim ratione fiet hæc mortificatio & facilior, & suavior, & utilior, & efficacior, majorisque perfectionis: fiet ea quippe quoddam exercitium amoris Dei, qui omnia difficilia facilitat, & amara edulcat. Hæc enim ratiocinatio, Hæc est voluntas Dei, hoc Deo jam placet, hoc Deus ita jam fieri à me vult; convincit, concludit, hominiq; pedes & manus quodammodò ligat.

11. Cùm B. P. Franciscus de Borgia die quadam Vallisoleto Septimancam (ubi Societas tyrocinia habebat) profecturus, seriùs digressus esset, intempesta noctè primùm illuc appulit. Plurima tum cælo cadebat nix & asper ventus noctem magis exasperabat. Hic, sociis omnibus arctissimo somno captis, diu ante Collegii fores incassum pulsans præstolatur, nive densa totum corpus coopertus, quòd enim primus esset sopor, & à porta domus abesset longiùs, nemo pulsantem clamantemque audiebat. Tandem aliquando exauditus & intromissus est, erubescentibus & indignantibus, novitiis quòd Patrem suum tam longam ante fores subdio moram trahere passi essent, eumque præ cęli intemperie propè exanimem cernerent. Quos ille benignè & lepida similitudine consolatus, his ferè verbis timorem jussit deponere: Credo equidem, fratres, quòd, ut princeps quispiam luculentam voluptatem capit è leone vel fera alia stimulis & arundine in arena ac venatione agitata: sic Deus, dum me nihilo feris meliorem densatis nivium globis impetiit, hodie mirificè fit delectatus.

Li. 2. c. 15 Vita. Exemplum.

Hæc mea fuit, inquit, inter exspectandum cogitatio. Lætandum mihi proinde est, dum cogito, volupe Deo fuisse hac ratione me castigare; & gaudendum, quòd hac afflictione mea eum gaudere videam. Ad hunc scilicet modum & nos convenit omnes mortificationes de manu Dei opt. max. excipere: & ipsius in his gaudium ac delectatio, esse debet & nostrum.

Caput XIV.

Id potißimùm vitium, eaque paßio nobis mortificanda est; quæ in nobis prædominatur, majorumq; lapsuum occasio est.

1.Reg.15. 9.

In prædominãte affectu magis eluceat mortificatio.

1. MAndavit olim Sauli per Samuelem Prophetam Deus, (quemadmodum lib. primo Regum legitur) ut Amalecitas omnes internecione deleret, nec cuiquam parceret, nõ juveni, non seni, nõ viris, non fœminis, ne quidem armentis ac pecoribus. Quid verò Saul? Audi scripturã: *Et pepercit Saul, & populus, Agag & optimis gregibus ovium & armentorum, & vestibus, & arietibus, & universis quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea. Quidquid verò vile fuit & reprobũ, demoliti sunt.* Ita nonnulli sunt qui se in rebus parvis & levibus mortificant, at in gravioribus, & quarum magnum est momentum, sibi parcunt, integrique & vivi penitus manent. Ad horum ergo instructionem dico, antè omnia in id quòd præcipuum & pretiosissimum est, oculos nobis conjiciendos, ut quoad hoc nos mortificemus, ipsumq; Deo immolemus. Hoc facto, protinus eum adit Samuel, acriter eum Dei nomine, ob importunam hanc clementiam objurgans, ac simul Amalecitarum Regem Agag ad se jubet adduci. *Et oblatus est ei Agag pinguißimus & tremens; & in frustra concidit eum Samuel corã Domino in Galgalis.* Tale ergo esse debet, quòd per mortificationem sacrificare & Deo te mactare quotidie oportet, id inquam quod in te prædominatur, quodq; in via virtutis perfectionisque religiosæ te potissimum remoratur: ille Agag arrogantiæ ac superbiæ tuæ, illa tua impatientia, illa morum verborumq; asperitas quæ in te notatur, illa deniq; honoris & æstimationis apud alios appetenda.

1.Reg.15. 32.

Interior mortificatio præ exteriore colenda.

2. Multi omnem curã ac studium suum, imò & omnem sanctitatem ac perfectionem, in exteriorib. illis quæ de foris ab aliis cernuntur constituere videntur ut nimirum extrinsecam quandam oris modestiam, & talem corporis totius compositionem præferant, neminem ut ea offendant, atq; in externa persona nihil sit quòd in aliorum oculos incurrat, quod justã reprehensionem mereatur, nullus denique in ipsa notetur defectus aut imperfectio: de interna verò mortificatione, quæ externâ preciosior & sublimior est, nihil aut parum laborant: habent quippe voluntatẽ propriam, ac judicium, desideriumque honoris atque ambitionem, valdè vivam ac vegetam. In quos congruè satis quadrat illa Christi Redemptoris sugillatio, qua scribas & Pharisæos coar-

Matt. 23. 25.

coarguit: *Væ vobis scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis est calicis & paropsidis: intus autem pleni estis rapina & immunditia. Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis & paropsidis, ut fiat id quod deforis est mundum.* Nisi enim exterior illa modestia & morum compositio ab interiore pace & cordis maturitate ortum habeat, mera erit hypocrisis & simulatio. *Nolite*, addit eo loco Redemptor, *similes esse sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia.*

Non minora solum, sed & majora mortificanda.

3. Atque hoc ipso in capite, sic ad propositum nostrum accommodatius, eosdem scribas & Pharisæos increpat, dicens: *Væ vobis scribæ & Pharisæi qui decimatis mentham & anethum, & cyminum, & reliquistis quæ graviora sunt legis, iudicium, & misericordiam, & fidem.* Quod in propriis terminis est idem cum eo quod hic dicimus: esse nimirum permultos, qui in reb' parvis exiguiq; momenti se mortificare omni studio & opera contendunt; at in gravioribus, quæq; maximè pungunt, & cor velut consauciãt, nullum prorsus conatũ adhibent. Hoc ergo præcipuè & ante omnia nobis mortificandum incumbit: illa videlicet passio, vitiũ, inclinatio, parvaq; consuetudo, quæ præ aliis in nobis dominatur, quæ magis ad se nos trahit, quę maius nobis periculum creat, quę deniq; sæpiùs nos facit impingere. Videmus enim quotidianâ experientiâ, edocti, unumquemque mortalium communiter unum atq; alterum, aut etiam tria in se notare, à quibus maximè præcipueque tentatur & oppugnatur, & quæ profectum ipsius præ aliis remorantur, omnisque illius retrogressionis ac decrementi sunt occasio. Hoc igitur esse dicim', in quod ante omnia unumquemq; nostrum oculos conjicere oportet, ad ipsum mortificationis runcina è corde suo evellendum & exstirpandum. Atque hæc etiam est ratio, cur suadere nostris soleamus, ut circa hoc potissimum examen particulare instituant, atque huc orationem ac meditationem suam dirigant. Hæc enim verè maxima ac præcipua cujusque nostrum est necessitas.

Matt. 23. 23.

1. p. tract. 5. c. 14. & tract. 7. c. 2.

CAPUT XV.

Non sunt etiam negligendæ mortificationes in rebus parvis, quamque ea nobis fructuosæ, Deoque gratæ sint.

1. SIc tamen majorib' incumbendũ, ut minora non negligamus. Hoc documentum notent ii, qui parvas mortificationes minimè curant, & pensi non habent; eò quòd leviores & minoris momenti res videantur, nec in ipsis profectus perfectionisque summa consistere. Qui non contemnendus est error, & gravis deceptio; unde & damnatus ab ipso Salvatore Jesu in illa ipsa Pharisæorum ac Scribarum reprehensione: quos non tam sugillabat, quod ad minutias illas accuratè attenderent, quàm quòd graviora legis præcepta non seruarent & negligerent: hinc & quamprimùm concludit, etiam illa fieri oportere: *Hæc*, inquit, *oportuit facere, & illa non omittere:* parua, inquã,

Alvar. de Paz, tom. 2. l. 2. p. 1. c. 16.

Majora tamen non sunt ideo negligẽda.

Mat. 23. 23.

ita faciendo sunt, ut quæ maiora sunt, minimè omittantur. Sæpiùs repetimus & inculcamus, quanti refetat etiam levium ac parvarum rerum rationem habere, nec illas negligi. nec immeritò: est enim tanti ea res momenti, ut sæpe in sermonem venire, & identidem inculcari mereatur, ne tantum inde nobis malum sequatur, & se in animum insinuet, quantum per has rimulas & aperturas illuc irrepere consuevit. In præsens ea tantùm afferemus, quæ proposito nostro conducunt, eaque duobus punctis circumscribemus. Primum est, quantum parvis hisce mortificationibus inclusum sit bonum: secundum, quantum nobis malum & damnum ex illis neglectis possit accedere.

In mortificatione spectandum quantum voluntas abnegetur.

2. Atque ut à primo exordiamur, hinc facilè patebit, quàm Deo gratæ sint mortificationes, tametsi circa res minutas versentur, quantique apud eum valoris ac pretii sint; quòd in mortificatione non tam attendendum sit ad id quod agimus, quàm quantum in ea propriam voluntatem negemus & mortificemus: atq; ideo, in hoc propriè versatur illud se mortificare, & semetipsum abnegare, quod in Evangelio Redemptor à nobis requirit. Hæc autem voluntas non minùs abnegatur & abdicatur in rebus admodum minutis, quàm in maximis: & subinde etiam magis, cùm nimirum magis voluntati nostræ repugnant. Vti reipsa sæpè in nobis experimur, quòd maiorem in rebus quibusdam levibus difficultatem sentiamus, quàm in aliis maioribus sentiremus. Nam, uti communiter dici solet, & benè quidem, mortificatio non tam in rebus ipsis, quàm in voluntatis nostræ repugnātia exsuperanda, sita est. Adeò ut in qualibet mortificatione, quamvis circa rem minutam versetur, propriam voluntatem Deo offeramus; & immolemus, propter ipsum eam abnegantes, eique renuntiantes, & offerentes ei id quod habemus carissimum, pretiosissimum & excellentissimum: nihil quippe habemus voluntate nostra pretiosius, quodque pluris & carioris æstimemus: quam cùm ei damus, damus totum.

Matt. 16. 24.

Aliud. Lib. 27. Moral. c. 27. * ubi su

3. Ad hoc propositum expendit, & summè deprædicat S. Ambrosius factum illud Davidis sitientis; dum enim Philisthæi Bethleem obsiderent, desideravit & dixit, *O si quis daret mihi aquam de cisterna Bethleem*, quæ erat ex adversa hostilium castrorum parte. Quo audito, cùm tres fortissimi viri per media hostium castra perrumpentes, de cisterna illa haustam aquam regi attulissent, ipse *noluit bibere, sed magis libavit illam Domino* in terram effusam. Egregium scilicet & grande sacrificium, offerre Deo haustum frigidæ. Magnum nihilominus fuisse censet Ambrosius, Deoque gratum; imò magnum fuisse vel hinc probatur, quòd sacra id Scriptura, tamquam heroicum Davidis facinus, ad posteritatis memoriam sempiternam, commemorare voluerit. Quare verò magnum? nosse vis causam? audi S. Ambrosium: *Vicit*, ait, *naturam, ut sitiens non biberet, & exemplum de se præbuit*, quo

Apolog. de David c. 7.

Exempli mortificat. in minore re.

1. Par. 11. 17.

1. Reg. [illegible] 10.

1. Par. 1[illegible] 19.

omnis exercitus tolerare sitim disceret. Non tantùm haustum aquæ, sed & voluntatem suam Deo Rex libavit & obtulit: hanc porro tunc homo Deo sacrificat ac libat, cùm se mortificat, quantumvis in rebus minutis. ideoque id magni valoris, divinæque eius maiestati acceptissimum sacrificium est.

Aliud. Lib. 27. Moral. c. 27. * ubi sup.

4. Aliud eiusdem Davidis factum huic affine, eôdem refert S. Pontifex Gregorius, necnon Ambrosius. Cùm enim David, ut lib. 2. Regum refertur, arcam Domini in civitatem suam Sion magna cum solennitate, miroque hominum concursu introduceret: ac sicut jam apud Christianos in festo corporis Christi populus ac plebs præcedens Ven. Altaris Sacramentum tripudiis & choreis suis cohonestat; ita verisimile est, inquit S. Gregorius etiam tunc temporis vulgus & inferioris sortis homines ante arcam testamenti tripudiasse & saltasse. David ergo gloriosissimus æquè ac potentissimus Rex auctoritatis ac magnitudinis suæ regiæ oblitus, purpura ac paludamento abjecto, piæ saltantium & cantantium turbæ se adjunxit, unaque cum illis pio ex affectu subsilire, tripudiare, citharamque ac psalterium pulsare cœpit, *quasi si nudetur unus de scurris*, ut exprobravit ei deinde uxor Michol. Quem pii Regis affectum expendens S. Gregorius, satis eum non potest admirari, & ait: *Quid de eius factis ab aliis sentiatur ignoro, Ego David* ante arcam Domini tamquam unam de plebe & trivio *saltantem plus stupeo, quàm pugnantem*, vel dum eum audio ursos concerpsisse, leones expugnasse, &, Golia immensæ magnitudinis bellatore, fundæ jactu ad terram prostrato, Philisthæos omnes in fugam egisse: *pugnando quippe hostes subdidit, saltando autem semetipsum vincit:* quia plus est seipsum, quàm alios subigere.

Apolog. de David c. 7. Exemplū mortificat. in minore re. 1. Par. 11. 17.

1. Reg. 6. 20. 1. Par. 15. 29.

Parvæ mortificationes non sunt contemnendæ, & eas ridētes puniuntur spirituali sterilitate.

5. Magni ergo hasce mortificationes faciamus, caveamusque ne eas unquam parvi pendamus, ne nobis eveniat id quòd evenit Michol: quæ cùm ob hoc Davidis factum erubuisset, & indignabunda illum propterea in corde suo despexisset, quin idipsum ei postea exprobrasset; perpetua sterilitate à Deo est punita, ita ut nullos umquam susceperit liberos. Cave & tu, ne minutarum harum mortificationum erubescentia, & quòd te pudeat ob minutias has Superiorem adire, (quasi illæ pueriles & novitiorum propriæ sint, nec jam ad te utpote veteranum pertineant) tibi sterilitatem ariditatemque spiritus, tum in oratione, tum in conversatione cum proximis adferat, illis scilicet se à te subducentibus, nec verbis tuis ullum in animabus ipsorum fructum facientibus, unde fiet ut nullos spirituales filios Deo parias. Multo verò magis sterilitatis huius pœnam metuant ii, qui, quos harum minutiarum observantes, inque iis admodum exactos & serios vident, deridént, has ipsis exprobrant, & in faciem objectant, eos, ceu scrupulosos & plus æquo minutulos, sugillantes, itaque has ipsas velut explodentes & subsannantes. Quòd certè eiusmodi est, ut ex eo multum posset

incommodi universæ familiæ sequi, quodque subsannantis conscientiam meritò lancinare & remorsum ei causare deberet. Quantum enim in ipso est, alios à via virtutis & justitiæ retrahit. Verùm cavillatoribus his generosè respondendum, idque verbis quibus David Rex Michol: *Ante Dominū qui elegit me potiùs, quàm patrem tuum & ludam*, & saltabo, & vilior *fiam plus quam factus sum, & ero humilis in oculis meis*, nec ob cavillos risumque me explodentium à psallendo cessabo. *O bonus ludus*, exclamat S. Bernardus, *quo Michol irascitur, & David delectatur! bonus ludus, qui hominibus quidem ridiculum, sed Angelis pulcherrimum spectaculum præbet.* Lusum illum ludebat qui de se dixit: *Spectaculum facti sumus mundo, Angelis & hominibus.* Ludamus ergo & nos hunc lusum, nec ob eum nos illudentes multum moremur: *ludamus*, inquit Bernardus, *ut illudamur.* hoc enim pacto futuri sumus spectaculum quod homines simul atque Angelos in admirationem rapiat, Deo verò gratissimum futurum est.

2. Reg. 6. 21.

Epist. 87. in fine.

1. Cor. 4. 9.

CAPUT XVI.

Quantum è neglecta mortificatione in rebus minutis damni & mali sequatur.

Damna negligētiā mortificationem in minutis.

1. EX iis quæ dicta sunt facilè potest intelligi, quantum malorum ac damnatorum nobis è parvarum mortificationum neglectu & vilipendio possit accedere: non enim tam consideranda nobis est rei, in qua nos mortificare negligimus, parvitas & exilitas, quàm quòd voluntatem nostram propter Deum ne quidem in tantilla illa recula, abnegare & frangere recusemus. Est in hoc præterea aliud sat grave, & consideratione dignissimum damnum: quòd nimirum hoc pacto quis voluntati suæ copiam at licentiam facit, ut etiam aliis in rebus faciat quòd allubuerit, itàque se reddat voluntarium, appetituique indulgentem, dum propriam voluntatem fovet & enutrit.

2. Non intelligit profectò homo, ecquod sibi malum & damnum per hoc inferat. Etenim propria voluntas principio nonnisi leunculus est; at hac ratione excrescet, & in ferocissimum atque indomabilem leonem evadet, cui posteà edomando par minimè futurus sis. Nemo certè ignorat, propriam voluntatem omnium adeò malorum & peccatorum, quin & inferni ipsius, causam ac radicem esse: *Cesset propria voluntas*, dicebat S. Bernardus, *& infernus non erit.* At per mortificatiunculas illas suam homo voluntatem edomat, eique licentiam præscindit ne faciat liberè quidquid lubet, quod omnium imperfectionum & peccatorum nostrorum esse seminarium & causa solet. Vnde ait Richardus de S. Victore, æquum videri, ut, quoniam nos cacodæmon in parvis culpis exsuperare omni ope connititur, ut tanto debiliores jam redditos in maioribus postea faciliùs expugnet; ipsi à parte nostra omni etiam contentione nos sæpiùs in parvis & exilibus vincere

Propria voluntas cam fovetur parvis, quá magnis, imo oc cultius parvis.

Ser. 3. de resurrectione.

in Cant. p. 2. c. 21.

vincere & mortificare conemur, ut hoc pacto in gravioribus fores dæmoni occludamus, ab eoque non vincamur.

Itaq; cōtra à parvis mortificatio est incipienda, ut assuescamus.

3. Additque, ab his parvis nobis incipiendum esse, ut sic usu continuaque nostri ipsorum victoria vires acquiramus; & à parvorum victoriis paulatim ad maiora evincenda gradum faciamus & animemur. Idem faciendum consulit Cassianus, & hoc exemplo confirmat. Tibi v.g. inter scribendum iræ motus suboritur cōtra calamum quo scribis, quòd is parum aptus sit, vel in scalpellum, quòd non sit satis acutum, aut simili aliqua occasione: tunc, inquit, te par est, inordinatos illos motus compescere & mortificare, tametsi in reb. levibus & exilibus. Per hanc enim sui victoriam Dei servus postea, cùm jam maiores adversus proximum insurgendi, indignandi, & convitiandi occasiones advenerint, est ad se edomandum, caritatemque & animi pacem in illis conservandam, comparatus & corroboratus.

Li.8.c.18.

Sic ideò ne ad maiora malatrahamur.

4. Aliud præterea è parvis illis voluntatis suæ mortificationibus bonum sequitur, quo vicissim aliud grave damnum ac periculum declinatur, uti suo nos exemplo apud Theodoretum docuit vir Sanctissimus Eusebius. Qui cùm in hocce mortificationis genere se assiduè exerceret, & causam eius rei aliquando rogaretur, respondit: *Hac via exerceo & armo me contra technas & stratagemata cacodæmonis; simulque hoc lucror, ut graviores tentationes, v.g. superbiæ, luxuriæ, invidiæ, aliaq; id genus, quibus me alioquin impeteret, in has minores convertantur: in quibus tametsi succumberem, notabilem jacturam non facerem: si verò victoriam referam, dæmon magis indignabitur & confundetur, videns se ne in parvis quidem de me posse triumphare.* Est hoc autem consideratione dignissimum & inprimis notabile: est quippe veritas, cuius magnam Dei servi experientiam habent. Quare noveris quisquis es, quamdiu te in rebus parvis & exilibus mortificabis, omnes dæmonis tentationes in hasce leviculas conversum iri, & communiter te nonnisi circa hasce reculas tentandū: faciamne v.g. hanc mortificationem, illamne animi repugnantiam exsuperabo, an verò negligam? quia etsi in his subinde expugneris & succumbas, notabilem jacturam non facies: at si hoc mortificationis studium omittas & negligas, nec in parvis hisce rebus cum diabolo & carne tua confligere sustineas, te junctis viribus ambo maioribus & atrocioribus tentationibus adorientur, in quibus si succumbas, penitus de te actum est.

In histor. Religiosa.

5. Refert S. Augustinus, virum quemdam Catholicum multum à muscis importuniùs advolantibus molestiæ passum, cùm Manichæus quidam officii causa eum invisisset, ei hanc muscarum infestationem & importunitatem narrasse. Oportuna hæc Manichæo occasio visa, ad suum ei errorem & hæresin persuadendā. Manichæi autem docebant, duo esse rerum principia, unum invisibilium, videlicet Deum; alterum visibilium & corporearum quem dicebant esse diabo-

Tract. 1. in Ioann.

Exemplū damnificati, quod in parvis esset immortificatus.

diabolum. Cui errori confutando addita sunt Symbolo fidei, quod in Ecclesia communiter usurpari solet, verba illa solennia, *Visibilium omnium & invisibilium*, quibus verbis confitemur omnia esse à Deo condita, non spiritualia modò & invisibilia, sed etiam corporalia & visibilia. Videns ergo hæreticus commodam hanc erroris sui alteri instillandi occasionem, rogare cœpit: Quis has muscas creavit? Hic, quia tantam ab illis molestiam senserat, adeoque ei malignæ videbantur, eas non est ausus dicere, à Deo esse procreatas. Vnde instans Manichæus, si Deus, inquit, has non condidit, quis earum conditor statuendus? Tum alter, Credo equidem à diabolo factas esse. Insistens protinus Manichæus, si ergo diabolus, ut tute fateris, muscarum conditor est, quis apium, quæ paula maiora infecta sunt, conditor erit? Tum miser Catholicus ad angustias redactus, dicere non est ausus apem à Deo creatam esse, & non muscam, quia parvum inter utramque discrimen est. Vnde dicere coactus est, si Deus muscas non fecerit, nec apes facere debuisse. Paulatim eum longiùs deducens Manichæus, ad alia & alia Maiora descendit, ab ape ad locustam, à locusta ad lacertam, ab illa ad aves, ab avibus ad ovem, ab ove ad bovem, deinde ad elephantum, & demum ab his omnibus ad hominem descendens, persuasit homini, quòd à Deo factus non esset homo. Ecce, in quam errorum voraginem miser hic deciderit, ex eo, quòd se in perferendis muscarum aculeis & morsibus mortificare detrectant. Quare monet eo loco rectè S. Augustinus: *Cave, ne te diabolus, dum à muscis impeteris & infestaris, decipiat & illaqueet, uti miserum illum per muscas miserè in suas pedicas pertraxit. Solent*, inquit, *aucupes muscas in muscipula & laqueis ponere, ut aves aliquas hac illecebra captent: fecit idipsum hic diabolus, qui huic misero subvertendo laqueum muscis, velut esca, instruxit.* Cave proinde, ne & te diabolus hoc modo inescat ac decipiat, cum ob minutias aliquas affligeris, tentaris, tristaris: his enim muscis multos aucupari, capere, ac paulatim ad maiora perducere assuevit.

Motus contra rationẽ sentire non est peccatũ. Blos. in spec. spi-rit. c. 6.

Culpa non in sensu sed in consensu cõsistit.

Caput XVII.

Tria magni momenti documenta in hac Mortificationis materia proponuntur.

1. PRo triplici hominum genere tria hic documenta consilia adducemus, quæ horum quibusdam quidem in consolationem, alijs in instructionem ac cautionem cedant. Variæ sunt hominum conditiones & indoles.

Triplex Documentum pro varii hominũ natura.

2. Alij quippè *difficilioris natura* sunt, qui proinde magnam carnis repugnantiam & contradictionem in operibus virtutum exercendis experiuntur: ideoque afflicti, & animo deiecti incedunt, rati iam de se actum esse, & de profectu in virtute conclamatum. Qui talis naturæ sunt, his documentum consolatorium deseruit: nullam scilicet in eo culpam vel imper-

Primum genus naturæ & 1. documentum valde cõsolatorium.

per-

perfectionem esse, ejusmodi contra rationis impulsum motus & repugnantias habere, aut in se sentire, sed tunc tantùm, cùm quis eos sequitur, obsequitur, & iuxta illorum dictamen operatur. Pari modò nec in tentationum materia culpa est, malos & turpes motus ac tentationes, adversus castitatem, fidem, aut aliam quampiam virtutem insurgentes, sentire, quod nonnullos non mediocriter contristare, dejicere & affligere solet. Docent proinde vitæ spiritualis magistri, non esse cur propterea magnoperè affligamur, aut dolore aliquo afficiamur; quoniam non tam in sensu quàm consensu culpa consistit. Dummodo hæc tibi displiceant, liberis motibus externis non adjuves, etiam iis resistere conitaris, eaque contemnas; seges potiùs materiaque sunt majoris meriti. Idem quoque in malis inclinationibus, & conditionibus, quas à natura ipsa habemus, quasque unus vehementiores, alius minùs vehementes experitur, usu venit; à quibus tam pravi in appetitu nostro motus, tot tantæque ad bonum operandum repugnantiæ & obluctationes enascuntur. Indè tamen nec boni, nec mali, non perfecti; non imperfecti dici censerique debemus. Hoc quippè naturale est, nec in nostra situm potestate; utpotè à peccato hæreditaria successione in nos transfusum, quod Doctores Fomitem peccati, Apostolus, inhabitans peccatum appellat. Nam & Sanctus Paulus, tantus tamque divinus vir, hanc carnis contradictionem & rebellionem in se sentiebat, dum dixit: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Et Sanctus Augustinus exponens illud psalmi 4. *Irascimini, & nolite peccare*, ait: *Licet insurgat* in corde vestro *motus animi*, verbi gratia, impatientia, vel ira; *qui jam propter pœnam peccati non est in potestate, saltem non consentiat ei ratio & mens; sed mente serviamus lege Dei, si adhuc carne servimus legi peccati.* Vaccæ illæ quæ arcam Domini trahebant, ibant mugientes quòd subtracti ipsis essent vituli, quos naturaliter amabant; post tamen (ut ait scriptura) recto itinere gradiebantur, non declinantes ad dextram, nec ad sinistram. Gradere & tu rectâ virtutis via, nec ad carnis mugitus attendas, illisque ne quidquam moveare: itaque ad perfectionem pertinges.

Motus contra rationē sentire non est peccatū. Blos. in spec. spirit. c. 6.

Culpa non in sensu sed in consensu cōsistit.

Triplex Documentum pro variâ hominū natura.

Primum genus naturæ & 1. documentum valde cōnsolatorium.

Rom. 7. 23.

Aug. Ps. 4. 5.

1. Reg. 6. 12.

Simile.

5. Atque hoc inter homines spirituales, perfectionisque studiosos, & carnales, sensuales, ac de ea nihil dum laborantes est discrimen: non est autem discrimen in carnis repugnantia sentienda, vel non sentienda; sed in eo, quòd hi illam sequātur & audiunt, illi verò totis viribus ei se opponant. Piscis vivus semper adversa aqua defertur, mortuus autem secunda. Hinc ergò colliges, spiritualisne sis ac secundùm spiritum vivas, an verò cadaver mortuum; si nimirum contra passionum tuarum impetum obnitaris, vel ab earumdem violentia deorsum abripi te patiaris. Spiritualis homo gulæ & sensualis appetitus clamores ac latratus sentit & audit, sed ab illis

Differētia vera Hominis spiritualis & carnalis.

li.3.Mora.c.13. *Iob.39.7.*

illis se abripi non sinit; atque, ut S. Iob ait, *clamorem exactoris non audit obediendo.* Pulchrè vero *exactorē*, vocat, quod plus exigat quā necesse sit. Vbi S. Gregor. ait: *Clamorem exactoris non audire, & violentis tentationum motibus minimè consentire.* In hoc ergo rei totius cardo vertitur, ut quis insurgentibus tentationibus & appetitionibus non obsequatur, nec consentiat.

Non est despondendum etsi inclinationes sint pravæ.

4. Quare non est quòd quis animo dejiciatur, quòd malas inclinationes in carne sua sentiat; sed animetur inde potiùs, ad pulchriorem ex iis velut è tentationibus, coronam sibi extendam. Ita faciendum monet S. Augustinus sermone 3. de ascensione singulos Christianos ibi exhortans & animans, ut unà cum Christo in cœlum conscendant.

Imò subactæ scalæ loco nobis sunt, ad cælos.

5. Inter alia verò commodè illuc ascendendi media recenset pravas nostras inclinationes & passiones: *Ascendamus*, inquit: *etiam post illum per vitia ac paßiones nostras.* Ac si fortè quæras, quomodo passionum adminiculo illuc penetrare valeamus; respondet, si laboret eas unusquisque viriliter subigere, & omni contentione edomare. Tunc quippe *de vitiis nostris scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus*, ipsa enim nos supra nos attollent, si subtus & sub pedibus nostris fuerint, & scalarum vicem nobis præbebunt, ut earum gradibus in cœlos ascendamus.

l.6. vit. c.5.

6. S. P. N. Ignatius quamvis natura ad iracundiam esset propensissimus & cholericus, ita hanc, divinâ juvante gratiâ, passionem subegerat, mutarat, ac mortificarat, ut qui illum viderent medici, phlegmaticum censerunt & sedatum.

Exemplū subactarum passionū.

Testimoniū quod mala inclinatio naturæ vincatur virtute. *Plu. l.3. Apophth. 80.*

7. De Socrate auctor est Plutarchus, cùm eum Physiognomus nescio quis, qui è figura oris & corporis exteriore naturales cujusque inclinationes conjicere se posse profitebatur, vidisset, dixisse eum ad libidinem, gulam, ebrietatem, aliaque non pauca vitia propensissimum esse. Unde discipuli & amici Socratis, prava hac de præceptore suo censura iritati, violentas in physicum illum manus injecissent, nisi eos Socrates compescuisset, vera eum pronunciasse asserens: nisi enim se philosophiæ & virtutum exercitio dedidisset, talem omnino se, qualem eum physiognomus depinxerat, futurum fuisse. Si ergo profanus hic Philosophus, solo naturæ auxilio tantum sui dominium, deque pravis inclinationibus suis victoriam est adeptus, meliùs longè id acquirent cùm Christianus, tùm Religiosus divina gratia corroborati. *Sapiens dominabitur astris.* Longè quàm natura potentior est gratia.

Manil. in Astron.

Secundum genus Naturæ & alterum documentū. *Sap. 8.19.*

8. *Alterum* hominum genus est, qui natura sua *bonam sortiti sunt animam*, & bonæ sunt constitutionis; quique (quod de Sancto Bonaventura Magister ipsius Alexander Halensis dicere solebat) in Adamo minimè

nimè peccasse videntur. Habent hi *naturam tam placidam & sedatam, ut omnia illis velut jam confecta videantur*: nihil illis videtur difficile, nec eas in carne sua sentiunt repugnantias: ac obluctationes, quas alii: dicuntque, cur dictum mihi plurimas in Religione difficultates occurrere, quia ego nullam experior? His jam servit *secundum documentum*, ut illos ab errore vindicemus. Si Deus tam felicem benignamque tibi naturam dedit, ut has difficultates non sentias, nesciasque quid sit tentatio quæ tibi possit esse molesta; noli inde extolli, vel vana gloria efferri: quia non est id virtus, quam ipse tibi exercitio compararis, sed natura cum qua natus es: adeoque cujuslibet virtus & profectus non est exteriore oris corporisque compositione, nec blanditie naturæ, ductilique & facilitate metiendus, sed violentiâ illâ quam sibi quisque intulit, necnon dominio & victoria quam de se retulit. Hæc scilicet certa & infallibilis est profectus singulorum mensura: unde plus haud dubiè præstitit, qui natura cholericus & incitatus est, quàm tu qui ad omne bonum natura comparatus, nihil expugnandum & edomandum habes, ideoque ille majore præmio & corona dignus est.

Nemo ob naturæ bonitatem est virtute prædit⁹; sed larva virtutis.

Cap. 5. 11.

9. Plutarchus Alexandrum Magnum ideo supra alios omnes mundi roges extollit, quod hi fuerint Reges nati: Alexander verò brachio & armis, multasque per plagas, quas variis in conflictibus accepit, sibi imperium monarchiamq; comparârit.

Simile. li. de fortun. & virt. Alexand.

Pari modo, qui suis lacertis & armis affectiones ac passione, continuam per mortificationem & obluctationem, expugnarunt & edomarunt, majorem certè laudem & præmium merentur, quàm quibus quodam naturæ munere hæc quies & pax innata est, quique nihil quod expugnarent, habuerunt.

Nihil proficit nihil superat.

10. Quapropter non est quod inaniter te extollas, aut pluris facias, quòd frugidum & placidum te natura formarit; nec alios minoris pendas, quòd naturæ fortè difficilioris & morosioris sunt; imò hoc ipsum esse tibi deberet confundendi & humiliandi tui occasio, cùm in te virtus non sit, quod videtur esse, sed nuda duntaxat natura in altero verò virtus sit id quòd boni habitus in eo reperitur, quia virtus moralis debet esse habitus bonus ex electione, uti docet Aristoteles. Deinde tu, qui sic bon⁹ natus es, nullum fecisti profectum, quia in nullo te superasti: ille verò permagnum, quòd multis in rebus se fregerit ac subegerit; quia naturam contumacem & refractariam nactus est, quæ ipsi est edomanda; hinc majore super se accuratione advigilat, circumspectiùs ambulat, majorem fervorem ostendit: ideoq; semper in virtute progreditur, tibi verò bona, quam sortitus es, natura occasio est negligentiæ, & continui teporis: quòd enim adversariis & inimicis careas, hinc marcet tua virtus, & ipse torpescis.

Quomodo bona natura sit solum larva virtutis.

11. Utile quoq; erit, considerare te, qualis demum futurus esses, si tibi, sicut illi, contumacem & difficilem

Quam tu miser esses, si natura tam pro-

na ad virtutem careres!

naturam Deus dedisset: tibique persuadere ac credere, longè plura & graviora admissurum tè fuisse, quàm alium illum. Si enim tam benignum & facilem nactus naturæ constitutionem, tot errores committas, & tali in tepore & languore hactenus vivas; quid futurum esset, si eas sentires repugnantias, & affectuum seditiones quas sentit alius? Porrò sicuti dicimus, te, dum nullis tentationibus Deo permittente impeteris, cogitare debere, ipsum in his à te amoliendis, debilitatis & infirmitatis tuæ rationem habere, quod ad eas exsuperandas vires tibi desint; ita quoque dicimus, cogitare te debere, particulare quoddam Dei beneficium ac gratiam esse, quòd tibi morigeram & facilem hanc naturam atque indolem dederit, eò quòd vehementem & ferocientem naturam, qualis alteri obtigit, evincendam vires tibi non suppeterent. Hoc autem pacto conservabis ac tueberis in te ex una quidem parte humilitatem, ex alia bonam de fratre tuo opinionem.

Tertium genus Hominū cum tertio documento. Qui contradictiones nullas naturæ sentiunt, non sunt in vera animi pace.

12. *Tertium documentum tertio hominum generi ab errore vindicando deserviet*: iis inquam qui naturæ reluctationes & contradictiones, & rebellionem carnis in se non experiuntur, sed plena animi passionum pace & tranquillitate potiri sibi videntur, non quod eas mortificatas & subactas habeant, aut benigna iis ac benevola natura obtigerit, uti prioribus; sed quod de se subigendis, ac sibi contradicendo & resistendo nihil omnino laborent; sed appetitui & inclinationi affectuum indulgere & liberas habenas laxare sibi sit quotidiana consuetudo. Hi quoniam idcirco tales contradictiones & molestias non sentiunt, quales isti priores, pacem quidem se habere credunt: hæc tamen non vera, sed falsa & simulata pax est: *dicentes pax, pax, & non erat pax.*

Exemplum.

Ier. 6, 14.

13. In hæc Sancti Pauli verba, *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati*; commentans S. Augustinus, sic loquitur: *Hanc pugnam* & bella carnis adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, *non experiuntur in semetipsis nisi bellatores virtutum, debellatoresq; vitiorum.* Hinc est, quod sæculares mundique sectatores non intelligunt quid sit mortificatio, suam assueti & edocti voluntatem in omnibus quæ allubescunt & occurrunt, sequi, idque illis regula & legis est loco. *Sit pro ratione voluntas.* Nesciunt, inquam, quid sit sibi contradicere, quid appetituum impetum compescere: atque id inde contingit, quod nullum in se conflictum & contradictionem sentiunt; quia nullus ipsis occurrit in eo quod exequi cupiunt. At qui de spiritu excolendo solliciti sunt, ac veris virtutibus acquirendis, vitiisque ac malis inclinationib. ex animo exstirpandis serio student; cito hanc carnis repugnantiam & contradictionem sentiunt.

Rom. 7. 23. Testimonia. Li. de continent.

Iuven. Sat. 8.

14. Ut enim avicula ante se captam esse non advertit, quam laqueo evolare tétet: sic nec homo vitiorum suorum malarumque inclinationum potentiam ante perspectam habet, quàm

Simile.

Ier. 58, in Cantica.

quàm se iis expedire connitatur. Dũ virtutem quis colere & amplecti studet, tunc primùm vitii ei oppositi contradictio patescit.

Exemplum.

15. In vitis Patrum Eremicolarum narratur quidam à Seniore Anachoreta petiisse. *Quid causæ est, Pater, quod, quas alii sentiunt tentationum pugnas, luctas, & conflictus, in anima ipse mea minimè sentiam.* Cui senior scitè respondit: *Quia similis ea vastæ cuidam portæ, per quam quicumque vult, ingreditur & egreditur, hinc nescis quinam ad te ingrediantur & egrediantur, nec percipis, quid in domo tua agatur & fiat. habes quippe conscientiam laxam, exiguam cordis custodiam, nullam rerum tuarum circumspectionem, parvam quoque præfers in sensibus tuis recollectionem: ideo desine mirari id cuius causam à me petis. Siquidem anima tuæ portam arctè occlusam haberes, nec cogitationes sinistras per eam ingredi sineres; tunc videres, qua illæ vi ad te intrare conarentur! quos conflictus moverent!* Quare si hoc in anima tua duellum, hanc carnis luctam ac digladiationes non sentias, vide ne id eò forsitan fiat, quod ubique & in omnibus tuæ voluntati morem geras, aut quòd appetitionibus tuis resistere, vitiaque ac pravos affectus inclinationesque evellere detrectes.

Caput XVIII.

Quantumcumque in virtute progressum quis fecerit, semper tamen opus habet mortificationi insistere.

Ser. 58. in Cantica.

1. MOnitum S. Bernardi est, oportere nos semper mortificationis sarculum manu præferre, ad vitia extirpanda & mortificanda; adeoque neminem esse, cui non aliquid semper resecandum & amputandũ sit, quantumlibet diu se mortificaverit, ac se profecisse credat. *Credite mihi*, inquit, *& putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur exstincta, & sopita denuo excitantur. Parum est ergo semel putasse, sæpè putandum est; imò, si fieri potest, semper: quia semper quod putari oporteat, si non dißimulas, invenies.*

Simile petitum ex hortorũ perpetua cultura.

2. Egregiè hic ad rem facit quod in hortis fieri quotidie videmus. Videre in illis est è myrto aliisque herbis hic leonem, illic equitem, alibi aquilam scitè elaboratam; at nisi hortulanus, excrescentem luxuriantemque herbam in singulos penè dies resecet ac detondeat; aliquot post dies nec leonis illius, nec huius aquilæ, nec istius equitis ullam figuram invenies. Natura enim sua herba semper excrescit, seque effundit. Ad eundem modum hac in materia, quamvis leo sis vel aquila, quamvis fortis tibi & tui victor videare, nisi continuò te seces, succidas & mortifices, brevi nec leonis, nec aquilæ speciem præferes, sed monstrum fies: intus enim contrariam radicem circumferimus, quæ semper, juxta indolem suam, luxuriando excrescit & egerminat malum. Adeò ut semper adsit, quod mortificari oporteat. *Quantumlibet enim in hoc corpore manens profeceris, erras si vitia putas emortua, & non potius suppressa: velis nolis, intra fines tuos habitat Iebusæus, subjugari potest & reprimi, sed non penitus exterminari.*

Semper se homo mortificet nec ab eo studio cesset.

Rom. 7. 12

Testimonia SS de hac cultura assidua.

3. Verissimè enim S. Paulus; *Scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum.* Parum dixit, inquit S. Bernardus, nisi mox subjunxisset, habitare in ipsa malum, vitium, & pravam inclinationem, uti paulò pòst subdit, dicens: *Non enim quod volo bonum hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago: si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud; sed quod habitat in me peccatum.* Pergit S. Bernardus. *Aut te ergo, si audes, prefer Apostolo; aut fatere cum illo te quoq; vitiis* & inclinatione ad malum *non jacere*, & nunquam non tibi superesse quod mortifices. Consonant his verba S. Ephrem Abbatis dicentis: *Bellum militum breve, sed monachi pugna, quoad usq; migret ad Dominum, durat.* Multo plus laboris & continui studii impendendùm in affectibus nostris & passionibus mortificandis & compescendis, quam in durissimis saxis dolandis & levigandis. Nam ut taceam artifici saxum non resistere aut contradicere, uti caro nostra rationi; ipsum semel jam elaboratum & politum, ad priorem ruditatem informitatemque denuo non revertitur. Verum affectus nostri & passiones sæpissimè, licet repressi, mutantur, rursumque reviviscunt & revirescunt. Ideoque de novo dolandi, & iterum atque iterum, quin & identidem atterendi sunt.

Exhort. ad pietatem tom. 1 p. 7.

Lib. 6. in Isai. c. 16.
Psa. 97. 5.

Simile de chordarum cõsonantia,

4. S. Hieronymus explicans illud Psalmographi, *psallite Domino in cithara*, ait: *Quomodo cithara non emittit vocalem sonum atque compositum*, si chordæ inter se non consonent, hinc vel una earum juxta aut dissona, cacophoniam efficit: sic si vel una in nobis passio infrenis & immortificata fuerit, non poterit anima dulce auribus Dei melos concordemque harmoniam accinere. Omnes proinde passiones & affectus inter se temperari & concordes sint oportet, ut fiat in nobis id quod cecinit David: *In psalterio decem chordarum psallite illi.* Vt autem huc pertingatur facilè videre est, quàm hominem necesse sit jugiter in hoc exercitium incumbere.

quæ etiã per unã fidẽ turbatur.

Psal. 32. 2.

Omnes se mortificare debent, etiam perfecti.

5. Ea propter prisci illi Patres etiam perfectissimos quosque omnigenis mortificationibus & despectibus, teste S. Ioanne Climaco, explorabant & exercitabant: huiusque facti atque exercitii sui hanc rationem dabant, quod sæpè qui jam perfecti & laborum tolerantes videntur, si superiores eos probare, exercere & excolere omittant, tanquam viros jam in virtute consummatos; tandem paulatim hanc quam habebant molestiarum difficultatumque tolerantiam aut penitus perdant, aut valdè labefactatam imminutamque habeant.

Cap. 4.

Simile ex agro silvescente, si desinit cultura.

6. Vt enim terra, tametsi opima, pinguis ac ferax sit, si cõtinua cultura desit & irrigatio, paulatim silvescere, sterilescere, carduos & urticas producere solet: consimili ratione, quãtumlibet quis profecerit, & in perfectione progressus sit, si irrigatione & labore, id est mortificatione, & tolerandi exercitio, careat, silvescet, infrugifer fiet, & pravatum fœdarumque cogitationum nibulos, ac falsæ cuiusdam & periculosæ securitatis spinas

ſpinas proferet. Omnes ergo mortificatione opus habemus, non ſolùm quibus mala obtigit naturæ cōditio, ſed & quibus benigna & facilis, nec imperfecti ſolùm homines, & primùm incipientes, ſed & veterani & in perfectionis ſemita multum provecti: nec tantùm qui graviter in Deum deliquerunt, ſed & qui eum non offenderunt: & illi quidem ad virtutem comparandam, hi ad conſervandam.

Aliud ſimile ab Equo ſemper frenato.

7. Qui equo, quantumvis tractabili & ductili, inequitare vult, fræanum tamen & calcaria ſemper habet; quia equus manet equus, nec naturam exuit. Faciunt huc verba illa Salvatoris Ieſu, *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*; addit S. Lucas τὸ *quotidie*; *Et tollat crucē ſuam quotidiè.* Nulla ergo abeat tibi dies, qua non aliqua ſaltem in re Voluntatem tuam frangas: & ſiquidem talis tibi abeat, magnam te, ait Climacus, tunc reputa jacturam feciſſe, hoc tempus tibi periiſſe, nec ea die Religioſum te fuiſſe. Quare ſi Imperator ille Romanus eum ſe diem perdidiſſe reputabat, quo nulli beneficium contulerat, dicebatque, *Amici diem perdidi*, quaſi diceret, Hodie non regnavi, hodie Cæſarem non egi, quia nullos benevolentiam meam, re eſt expertus: Religioſi certè proprium magis eſt voluntatem ſuam mortificare & abnegare, quàm Regum atque Imperatorum benefacere. hoc namque eſt Religioſum eſſe, facere quæ caro nolit; & quod factum vellet, infectum relinquere.

Matt. 16. 14.
Luc 9, 23.
Cap. 4.
Sueton. in Tito c. 8.

Lib. 4. c. 8. Vitæ.

P. Franciſcus de Borgia egregium mortificationis exemplū.

8. Præclarum hac in re, uti & in aliis omnibus, nobis exemplum reliquit P. N. Franciſcus de Borgia. Quem dicere ſolitum accepimus: Eo ſibi die amarum & inſipidum cibum viſum iri, quo non aliqua corpus ſuum afflictatione mortificationéve caſtigaſſet. Adhæc, Continuo in mœrore victurum ſe, ſi eo ſe ſciret die à morte opprimendum, quo non aliquam caſtigationem ſibi inflixiſſet, ac de ſenſibus victoriam retuliſſet. Ita ut nulla ei efflueret dies, qua non ſe paſſioneſque ſuas mortificaret, rogabatque inſuper continuò Dominum, hanc ſibi gratiam faceret, ut deliciæ ac delectamenta omnia ſibi incruciatum labores contrà in delicias verterent (qui eſt tertius & perfectiſſimus mortificationis gradus:) ideoque ſuos obteſtabatur ne quibus delitiis eum lautius exciperent, uſque dum id à Deo obtinuiſſet. Vnde jugiter ſuper ſemetipſum excubabat, corpus ſuum identidem oppugnans, ſemperque adinveniebat in quo ipſum mortificaret & ſubigeret: & quæcūmque ad hoc ei erant auxilio, aut quomodocumque ſerviebant, ſocios & amicos ſuos appellitabat. Si media æſtate iter faciens, ſolis ardoribus torrebatur, dicebat: *Quam bellè me juvat amicus meus!* idem de gelu, aura aſpera, & pluvia tempore hyberno, de podagricis & cardiacis torminibus, de perſecutoribus & detractoribus dicere ſolebat: quos omnes amicos ſuos vocabat; quòd ſibi in corpore ſubigendo & expugnando, quod capitalis & jurati hoſtis loco ducebat, ſuppetias

Cap. 23.

quo-

quodammodo ferrent. Nec contentus erat mortificationibus & afflictionibus sponte se offerentibus, sed novos sui mortificandi modos excogitabat & adinveniebat: Subinde enim scrupulos & calculos calceis indebat, ut incedentis per viam pedes convulnerarent: sole ardente pedetentim incedebat, item hyeme dum vel ningebat, vel bruma rigebat: tempore quoque ob capillos continuò sibi evulsos, depilata & nuda habebat. Quando flagellis commodè in se sævire non poterat, punctionibus, stimulis, aculeis, aliisque id genus artificiis carnem affligebat. Quin & medios inter morbos modos & artes quæritabat, ut dolorem dolori, cruciatui cruciatum adderet: catapotia enim, quantumcumque amara, sorbendo obbibebat quasi jusculum sapidissimum pilulas amaras mandebat & comminuebat dentibus, ac diu in ore versabat, scil. vir ille modo sensus mortificabat & excruciabat, carnemque crucifigebat: unde etiam eam, quam habuit, perfectionem & sanctitatem vitæ est consecutus.

Caput XIX.

Duo suggeruntur media, quibus mortificationis exercitium facile nobis & suave reddetur, Dei scil. gratiæ, & sanctus eius amor.

Primum Medium jugis mortificationis.

1. SVperest nunc aliquot proponamus media, quorum adminiculo nobis isthoc mortificationis usque adeo necessarium exercitium, non facile solùm & tolerabile fiat, sed & suave ac jucundum. *Primum ac præcipuum* ad hoc adjumentum esse debet divina gratia, qua & omnia acerba dulcorantur, & difficilia facililitantur. Vexabat torquebatque Apostolum gravis & importuna quædam tentatio, Deumque enixissimè rogabat, hanc ut à se amoveret: *Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet à me.* Sed responsum ei à Domino: *Sufficit tibi gratia mea.* Qua deinde ita se confirmatum & corroboratum sensit, ut diceret: *Omnia possum in eo qui me confortat*: & *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Neque enim nos Dominus in isthoc mortificationis labore solos laborare sinit, sed ipsemet in oneris partem venit, auxiliaremque nobis manum porrigit. Atque ideo lex illius vocatur jugum, quod à duobus feratur: quia se Christus ipse nobis conjungit, ad ipsum ferendum. Quis tali nixus consortio & auxilio animum despondeat? Non est ergo quod jugum hoc tibi difficile aut laboriosum videatur, quia minimam eius partem laturus es. Nam tametsi id vocet jugum, tamen esse dicit suave; quamvis oneris nomine indigitet, nihilominus asserit esse leve. *Iugum meum suave est, & onus meum leve.* Quamvis enim id imbecillis naturæ & tenuium virium nostrarum respectu grave sit, hocque per nomen jugi & oneris designari videatur; accedēte tamen Dei gratia & facile fit & suave, cum Deus ipse nos allevíet, & velut succollando onus in se transferat: sic enim facturum se per Oseam prophetam promittit:

est Div. gra.

2. Cor. 12. 9. 8.

Phil. 4. 13.

1. Cor. 15. 10.

Matt. 11. 30.

mittit: *Ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum*, & per Isaiam pollicetur, *computrescet jugum quasi à facie olei*. Videtur quidem mortificatio jugum esse & onus grave; attamen tanta ex adverso Dei est gratia & auxilium, sub olei symbolo repræsentata, ut jugum hoc computrescendum, & ita emolliendum sit, ut humeros non lædat, imò ne sentiatur quidem.

Ose. 11. 4.
Isa. 10. 27.

2. S. Bernardus hoc symbolicè exponens, quemadmodum, ait, cum templa dedicantur, solemni ritu cruces, hinc inde oleo efformantur ad parietem: eo prorsus modo Deus in Religiosorum animabus agit: etenim per spirituale gratiæ suæ unctionem, pœnitentiæ & mortificationis cruces in ipsis lenit, ungit, emollit, ut faciles iis & suaves appareant. *Hinc est*, inquit, *quod multi abominantur & fugiunt pœnitentiam, crucem quidem videntes, sed non unctionem.* Sed vos (Religiosos suos alloquitur) *qui experti estis, ecce scitis quia verè crux nostra inuncta est*, perque hanc unctionem non reddita modo facilis & lenis, *sed &, ut ita dicam, amaritudo nostra dulcissima*, quod, inquam, mundanis amarum apparet & insipidum, nobis Religiosis per Dei gratiam comprimis dulce & sapidum videtur. Idcirco S. Augustinus, adhuc inexpertus sibi castitatem ajebat hactenus incognitam fuisse, ac visum inveniri posse neminem, qui eam integrè servaret, usq; dum vires divinæ gratiæ didicit ac perspexit: quâ juvante scilicet cum S. Ioanne dicere possumus: *Mandata ejus gravia nō sunt* nec intolerabilia, etenim gratia quam Dominus suppeditat ad faciendum quæ jubet, magnitudo ea reddit facilia & suavia, S. Gregorius id Isaiæ explicans; *qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem*; duplicem facit fortitudinem; unam justorum ad se ex amore Dei mortificandos, multaque toleranda; alteram impiorum, ad ingentes pro mundo labores exantlandos, id est ad honores obtinendos, familiam sustentandam, & appetitibus & honoribus satisfaciendum. Dicitque eos qui in divina gratia confidunt, posteriorem hanc fortitudinem in priorem illam quæ justorum est, mutaturos.

Serm. 1. de dic. Eccles.
Simile elegans de occulta gratia.
1. Ioā. 5. 3.
lib. 7. mor. c. 8.
Isaia. 40. 31.

3. *Alterum*, quo hoc mortificationis exercitium nobis facile & sapidū redditur, est Dei amor. Nihil quippe teste S. Augustino, est amore efficacius, nihil quod laborem ac difficultatem quamlibet magis facilitat atq; edulcat: qui enim *amat, nihil laborat*, quia amor facit ut labor nullus sentiatur; sed, *Omnis labor non amantibus gravis est, solus amor est qui nomen difficultatis erubescit*. Amantibus adeo labor laboriosus non videtur, ut eos etiam recreet. Sic piscantes, venantes, per declivia & acclivia cursitantes, adeo laborem hunc quem assumunt, nō sentiunt, ut eū etiā pro recreatione & voluptate ducāt, quia miro erga illa exercitia affectu & amore feruntur. Quid facit matres cōtinuos illos & graves, quos in alendis educandisq; prolibus subeunt, labores minimè sentire, nisi amor? quid uxorem cogit noctu & interdiu indefessam ægrotātis mariti curam suscipere, lectuloq; continenter assidere, nisi amor? quid etiam bestias & aves in educandis catulis

2. Medium, facilitans. Amor.
in manual. & tract. de laudib. charitat. & lib. de bono viduit. circa finem & serm. 9. de verb Dom. & ser. 48. de tempore.

tulis & pullis tam reddit sollicitas, ut sibi ipsæ escam subtrahant, quo illos enutriant, ut laborē subeant, quo illi quiescant; ut se in pericula audacter & intrepidæ cōjiciciant, quo illos tueantur, nisi solus amor? quid fecit Jacobo labores septem, imo & quatuordecim annorum, *& faciles & breves videri*, cum tamen æstu ureretur & gelu, nisi amor Rachelis? unde de eo testatur S. Scriptura: *Videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine*. S. Bernardus illa sponsæ verba, *fasciculus myrrho dilectus meus mihi*, exponens, *propterea non fascem, sed fasciculū dilectum dicit, quod leve præ amore ipsius ducat, quidquid laboris immineat, & doloris*. Observat quoq; ibidem, non dixisse eam absolutè, *fasciculus myrrho dilectus meus*, sed addidisse, *mihi*. Amāti enim nonnisi fasciculus est: unde si tibi gravis & grādis videatur fascis, id fit, quia non amas, & ex amoris defectu. Hoc ergo tibi sit in signum, multumne an parum Dei amoris tibi insit. Etenim labores virtutis graves non sunt, sed exiguus tuus amor est, ideoq; hi tibi grandes apparent, multum ama, & nō modo nullum laborem, sed & saporem senties. *Vbi amor est*, ait idem S. Abbas, *labor nō est, sed sapor*. Unde sancta quædam dicebat, se, postquam ab amore Dei semel tacta & convulnerata fuit, ignorasse deinceps quid esset pati tam intus quàm foris, vel à mundo, vel à diabolo, vel à carne, vel ab alia re qualibet. Purus enim amor nescit quid pœna, quid tormentum sit. Amor ergo præterquam quòd omnibus operibus valorem addat, eaq; perfecta efficiat, simul quoq; ingentes suggerit animos & robur, ad laborem & mortificationem quamlibet subeundam, omniaque facilitat, alleviat, & novo sapore condit. Hunc in sensum declarat S. Chrysostomus illud Apostoli: *plenitudo legis & dilectio*: non quasi velit dicere, universam legem & mandata in hac brevi vocula Amor inclusa esse; sed tantum per hunc amorem universæ legis, adeoq; omnium Dei mandatorū observantiam admodum facilem nobis reddi.

Gen. 29. 20.

serm. 43. in Cantica.

Cant. 1. 12.

serm. 85. in Cantica.

super P. 47. v. 14.

hom. 23. ser epist. ad Rom.

Rom. 13. 10.

4. Hoc ipsum confirmatur sententiâ illa sapientis in Canticis: *fortis est ut mors dilectio*. Cuius duæ inter cæteras expositiones à SS. Patribus dantur, quæ propositæ nobis materiæ deserviant. Unam dat S. Gregorius, quam etiam prius S. Augusti. cæteris omnibus præstare censuit: Nostin', inquit quid sibi velit sponsa cùm dicit amorē morte fortiorē esse? Sicut per mortē anima separatur à corpore, sic per amorē Dei à rebus corporeis ac sensibilibus ac veluti mors à rerū omniū mundanarū commercio nos sequestrat ac divellit: sic amor Dei, à spiritu nostro suffultus, ita nos corroborat, ut à conversatione & cōmercio mundi, & ab omni, qua erga carnem omnesq; res sensuales ferimur, affectione nos separet. Hoc nimirum ratione amor morte fortior & potentior est: nam uti mors corpus interimit, ita Dei dilectio omnem erga res corporales & sensuales affectum in nobis consopit & enecat, efficitq; ut homo mundo & amori proprio moriatur, ac soli Christo Domino vivat, ut cum Apostolo dicere possit: *Vivo autem, jam non ego, vivit verò in me Christus*.

Cāt. 8. 6. Dilectio morte quomodo fortior.

Rom. 8. 35.

Gal. 2. 20.

5. Alium

5. Alium illorum verborum sensum suggerit sanctus Augustinus super illud Psalmographi: *Ponite corda vestra in virtute ejus. Fortis est*, inquit, *ut mors dilectio. Quomodo enim mors quando venit, resisti ei non potest, quibuslibet artibus, quibuslibet medicamentis occurras.* Sis licet Episcopus, Rex, Pontifex, Imperator orbis, nihil tibi profuerit, ipsa calcat omnia, *ejus violentiam vitare non potes, quia mortalis natus es.* Sic ubi quis ab amore Dei verè jam correptus est, nihil ei resistere vel objectari potest: nec ab illo eum separare valent quæcumque mundus habet, non honores, non divitiæ, non prospera, non adversa. Ita se rem habere, in se quisque vestrum perspicere potest, per gratiam quam à Domino accepit: una enim sancti amoris quam ipsius, cordi vestro injecit, scintilla tantæ est efficaciæ, ut hactenus nihil vos à perfectionis & susceptæ Religionis semita abstrahere ac divellere potuerit, non parentes, non consanguinei, non quidquid in mundo est; sed omnia conculcaveritis ac spreveritis velut stercora comparatione ejus quod modò possidetis. Amemus ergo Deum, & nihil unquam ab ejus amore nos poterit sequestrare; quin potius cum Apostolo dicemus: *Quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio an angustia, an fames, an nuditas, an periculū, an gladius? Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.*

Super Ps. 47. v. 14.

Rom. 8. 35.

Caput XX.

Aliud, quo mortificationis exercitium facile nobis & jucundum evadet, medium proponitur.

1. Tertium medium, isthoc mortificationis exercitium suave & facile reddens, est speratæ mercedis ac remunerationis magnitudo. Hac se spe medias inter afflictiones, à quibus tantum non obtinebatur, solabatur & animabat Job, dicebatque: *Quis mihi detribuat ut scribantur sermones*, quos exprimere volo, ut eorum apud posteros perpetua memoria maneat? *Quis mihi det ut exarentur in libro stilo ferreo, & plumbi lamina, vel alte sculpantur in silice!* Quorsum, mi Job, tantam verbis tuis perpetuitatem & diuturnitatem exoptas? nimirum, ut quod in adversitatibus meis modò ego sentio per illa solamen, id omnes tam qui nati sunt, quàm qui nascentur ab illis, etiam in suis experiantur. Et quænam obsecro sunt illa verba? *Scio enim* revelatione divina, *quod Redemptor meus vivit.* (loquitur de Dei filio, & quidem diu post venturo, tanquam si jam dudum venisset, & illum oculis suis videret, ob indubitatam adventus ejus certitudinem:) qui quoniam resurrexit ac *vivit*, scio quod & ipse *in novissimo die de terra surrecturus sum*, & de pulvere, in quem redactus ero; *Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum*

Tertiū medium Spes præmii.

Iob. 19. 23.

meum, qui sibi servientium præmium est: *quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi & fruituri sunt, & non alius*: id est, ego ipse qui modo affligor & patior resuscitabor, & Deo fruar. *Reposita est hac spes mea in sinu meo*, & ex illa, velut thesauro, in laboribus meis alleviamentum & consolationis opes depromo. Hac quoque spe Deus animavit Abrahamum: illo enim dicente, Iubente te, Domine, terram & cognationem meam reliqui, quod ergo mihi dabis præmiũ? ilico respondit Dominus: *Ego ero merces tua magna nimis*. Eadem quoque animatum fuisse Moysen scribit Apostolus ad honores repudiandos, & improperium Christi complectendum. *Fide*, inquit, *Moyses grandũ factus*, & spe, *negavit se esse filium filia Pharaonis*, à qua etiamnum infans adoptatus erat, *magis eligens affligi cum populo Dei* ex amore divino, *quam temporalis peccati habere jucunditatem*; *maiores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi*: *aspiciebat enim in remunerationem* & præmium quod sperabat. Hac denique David Propheta ad Dei legem & mandata adimplenda, animabatur, cùm de se testabatur: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem*.

Gen. 15, 1. Heb. 11, 24. Ps. 119, 112.

2. *Dices forsan*, inquit sanctus Augustinus, *Grandis labor* semper & in omnibus voluntatem suam mortificare & frangere: *sed respice quod promissum est* tibi hoc facienti: ac videbis, omnia in illius comparatione admodum exigua esse. *Omne opus leve fieri solet cùm eius pretium cogitatur*, & *spes præmii solatium est laboris*. Atque hoc, inquit, quotidie de facto in labore mercatorum, agricolarum, & militum videmus. Si enim effera maris rabies, & terrifici undarum gurgites ac pericula nautas & negotiatores non absterrent, nec pluvia & aeris inclementia agricolas, nec vulnera & mors ipsa milites, nec verbera & lapsus pugiles ac luctatores, cum consequi sperant, & oculos conjiciunt in id quod per illa spectant; quomodo, qui regnum cœleste sperat, sibique propositum habet, labore illo & mortificatione quam virtus exigit, deterreatur & expallesat? *Et illi quidem*, ait Apostolus, *ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam*, quæque omne in ævum duratura est.

Epist. 143. ad Demetriad. Cælum labore comparari meretur. Gen. 15, 1. Psal. 55. 8. Isai. 55, 1. Basilii exhortatio. admonit. ad filium spirit. 1. Cor. 9. 25.

3. Nihil enim est omne quod agimus collatum cum eo quod speramus pro eo recipere: nihil est quod petimur præ eo quod nobis datur, & quidem gratis. Non potest judicari, verené merx aliqua cara sit aut vilis pretii ex eo quod venditor eam tanti faciat, sed ex ipsa rei venalis natura & valore. Peto à te, num multum sit centum pro re quapiam aureos dare? Respondebis prout quidem eius erit valor, id vel nimis parum vel nimis multum fore: nam fieri posse ut ea talis sit, ut quinquagenos obulos pro ea dare nimium sit: & contrà talis, ut mille pro ea persolutis aureis, adhuc gratis penè eam accepisse videaris: ut si, verbi causa, pretiosissimus lapis, vel civitas aliqua mille ematur aureis, gratuito propè dari videbitur. pari modo si nosse velis,

Per exiguus & penè nihil, est præmii respectu omnis noster labor. Psal. 89. 10. 11.

velis, multumne an parum sit quod à te Deus exigit, vide quid emas, vide præmium quod rependit. *Ego ero merces tua.* Deus tibi datur: Deus mihi datur? ergo gratis datur: Nihil ergo pro eo à me petitur, cum petitur ut voluntatem abnegem, meque mortificem. *Pro nihilo*, inquit Propheta, *salvos facies illos.* Pro nihilo scilicet id mihi datur. *Qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite, emitte absq; argento, & absq; ulla commutatione vinum & lac.*

Gen. 15. 1.

Psal. 55. 8.

Isai. 55. 1.

4. Quapropter hoc medium etiam impensè à S. Basilio commendatur; *semper*, inquit, *cor tuum promissa cœlestia*, æternamque gloriam quæ te manet, *meditetur, ut ipsa te ad virtutis viam provocent.* Hoc quoque argumento discipulos suos, ad incæpto Religionis fervore ac rigore perseverandum, animabat S. Antonius, ac miram Dei liberalitatem demiratus in hoc considerando inculcandoque totus erat: Contractus, inquit, & conventiones hominum in hac vita utrimque sunt æquales: tantum enim quisque dat, quantum accipit, & res venalis tanti est pretii ac valoris, quantum pro ea persolvitur: at vitæ & gloriæ æternæ promissum vilissimo emitur. Scriptum quippe est: *Dies annorum nostrorum, in ipsis septuaginta anni: si autem in potentatibus, octoginta anni: & amplius eorum labor & dolor.* Si ergo octoginta, vel etiam centum per annos, vel amplius Deo servierimus, non totidem pro illis dabuntur anni gloriæ, sed in perpetuum, & quamdiu Deus erit Deus, ac per omnia sæculorum sæcula in gloria regnabimus: *in æternum*, aiebat, *& ultra.* *Ergo filioli non vos aut tædium defatiget, aut vanæ gloriæ delectet ambitio: non enim sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Id enim quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

Basilii exhortatio, admonit. ad filium spirit.

Psal. 89. 10. 11.

Exod. 15. 15.

Rom. 8. 18.

2. Cor. 17.

5. S. Bernardus appositissima materiæ nostræ similitudine id declarat. Nullus, inquit, tam fatuus agricola est ut longum ei videatur tempus quo seminat, etsi sementis etiam ad multos extendatur dies: novit enim quod diutius seminavit, eo plura se messurum. Sic & nobis ait, vitæ huius laborem non debere videri diuturnum aut longum: quia vita hæc tempus est sementis: quo autem plus seminaverimus ac laboraverimus, eo copiosiorem & uberiorem fructum in horrea cœlestia convehemus. Finitque demum his verbis: *Et certè modicum seminis incrementum, non modica seminis multiplicatio est.* Cùm enim agricola sub tempus messis pro uno tritici à se seminati modio, viginti se aut triginta colligere videt plura multo seminasse vellet.

S. Bernardi exhortatio. epist. 341. ad monach. S. Berlini.

Caput XXI.

Superiori capite dicta nonnullis confirmantur exemplis.

1. Fuit ex antiquis Anachoretis, qui mirum in modum corpus affligebat, variisq; id austeritatibus atque mortificationibus atterebat. Mone-

Vit. Patr. Primum exemplū.

Monebant eum proindo noti ac discipuli, ut sibi parceret, laboresque ac mortificationes plus æquo rigidas nonnihil moderaretur. Quibus ille, Credite mihi, inquit, filii, si quidem Beatorum in cœlo status ac locus doloris alicuius anxietatisve capax esset, dolerent certè hi quàm maximè quod, dum vixere, maiores austeritates, labores, mortificationesvé non subierint, videntes magnitudinem præmii ac compensationis, quod pro iisdem acciperent, quantoque ampliorem sibi gloriam tantillo labore comparare potuissent. Quibus consonat illud S. Bonaventuræ dictum, *Tantam gloriam omni hora negligimus, quanta bona interim facere possemus, si otiosè eam transigimus.*

Opu. de perfect. relig. lib. 1. ca. 30.

Blosi. & refert Bredenbach. lib. 8. colla. c. 30. Secundũ exemplũ.

2. His simile est, quod de S. Mechtilde virgine refertur. Hæc cum frequenter à Christo sponso, cui totam se obtulerat, visitaretur, variaq; ab eo arcana edoceretur, quadam vice sanctos sibi dicentes audivit: O vos beatos ac felices, tametsi in terra mortales adhuc vivatis, quòd plurima vobis merita comparare & coacervare liceat! si enim sciret homo, quantum quotidie promereri possit; manè cùm primùm lecto surgit, miro gaudio profunderetur, quòd illa illuxisset dies, in qua Deo suo vivere, ac per eius gratiam, ad eiusdem honorem & gloriam, nimium quantum merita sua posset adaugere: hæcqué illi cogitatio robur & animos adderet ad omnia sua summo cum gaudio & agenda & patienda.

Pratum spiri.

In libro qui Pratum spirituale dicitur, (cuius auctor est Ioannes Eviratus Mosius, vel, ex aliorum opinione, S. Sophronius Patriarcha Ierosolymitanus, fuitque in Concilio Niceno secundo à collectis Patribus approbatus) hoc refertur. Monachus quidam cellam duodenis propè passuum millibus ab aqua distantem habebat; quam cùm continuò inde deportaret, die quadam defatigatus præ labore in via defectis viribus cócidit. Vndè dixit intra se: Et quorsum necesse tanto me assiduè labore confici, tantumque semper itineris suscipere: stat animo non procul ab aqua habitationẽ figere, ibiq; mortis diem in quiete exspectare. Ergò cum proxima vice, aquam amphora petitur⁹, ad flumen abiret, designavit locum habitationi commodũ, necnon eius construendæ modum, adhæc quam vitæ rationem in ea iniret. Hæc animo versans, vocem articulatã post se audivit velut numerantis, unum, duo, tria, &c. unde admirans, oculos circumquaq; voluit circũspecturus, num quem in vasta illa solitudine videret locorum spatia dimetientẽ, vel dinumerantẽ. Neminẽ tamen vidit. Perrexit ergo in cœpto itinere, urgetq; designatum mente tuguriolũ, sed rursum ad ipsum eadem dilapsa vox est, dicens, unum, duo, tria, &c. Secundò respiciens, ne tum quidem ullum conspexit. Cùm id & tertio cótigisset, respectans, vidit pone se fulgentissimum & pulcherrimũ adolescentem, à quo audivit: Noli percelli aut turbari: Angelus sum Dei, & venio ut tuos in itinere suscipiendo in itinere enumerem passus, ne illorum quidem

Tertium exemplũ.

Vit. Patrum p. 3. fol. 18. 7. Quartũ exemplum.

quidem ullus suo præmio & remuneratione frustretur. Quo dicto, evanuit ex oculis. Quare monachus in se reversus, Itane, ait, insaniã, ut tanto præmio & mercede ultro excidere velim? Nec mora, mentem mutat, errorem corrigit, tuguriolum etiam longiùs à flumine dimovet, ut suus in aliquando labor etiam increscceret, itaque ipse magis defatigaretur.

Vit. Patrum p.3. fol.18.7. Quartũ exemplum.

Vita Patrum veterum aliud nobis exemplum exhibuit. Anachoreta quidam in Thebaide discipulum habebat, quem varia per experimenta excoluerat. Hinc pro more habebat sub vesperam ad pietatem exhortari, & dein' oratione præmissa cubitum dimittere. Contigit autem, quosdam sæculares, admirandæ eius abstinentiæ fama excitos, senem hunc visitare: quos cùm ille jam serius à se dimisisset, solitam nihilominùs exhortationem ad discipulum instituere voluit; quam eò usque extendit, ut somnus eam interciperet. Bonus interim adolescens, usque dum senex expergiscatur, patienter exspectat, ut, oratione pro more, ab ipsis simul instituta, is à seniore dormitum abire juberetur. Sene verò nõ evigilante, varii in animo eius impatientię motus insurgere cœperunt, suggerentes identidem, ut, ne quidquam exspectans, cubitum concederet. Quibus ille generalissimè est obluctatus, ac licet cogitationes illæ idẽtidem recurrerent, & iam septies recurrissent, ipse ne semel quidẽ cessit, sed magna cum constantia eas à se repulit. Nocte ergò media experrectus senex reperit juvenem eodẽ sedentẽ in loco, in quo eum suam exhortationem incipiens, reliquerat: & dixit: Quare me non excitasti fili? Qui respondit, nequã tibi molestiam creârẽ Pater. Simul ergo matutinas preces cũ decurrissent, benedictione sua donatum juvenẽ à se dimisit. Cùm verò senex pòst se ad orandum composuisset, raptus in spiritu extra se, vidit, monstrante Angelo, locũ fulgentissimum & gloria plenum, in eoq; sedẽ splendidam, & ex illius summitate septem coronas pulcherrimas dependentes. Percontatus senex, ecquẽ illæ manerent, audivit, discipulum tuum: locum enim & sedem, quam ei paravit Dominus meretur vitæ quã instituit modus; has autem coronas septẽ hac nocte sibi patiendo promeruit. Manè facto rogavit alumnum senex, quid, se dormiente, noctu fecisset, & quid ei evenisset. Cui ille rem omnẽ ex ordine narravit, & septies se adversus oborientes impatientiæ cogitationes, à quibus impellebatur, ne illius expergefactionem exspectaret decertasse. E quo facilè senex collegit, eum ob septem de cogitationibus suis victorias, totidem laureas promeruisse.

Chro. Min. 1.p.l.1.c.52. Quintũ exemplum.

Cùm S. Francisco frater ipsius germanus media hieme occurrisset, trita lacerna induto, seminudo, prope mortuo, ac præ frigore trementi, misso nuntio per ludibrium & sannas eum rogavit, num sibi guttam sudoris vellet vendere? Cui vir sanctus ore hilari renuntiari jussit, se sudorem suum omnem jam antè sat magno & caro vendidisse. Hic idẽ vir sanctus cũ aliquot pòst annis, gravibus & continuis cum dolorib. conflictaretur,

ctaretur, molestissimisque insuper & insolitis diaboli tentationibus, exagitaretur, & quidem tam vehementibus ut vix ferendo videretur; vocem cælitus delapsam audivit, dicentis: *Macte animo Francisce, his tribulationibus, quæ tantopere te modò exercent, tam ampla in cœlis rependeretur merces & præmium, ut, licet universa terra transiret in aurum, omnia saxa in gemmas & uniones, omnes denique aquæ in balsamum, magnitudinem tamen thesauri illius, quem propterea recipies, minimè exequent.* Qua voce sic erectus, & recreatus est vir sanctissimus, ut dolores postea nullos sentiret; vocatisque ilico ad se monasterii sui fratribus, magno cum gaudio consolationem sibi cælitus à Domino submissam ex ordine narrarit.

Caput XXII.

Exemplum Salvatoris nostri Christi, quartum est medium, quo hoc exercitium mortificationis tùm facilè, tum jucundum redditur.

Alvar. paz. tom. 2. l. 2. p. 1. cap. 13.

Quartū medium Christi exemplū corroborans.

Heb. 12. 12.

1. QVartum medium, quo, ad hoc mortificationis exercitium imo amplectendum cumprimis animabimur & exstimulabimur, est ipsum Christi Redemptoris ac magistri nostri exemplum. Vnde & ab Apostolo, tamquam calcar ad naviter currendum nobis proponitur: *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in auctorem fidei & consummatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio* redemptionis nostræ *sustinuit crucem, confusione* mundi huius *contempta.* Et mox: *Recogitate*, id est, iterum atque iterum cogitate, *eum qui talem sustinuit à peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes. nondum enim usque ad sanguinem restitistis adversus peccatum repugnantes*, uti ipse suum propter te copiosissimè effudit.

Vers. 3.

Exod. 15. 23.

Figura apta.

2. Cùm filii Israel, ut in Exodo refertur, per desertum errantes in aquas Mara incidissent, adeò quidem amaras, ut eas nemo bibere posset; Moyses ad DEUM per orationem confugit; qui ei lignum ostendit, quod in aquas illas coniectum dulcorem iis inderet, easque sapidas & potabiles redderet. Per lignum hoc communiter interpretes lignum crucis dicunt designari. Cùm ergo mortificationis tibi labor gravis & molestus apparebit, hoc ligno iniecto eum dulcora: id est, in mentem revoca Christi Redemptoris crucem, passionem, flagra, spinas, fel & acetum, quod ei siti extrema laboranti ad refocillationem propinatum est; & mox ille tibi dulcis & sapidus reddetur.

Exemplum.

Chro. Min. 2. p. l. 4. c. 10.

3. Potens, honorabilis, & deliciis assuetus juvenis Ordinem Divi Francisci (uti in Chronicis eiusdem ordinis narratur) susceperat: cuius ingressum ægrè ferens Satan, huicq; vitæ mutationi invidens, eum tentare cœpit, repræsentando ei Ordinis suscepti austeritatem. nam quod pro ciborum lautitiis veste molliori & lecto commodo qua in mundo habuerat, in eo legumina, horridam & cannabeam tunicam, stramineum

saccum

saccum, & pro divitiis quas procul erat, extremam paupertatem reperiret; non poterat non ei nova & subita illa metamorphosis gravis & intolerabilis videri. Quæ omnia cùm ejus menti cacodæmon repræsentaret, & immensum exaggeraret, eum simul impellebat, ut ordine relicto ad suos rediret. Ille nutare & auscultare ex parte incipiens, decrevit seculum repetere. Hæc ergo dum animo agitaret, transibat fortè per locũ capituli & in genua antè Christi crucifixi imaginem illic positam provolutus, illius se misericordiæ commendavit: ubi extra se raptus, atque in spiritu elevatus, vidit Dominum Jesum, & gloriosam ejus matrem sibi adstantes: percontantur, quare discessum ab instituto vitæ quod susceperat, moliretur? Qui respondit: Quia in sæculo deliciis assuevi, Domine, hinc Ordinis hujus asperitatem & rigorem ferre nequeo, maximè in victu & vestitu. Tum Dei filius dextrum sustollens brachium, lateris ei vulnus sanguine stillans patefecit, & ait: Brachio extento, tuam huc manum infer, eamq; lateris mei sanguine inunge: & cum aliquis ordinis rigor & asperitas tibi occurret, hoc eum sanguine consperge, & mox omnis labor, quãtumcunque durus & gravis, dulcescet & mollescet. Paruit Domini consilio Novitius, &, quoties ab aliqua tentatione pulsabatur, Christi Domini passionem sibi repræsentabat, & protinus ei omnia in miram dulcedinem & mel convertebantur, quid enim homuncioni ac vili vermiculo grave & asperum videatur, cùm Deum ipsum pro se spinis coronatum, & in probrosam crucẽ actum conspicet? quid non pro propriis feret ac sustinebit peccatis, qui Dominum gloriæ, & Regem majestatis tam atrocia patientem videt pro alienis.

Sanguis Christi animam amaram dulcorat.

4. Unde & sanctis omnibus hoc, quod hîc tractamus medium, exemplum, inquam, Redemptoris, ejusq; imitandi desiderium, valdè familiare fuit: nam præterquam quòd ipsum efficacissimum sit ad nos animandos ut hoc mortificationis & patiendi studium ambabus ulnis amplectamur, maximæ simul est perfectionis, multumque operibus nostris valoris addit, eaque velut deputat, eò quòd tunc ex intenso quodam Dei amore nascantur. Sic legimus Sanctum Parentem nostrum Ignatium sub initium conversionis suę severissimas austeritates ac pœnitentias suscepisse, idque consideratione scelerum commissorum, ut hac ratione ea expiaret. At pòst altiùs conscendens, non tam anteactæ vitæ intuitu, quàm Christi Redemptoris, & Sanctorum omnium exemplo incitatus, in corpus suum animadvertebat.

Exemplum Christi imitandi à sanctis usurpatum & familiare fuit.

l.1.c.3. vitæ.

5. Considerabant nimirum Sancti Regem suum Christum hac eadem via incessisse, & tanto labores ac crucem amore desiderioque amplexum esse, ut ad diem illum quo sanguinem suum pro nobis effunderet, ac vitam poneret, toto vitæ tempore quam ardentissimè aspirarit. Atque ut elephanti conspecto sanguine ad prælium acriùs inardescunt, sic illi, Christi sanguine sibi proposito, miro martyrii pro eodem subeundi, & sangui-

Mortificationẽ quantopere sint amplexi.

sanguinis profundendi desiderio flagrabant, quod ipse suum priùs effuderit pro illis: cujus desiderii complendi cùm iis deesset occasio, in seipsos sæviebant, factique suiipsorum carnifices, corpora mirè excruciabant, continuas per pœnitentias ac labores illa atterendo, ac voluntates & appetitus suos velut annihilando: & sic aliquo modo respirabant, quòd hac ratione desiderio suo quadam tenus satisfieret, Christíque ante signani sui exemplum quoad poterant, invitarentur. Atque hoc velut de ipsis loquens significat Apostolus, dicens: *semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, ut & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris.* Taliter enim corpora nostra mortificare & tractare debemus, & vitam & exemplum Redemptoris nostri Christi exprimamus, eique assimilemur, *Non decet*, inquit S. Bernardus, *sub capite spinoso membrum esse delicatum*, sed carnem mortificare ac crucifigere, ut Christo capiti suo conformetur.

2. Cor. 4. 10.

S. Bern.

Alia media.

6. Multa quidem alia ad hoc exercititium facilitandũ adducere media possumus; quia omnia media, uti & omnes rationes, quibus nos SS. Patres ad pœnitentiam agendam exhortantur, subservire quoque possunt ad nos ad exercitium mortificationis suscipiendum animandos. S. Bernardus super hæc Apostoli verba, *Non sunt condignæ paßiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*, sic scribit: *Non sic condignæ paßiones & tribulationes hujus temporis ad futuram gloriam quam speramus, non ad præsentem pœnam quam timemus, non ad peccata quæ commisimus, non denique ad beneficia quæ à Deo recepimus.* Quorum vel unum seriò expensum satis erit, ad nobis exercitii hujus amorem ingerandum.

Rom. 8. 18.

Caput XXIII.

De tribus mortificationum gradibus.

1. Ut tractatui huic finem imponamus, breviter tres mortificationis gradus deducemus, præeunte in eo nobis S. Bernardo, ut per eos, velut per scalam, ad perfectionis fastigium conscendamus. *Primus* & infimus est, quem nobis in prima sua Canonica Apostolorum princeps commonstrat, dum scribit: *Charißimi, obsecro vos tamquam advenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis quæ militant adversus animam.* Omnes quotquot hoc in mundo agimus, velut peregrini sumus, ad patriam nostram, cælum scilicet, tendentes, dicente Apostolo. *Non habemus hic civitatem manentem, sed futuram inquirimus.* Et, *Dum sumus in corpore peregrinamur à Domino.* Ergo ceu peregrinos nos geramus. Peregrinus, inquit Bernardus, recta viam sibi præstitutam prosequitur, & quascumque potest ambages, flexus & circuitiones devitat: si quos per viam conspicit rixantes, vel in epulo festino, nuptiis, & tripudiis ridentes, non reflectit, non attendit, nec moratur; sed recta iter suum prosequitur: quia peregrinus est, nec ad illum de his pertinet, nec ipsius est, ad ipsa attendere. Non nisi ad patriam suspirat & anhelat,

Primus gradus: memінisse quod peregrinus sis.

Serm. 7. Quadra.

1. Pet. 2. 11.

Heb. 13. 14.

2. Cor. 5. 6.

lat, eique propior fieri, & ad illam semel pervenire gestit: unde vestitu viliori, ciboque qui itineri conficiendo sufficiat contentus, onera superflua à se abjicit & amolitur, ut commodiùs & expeditiùs ambulet. Hoc ergo modò & nos nostram peregrinationem hic peragere oportet. Rebus, inquã, mundi hujus obiter ac velut per transennam uti, & tanquam peregrinos ac viatores, uti verè sumus; nec plus sumere, quàm ad iter nostrum decurrendum necessarium sit, &, ut ait Apostolus, *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contentos esse.* Repudianda ergo & abjicienda nobis ea omnia sunt, quæ non admodum sunt necessaria, ut exonerati atq; expediti, commodiùs ambulemus. Adhæc, identidem nobis est ad patriam suspirandum, & exilium deplorandum, dicendumque cum Psalmographo: *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Næ beatus ac felix ille, inquit Bernardus, qui se in terra velut peregrinum reputat & gerit, suumque exilii locum & agnoscit & deplorat, dicens cum Psalte: *Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam, auribus percipe lacrymas meas, quoniam advena ego sum apud te & peregrinus, sicut omnes patres mei.*

Primus gradus: meminisse quod peregrinus sis. 1. Tim. 6. 8. S. Serm. 7. Quadra. 1. Pet. 2. 11. Psal. 119. 5. S. Bern. Heb. 13. 14. 2. Cor. 5. 6. Psal. 38. 13.

Gradus Secundus est, esse mortuum.

2. Bonus haud dubiè gradus hic est, ad quem si ascenderimus, non parum præstiterimus: at, est alius altior majorisque perfectionis, teste eodem Bernardo: quia peregrinus licèt locorum quæ pertransit, cives aut inquilinos non alloquatur, aut in eorum negotia inquirat; subinde tamen gaudet videre, & audire quæ per viam contingunt, eaque aliis enarrare: & quamquam propter hæc iter suum prosequi non negligat, nihilominùs aliquatenus in iis detinetur, ac seriùs ad destinatum animo locum pertingit, quin & ita hisce curiositatibus delectari ac detineri, ut non solùm causa ei essent tardiùs ad patriam perveniendi, sed & numquam. Quis ergo à rebus sæculi hujus alienior, liberior, ac remotior est peregrino? vis nosse quis? mortuus. Etsi enim peregrinus nonnisi viæ suæ conficiendæ necessaria petat ac procuret, eaque in humeros tollat; potest tamen plusquàm oporteat, iis intendere & detineri: at mortuus omnino nihil sentit, etiamsi ei & sepultura denegetur. Pari affectu mortuus audit calumniantes se ac laudantes, pari adulantes ac detrahentes sibi: vel potiùs neminem audit, quia jam mortuus est. Hic igitur secundus est mortificationis gradus, priori sublimior ac perfectior; quem insinuat Apostolus dum ait: *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Satis ergo nobis esse non debet gerere nos ut peregrinos in hoc mundo, sed præterea ceu mortuos nos reputare. Sed quomodo fiet istud? petat quispiam. Docet id vir quidam doctus. Considera, inquit, conditiones mortui: *non videt, non loquitur, non sentit, non audit, non quæritur, non inflatur, non irascitur.* Si ergo habes oculos ad videnda ac dijudicanda facta proximi, & forsan etiam Superiorum tuorum,

Colos. 3. 3. Lansperg.

mortuus non es: si, cùm obedientia tibi quid iniungit, statim ex adverso replices, & difficultatem in eo prætendas; si murmures, cùm defectuũ te coarguunt ac reprehendunt; si ægrè feras & indigneris, cùm te deprimunt, nullamque tui rationem habent; non es mortuus, sed in passionibus, atque honoris æstimationisq; propriæ appetentiæ admodum vivus. Mortuus enim, etsi conculcetur, vituperetur, contemnatur, non sentit, nec curat. O felicem & beatum omnino, exclamat S. Bernardus, qui hoc modo mortuus est! hæc quippe mors, vera est vita: quia immaculatos hoc in sæculo nos conservat, imò penitus ab eo facit alienos.

Gradus tertius est, crucifixũ esse.

3. Magnus omnino gradus summæq; perfectionis est iste, ac fortasse poterit aliquid adhuc maius & perfectius inveniri. Vbi verò id quæremus & inveniemus? nisi apud illum, qui in tertium raptus fuit cœlum. si enim tertium aliquem gradum prioribus eminentiorem & perfectiorem, mihi des, (ait S. Bernardus) tertium cœlum eum meritò voces. Poteftne ergo dari maius quid, quàm mori? potest omnino. *Humiliavit semetipsum Dominus noster Iesus Christus, usque ad mortem.* Estne quid amplius? est addit quippe Apostolus, & illo præeunte, Ecclesia in officio hebdomadæ sanctæ: *Mortem autem crucis.* Mori ergo in cruce, maius est quàm mori simpliciter: mors enim crucis, ea tempestate erat omnium probrosissima & ignominiosissima. Hic ergo tertius mortificationis est gradus, superiore altior simul & perfectior;

Phil. 2, 8.

unde non sine ratione tertium dici potest cælum, ad quod raptus quoq; fuit Apostolus, dum de se testatur; *Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Non dicit solùm, se mundo mortuum esse, sed & crucifixum, quin & mundum sibi crucem esse, & mundo se. Tamquam si diceret: Quidquid amat mundus, deliciæ carnales, honores, opes, vana hominum præconia, mihi tormentum & crux sunt, atque ut tale illa detestor: contrà quidquid mundus ut crucem, tormentum, infamiam reputat, huic cor meum affixum & confixum est: hoc ipse amo, & ambabus ulnis complector. Hoc est, me mundo crucifixum esse, & mundum mihi: mundumque mihi crucem esse & me vicissim illi.

Gal. 6. 14.

Quàm eminens hic gradus sit.

4. Gradus hic, ait Bernardus, primo secundoque altior ac perfectior est: peregrinus enim, etsi citò pertranseat, & rebus quas videt nõ multum detineatur, nec immoretur; eas tamen videt, & paululum ab iis detinetur. Mortuus quoque, (qui secundus est gradus) eodem animo sustinet adversa, quo prospera; infamiam, quo honores, nec ullum in ambobus discrimen ponit. Ac tertius hic gradus ulteriùs progreditur, nec æqualiter se in his gerit. Nam non solùm ad honorem & æstimationem nominis, ut mortuus ille, non attendit, verùm præterea gravis ei crux & tormentum est ab hominibus æstimari magnique fieri, atque ut tormentum ea abhorret ac detestatur: non solùm non offenditur infamia, & contemptu, sed & gloriatur & delectatur. *Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini*

Gal.6.14. *Domini nostri* IESU CHRISTI *per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo:* id est, quidquid amat mundus, mihi crux & patibulum est; quidquid ut crucem reputat, gloria, & summum gaudium. &, *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra,* persecutionibus, & infamia pro Christi nomine subeundis. Hic ergo tertius mortificationis est gradus, qui meritò à S. Bernardo, ob eximiam eius perfectionẽ, tertii cœli nomine indigetatur. Et quamvis id ipse per hanc tertii cœli metaphoram exprimat, communis tamen Doctorum & SS. Patrum doctrina est, in hoc, quod ipsi hic per tertium cœlum intelligimus, mortificationis perfectionem consistere. Ex hoc enim signo, docent Philosophi colligi, quempiam ad virtutis alicuius perfectionem jam ascendisse, si eius actus cum gaudio ac delectatione exerceat, uti suo in loco ostendemus. Si ergo nosse ipse velis, num quem in mortificationis studio progressum facias, an ad summum eius gradum pertigeris; vide, num gaudio tibi sit si voluntati tuæ mos non geritur, ac petita tibi denegantur. num læteris, cùm contemneris, & nullo in numero haberis: contrà, an doleas, cùm honoraris, cùm magni penderis, & aliquis esse reputaris. *Pensemus ergo singuli,* ait S. Bernardus, & quidem cum attentione, *in quo gradu quisque sit positus; & studeamus proficere de die in diem: quoniam eundo de virtute in virtutem videbitur Deus deorum in Sion.* Atque hoc ipsum est, quod Christus Dominus S. Francisco aliquando disertè dixit: Si me habere & frui vis, amara tibi dulcescant, & dubia ex adverso amarescant.

2. Cor. 7. 4.

Tract. 3. c. 10.

Bernard. ubi suprà.

Psal. 83. 8.

5. Cæsarius in quodam sui Ordinis Cisterciensis cœnobio laicum fratrem fuisse refert. Rodulfum nomine, insignem Dei famulum, & plurimis revelationibus cœlestibus clarum. hic cùm nocte quadam, persolutis jam matutinis precibus, in templo maneret orationem protracturus, vidit Christum Dominum in cruce fixum, & simul quindecim Ordinis sui Religiosos, etiam in sua quemque cruce fixos, in Redemptoris nostri comitatu agentes. Quamvis autem nox esset, tantus tamen à Redemptoris nostri præsentia fulgor & claritas emicabat, ut eos singulos videret, & exactè nosset, utpote omnes adhuc in vivis agentes: quorum quinque erant laici, reliqui decem, monachi conventuales. Qui cùm ad insolitum hoc spectaculum percelleretur, Christus Dominus è cruce eum compellans petiit, Nostin', Rodulfe, qui nam isti sint, quos circa me hic crucifixos conspicis? Respondit Rodulfus, utique Domine, qui sint, probè novi: sed quid sibi visum hoc velit, non intelligo. Subjungit CHRISTUS: Hi soli, ex universo hoc Ordine mihi concrucifixi sunt vitam suam quisque passioni meæ conformantes.

Lib. 8. Dialog. c. 13.

Exemplum.

TRACTATVS SECVNDVS,

DE MODESTIA ET SILENTIO.

CAPVT PRIMVM.

Quàm necessaria sit modestia ad proximum ædificandum, eique commodandum.

In quo consistat modestia.

Alvar. de Paz. to. 1. lib. 5. p. 3. c. 42. & 43.

In reg.

1. MOdestia, de qua jam tractaturi sumus, in eo consistit, ut ea sit corporis nostri compositio, custodiaque sensuum, talis gestus & conversatio, tales omnes nostri motus & actus, ut in omnibus, qui nos viderint & nobiscum egerint, gignant ædificationem. Quidquid autem de ea adferri potest, strictim sic comprehendit S. Augustinus. *In omnibus*, inquit, *motibus vestris nihil fiat, quod cuiusquam offendat adspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem.* Itaque non est propositi mei, in particulari ad omnia illa descendere, in quibus servanda sit modestia, vel quibus modis ea violetur: Sufficiet mihi in præsens generalis illa D. Augustini regula, quam & alii vitæ spiritualis Magistri tradunt. Nimirum ut omnes actiones tuas motusq; ita temperare studeas, ut iis nemo offendatur, sed omnes ædificentur: semperque in exteriori tuo humilitas, simul & gravitas religiosa maturitasque resplendeat: & hoc si feceris, debitè modestiam servaveris. Hoc solum hic ostendere paucis volo quam necessaria hæc modestia sit, atque iis præcipuè, quorum institutum est nō minùs impensè in proximorum salutem, quàm in propriam perfectionem incumbere.

Propriæ devotioni servit modestia.

Eius vis ad capiendos animos.

2. Quod ad primum attinet, inter cætera, quibus multum juvantur & ad salutem trahuntur proximi, est exterior hominis compositio religiosa quæ sit & ædificativa. Nam interiora nostra, homines non vident, sed sola externa, & hæc sola eos movent, & ædificant potentiusque iis prædicant quàm murmur strepentium verborum.

Facies speculũ animi est.

S. Franciscus sua concionabatur modestia.

Epist. ad Furiam viduam.

3. Ita S. Franciscus fertur quadam vice socio suo dixisse: Eamus prædicatum: exiisse dein & circumiisse civitatem; cui domum reverso dicit socius: Pater, cur non prædicamus? Iam prædicavimus, ait Sanctus; insinuans illam morum & vultus compositionem & modestiam, qua plateas obierant, bonam valdè

concio-

concionem fuisse, quâ ad devotionem populus, ad mundi contemptũ, ad compunctionem de peccatis, & cælestium rerum amorem excitaretur. Concio hæc, est per opera quæ efficacior longè est quàm quæ per verba sit.

Propriæ devotioni servit modestia.

4. SECUNDÒ, exterior hæc modestia, & compositio spiritualem nostrum profectum, ut post pleniùs dicetur, vehementer promovet: tam arcta siquidem est unio ac fædus inter corpus & animam inter hominem hunc exteriorem & interiorem ut quod in altero est extemplò in alterum derivetur. Quare cum homo interior benè compositus est, statim & corpus & exterior naturaliter cõponitur. contrà si corpus inquietum & incompositum sit, statim & spiritus incompositus est. Hinc fit, ut exterior modestia & compositio evidens sit interioris tranquillitatis virtutis & præfectus spiritualis argumẽtum & signum: perinde atque gnomon & index horologii, de motu rotarum totaq; interiori constitutione enuntiat, declaratur:

Facies speculũ animi est.

5. Hæc quippe ratio est, cur per hoc primum illud quod diximus, magis ita proximos ædificet modestia corporis exterior, eiusque compositio, hinc namque colligunt & animo concipiunt interiorem virtutem in animo latentem, ideoque magni eam æstimant, & in pretio habent, Vnde S. Hier. *speculum mentis est facies, & taciti oculi, tam modesti, quam vagabundi mentis fatentur arcana.* Idem Spiritus S. judicium est *quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium: sic corda hominum manifesta sunt prudentibus*, per exteriora, quæ vident in illis. Non est invenire speculum in quo se quis ita perfectè videt, atque ex exteriore aspectu colligitur interior alicuius virtus & compositio. *Ex visu cognoscitur vir* (ait sapiens:) *& ab occursu faciei cognoscitur sensatus: amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo.*

Epist. ad Furiam viduam.

Prov. 27. 19.

Eccl. 19. 26.

Prov. 6. 12

Refertur in hist. Eccl. p. 2. l. 4. in fine.

Immodestia signũ animi incompositi, in Iuliano Apostata.

6. Idem describens gestus apostatæ, dicit: *Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur.* Sicut Iuliani apostatæ indolem latensq; virus paucis agnitum, fuisse docet Greg. Nazianz. donec is sceptro & imperio potitus audentiùs illud, quia impuniùs prodidit: *A me autem* (inquit) *longè antè perspecta quodammodo fuerunt, ex quo Athenis cum eo congressus sum. Neq; enim mihi boni quicquam significare videbantur, cervix minimè firma, humeri quos subinde agitabat, & attollebat, oculus vagus & oberrans, ac furiosum quiddam intuens, pedes instabiles & titubantes, nasus contumeliam spirans, vultus lineamenta ridicula idem significantia, risus protervi & exæstuantes nutus & renutus omni ratione carentes, sermo hærens, spirituq; intercisus, interrogationes præcipites & imperitæ, responsiones his nihilo meliores. Quid singula describere necesse est? Talem ante opera conspicatus sum, qualem in operibus postea cognovi,* quo si qui, ex iis, *qui tum simul erant, atq; audiebant, nunc mihi præsto essent, haud ægrè testarentur: Ad quos, ut hæc conspexi, statim his verbis usus sum, quale Romana Respub. malum & pestem*

Eius vis ad capiendos animos.

S. Franciscus sua concionabatur modestia.

& pestem alit! præfatus licet, ac mihi, ut falsus vatus essem, imprecatus. *Præstabilius enim id fuerat, quam tantis malis orbem terrarum impleri, taleq; monstrum existere, quale nullis antè sæculis visum fuit.*

Quam late modestia serviat.

7. Vt ergo exterior inordinatio & perturbatio signum est vitii interioris; sic etiam modestia bona compositio signum est virtutis interioris, ac proinde ad proximum ædificandum & movendum tantopere conducit. Quapropter præcipua quædam solicitudine seriò ei comparandæ nos insistere oportet: nam quia finis & institutum nostrum est, proximo per ministeria nostra prodesse, videl. prædicando, confessiones excipiendo, docendo, rudimenta fidei rudiorib. proponendo, adversarios invicem conciliando, carceres & nosocomia visitando, & nihil ad has functiones ritè obeundas, ut nimirum benevolè excipiantur, fructumque in proximis faciant, hac exteriori modestia & compositione morum potentiùs est aut efficaciùs.

Modestia parit authoritatem, declaratur id exemplo. *Sur. l. 2. c. 1. vita S. Bern.*

8. Per hanc namque apud proximum auctoritas paratur, idque ob virtutis & sanctitatis opinionem quã de docente concipiunt. Innocent. II. Ponti. Max. unà cum Cardinalib. aliquot visitatum concesserat monasterium Clarevallense, quibus cum S. Bernar. loci Abbas cum suo Religioso grege officii causa obviam progrederetur, sola exterior Monachorum illorum compositio adeò Pontifici ac sequacib. eius placuit, ut multis lacrymis, animorum suorum devotionem & compunctionem, quam ex intuitu tam decenti virorum religiosorum hauserant, testarentur. Mirabantur omnes piam & decoram sanctæ huius congregationis gravitatem, quod scil. in festo & gaudio tam solemni ac insolito, (ut erat nimirum summum Pontificem & Cardinales in domo illa præsentes videre) cuncti oculos humi defixos tenerent, nec aliquam in partem verterent; &, cùm ab omnibus aspicerentur, ipsi neminem aspicerent.

Ædificat & domesticos.

9. Neque verò hæc morum observantia ac religiosa ad modestiam corporis compositio ad externos tantùm, sed & ad domesticos ædificandos permovendosque plurimum valet. Vt enim sæcularibus res erit optimi exempli, videre Religiosum aliquem, dum Missæ servit, toto illo tempore nec oculos gyrantem, nec in hanc illamvé partem caput vertentem: ac, dum per plateas vadit, obtutum demissè gerentem, ac ne propè transeuntes quidem aspicientem: unde non possunt non, compungi, confundi, & tam compositum Religiosum plurimi æstimare: Ita etiam domesticos ædificat is, qui cum omni modestia, silentio, sensuumque collectione ubique versatur, eosque ad devotionem & compunctionem excitat. eoque inter alios fructus, qui ex modestia exteriorique compositione oriuntur, D. Hieron. hunc ponit: *quod loquacibus compunctionem ingerant, & intrandi ad societatem vestram sancta desideria incitent, & affectus ad cœlestia moveantur.* quasi dicat, vis nosse quid efficiat religiosus huiusmodi suo silentio & mode-

In reg. Monac. c. 22.

modestia ? ipsa vehemens & efficax est reprehensio loquacis, parum modesti & vagi, cum se ab illo multum distare videat. Hi sunt, inquit, qui domos religiosas replent, atq; in virtute & sanctitate sustentant & conservant: quod suo exemplo alios ad devotionem pertrahant, & cœlestia desideria in iis suscitent.

Ideo eã à sociis requirebat S. P. Ignatius.

10. Hoc est, quod S. P. noster à nobis tam studiosè exigit, ut ita modesti simus, *ut nos mutuò considerantes, omnes in devotione crescant, Deumque Dominum nostrum laudent.*

Reg 10. summarii.

Exempla modestię ædificativæ.

11. Dicitur S. Bern. fuisse modestia tanta & tam compositis moribus, ut omnes socios suos sola præsentia ad eandem sectandam excitaret, & ad exteriorem morum speciem in ipsis fingendam vel sola illa vox, Bernardinus venit, sufficeret. Et de S. Luciano Martyre narrant Metaphrastes & Surius in ejus vita; gentiles solo ejus aspectu conversos, & pertractos fuisse, ut Christiana sacra susciperent. Isti sunt boni Concionatores, imitatores S. Ioannis Baptistę, de quo dicit Evangelium. *Erat lucerna ardens & lucens*: ardebat enim in se ipso magno Dei amore, multumque lucis & splendoris mirabilis vitę suę exemplo ad proximum diffundebat. Quod sane nobis magno incitamento esse debet, ut ad ædificandos proximos ac fratres nostros, & ad fructum quem diximus, in iis faciendum, cum summa ubique modestia versemur, sin minus; ubi est zelus, ubi majoris gloriæ divinique honoris, atque animas lucrifaciendi desiderium, instituto nostro tam proprium, si in id non incumbamus, quod tantum habet momenti ad proximi ædificationem & conversionem, præsertim cum tam facilè factu, ac velut in manibus nostris sit.

Ioã. 5. 35.

CAPUT II.

Quam necessaria sit modestia etiam proprio nostro profectus.

1. COmmunis Sanctorum doctrina est, modestiam & sensuum custodiam, de primis esse mediis quæ ad in spiritu proficiendum & promovendum habemus, eò quod ad cordis custodiam interiorem collectionem, devotionisque conservationem maximopere cõducit, quod sensus externi ostia totidem sint, per quæ omne malum ad cor ingreditur. sanctus Hieronymus: in illud Job: *Nunquid apertæ sunt tibi portæ mortis, & ostia tenebrosa vidisti?* dicit in sensu tropologico, mortis portas sensus nostros esse; per hos enim intrare mortem peccati in animam, ut bene dicit Propheta Jerem. *ascendit mors per fenestras nostras.* addit, vocari autem *ostia tenebrosa*, quia ingressum dant tenebris peccatorum. Idem docet S. Greg. & est communis loquendi modus sanctorum Patrum, juxta id philosophorum axioma: *Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit sensu.* Dum ergo domus alicujus ostia sunt clausa, & benè custodita, reliqua omnia secura & sine metu sunt; sin aperta plane & incustodita sint, ut quisque intret & exeat prout vult, domus non erit secura, vel certè non

Modestia portis sensuum advigilat.

Iob. 38, 1.

Ier. 9, 21.

21. Moral. c. 7.

erit ibi quies & tranquillitas, ob tot hominum introitum & egressum. Eodem modo, qui benè custodierint sensuum portas, semper erunt colècti & devoti; sed qui eorum curam negligent, nullam in anima pacem & quietem habebunt.

Quomodo custodiendum cor. Prov. 4. 23.

2. Quare monet sapiens: *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit*, & ait, *omni custodia*, sollicitudine & diligentia, ut indicet magnum hujus rei momentũ; portis enim sensuum bene custoditis, custoditur & cor. Et S. Greg. ait: *Vnde nobis ad custodiendam cordis munditiam, exteriorum quoque sensuum disciplina servanda est*. Et S. Dorotheus: *Assuesce oculos non circumferre ad alienas & vanas res, hoc enim labores omnes monasticos deperire facit.* Quidquid multo tempore multoque labore lucratus es, facile per has sensuum portas dilabetur, nisi in illis benè custodiendis, serio allabores, itaque vacuum & bonis spoliatum te invenies, quam rectè dixit sanctus quidam vir. *Brevi negligentia perditur, quod multo labore & difficultate per gratiam paratur?* Alio loco monet S. Doroth. *Cave à multiloquio, hoc enim sanctas ac rationabiles & à cælo advenientes cogitationes penitùs extinguit.* Contrà verò S. Bern. *Iuge silentiũ* (inquit) *& ab omni strepitu sæcularium perpetua quies, cogit cælestia meditari, animumque ad illa sustollere.* Agens verò de oculorum modestia ait: *Oculi defixi in solum juvant, ut cor semper levetur in cælum.* Id experientia ipsi discimus: dum enim oculos modestè dimittimus, sumus collecti & devoti.

Lib. 21. mor. c. 2.

Oculos. Serm. 21.

Thom. à Kempis. Serm. 20. De linguà Epist. 78.

Tract. de 12. gradibus Humil.

3. Hæc certè causa est, cur S. Patres Ægypti (Cassiano referente) dicerent, illum qui vellet perfectam cordis munditiem ac puritatem, simulque devotionem & animi collectionem habere: debere esse surdum, cæcum, & mutum. Hoc enim modo sensuum portis occlusis, anima erit pura, & imaginatio libera, simulque disposita ad agendum & conversandum cum Deo. Sed dicet aliquis, quomodo nos poterimus esse cæci, surdi, muti, quibus tam frequenter cum proximo agendum, quosque tam multa, quæ nollemus, & videre necesse est & audire? Ecce remedium, perinde illa audire, quasi non audiremus: ut nimirum una aure illa excipiamus, altera emittamus, nec ad animum illa penetrare sinamus, sed illa statim ut audita à nobis dimittamus, nec multum illa moremur.

Cassian. l. 4. de instit. renun. c. 41. Esto in multis sine auribus, oculis, lingua.

4. Huc spectat, quod S. Ephrem narrat de quodam monacho, qui senem rogabat. Quid faciam? Abbas meus in pristinum me mittit, ut pistori operam meam deferam: sunt ibi juvenes externi, qui multa ab institu- tuto religioso aliena tractant, quæ me audire non decet: quomodo me geram? Respondit senex: Nunquid vidisti in scholis pueros, multo cum murmure & strepitu discentes, & relegentes lectionem, quam magistro recitare debent? ibi unusquisque suæ lectioni intentus est, & non aliorum, quia scit se suæ rationem dare debere magistro & non aliorum. Tu fac similiter, nec attende ad illa, quæ alii faciunt aut dicunt, sed tuo solum officio intende, hoc enim est cujusti- bi Deo ratio reddenda est.

Exemplum. To. 2. c. 73. de vario doct. p. 234.

5. Dici-

Aliud exemplum. Lib. 1. c 4. vita S. Ber.

In Prat. spirit.

Exemplo respondetur objectioni.

Aliud exemplum. *Lib.1.c. 4. vita. S. Ber.*

5. Dicitur S. Bernard. cor tam in Deo fixum habuisse, ut videns non videret, & audiens non audiret, adeò ut suis uti sensibus non videretur. Transegerat jam annum in novitiatu, & adhuc ignorabat, quale esset tectum cellæ suæ, tigneis ne è tabulis complanatum, an calce concameratum. Erant in templo tres fenestræ vitreæ, nec unquam, num plures unâ essent animadverterat. Profectus erat ferè die toto circa ripam lacus; & loquentes postmodum socios de illo lacu interrogabat ubi lacum illum vidissent, quia ad eum ipse non reflexerat. Simile quid narratur de Abbate Palladio, quod viginti annos in cella habitaverit, & nunquam oculos ad tectum sublevarit. Hoc modo nos, tametsi in medio mundi strepitu agamus, cum proximis tractando, surdi tamen, cæci & muti erimus, & quidquid ibi audimus & videmus, profectum nostrum minimè impediet.

In Prat. spirit.

Caput III.

De aliquorum deceptione, qui exteriora hæc parvi faciunt, dicentes in his perfectionem non esse sitam.

Exemplo respondetur objectioni.

1. EX dictis facilè colligere est, quantoperè fallantur, qui exteriora hæc, modestiam inquam & silentium parvi faciunt, dicentes *in his perfectionem non esse sitam, sed in cordis interiori, ac veris solidisque virtutibus.* Cui rei declarandæ deserviet exemplum illud sumptum è Prato spirituali, quod à Lipomano refertur: senex quidam morabatur in Scethi: hic die quadam venit Alexandriam, ut sportas manuum suarum venderet, viditque ibi juniorem monachum ingressum esse cauponam. Qua ex re senex vehemēter afflictus, manebat foris exspectans, donec egredi ēti juveni colloqueretur, quod & factum est. Mox enim ut egressus est juvenis, tenuit illum senior per manus, & seorsum illū ducens, dixit ei: An nescis, domine frater, quia habitum Angelicum fers? ignoras, quia juvenis es? Non nosti, quia multi sunt inimici nostri laquei? Nescis, quia & per oculos, & per aures, & per figuras varias & habitus, monachi in civitatibus læduntur? Tu autem in cauponas ingrederis? & quæ non vis audis, & quæ sunt noxia vides, inhonestisq; & viris & mulieribus cōjungeris. Noli itaque, fili mi, noli obsecro, sic agere, sed fuge in eremum, ubi cum Dei adjutorio salvari potes. Respondit ei junior: Perge senior, in hoc non est sita perfectio, sed in cordis munditie: habeo cor mundum, & hoc solum Deus quærit. Tunc expandens in cœlum ambas manus suas senex ait: Gloria tibi Deus: Ecce enim ego habito in Scethi annos quinquaginta quinque, & mundum cor non habeo: hic autem in tabernis conversans, cordis munditiam possidet! Hoc autem & tibi esto responsum: Fateor, essentialem perfectionem in cordis puritate & munditia, atque in Dei charitate sitam esse; non in his exterioribus. Tu tamen hanc perfectionem non habebis, nec assequeris,

Pratum spir. c. 194.

Nihil monacho cum caupona.

queris, nisi sensuum tuorum custodiendorum, modestiæ, exteriorisque compositionis accuratam rationem habeas.

Modestia est mediũ perfectionis internæ.

2. Hoc rectè notat S. Bonavent. & reddit rationem: quia per hæc exteriora acquiritur & conservatur interior animi compositio: hæcque exteriora sunt propugnacula & defensiones cordis. Vt in rebus naturalibus videre est, nec arborem produci sine foliis & cortice, nec fructum sine putamine; sed naturam omnibus exteriora sua præsidia & munimenta, ad conservationem eorum ornatumque suppeditare: sic etiam gratia (quæ naturæ conformiter, etsi perfectiùs illa operatur) interiora virtutis nonnisi isto exteriori mediante producit hoc.

Tom. 2. opuscul. li. 2. de profect. Relig. c. 22.

Modestię exterioris utilitas similibus declaratur.

3. Instar corticis & putaminis est, quo virtus interior collectio cordis puritas atque mundities conservatur, qua deficiente, etiam alterum deficiet. Vt corporalis sanitas vel infirmitas non in exterioribus, non in colore bono, vel malo consistit, sed in humorum interiorum temperie vel intemperie: nihilominus cùm videmus aliquem tetro colore esse: mox dicimus, hic ægrotat: non est omnino sanus: videsne quo colore sit, quàm plumbeo & livido: quam profundè hient oculi? Idem ergo in spirituali sanitate locum habet. S. Basil. insigni id similitudine declarat, quam quia ipse adfert, & nos adferre possumus. Præsupposita enim communi illa SS. Patrum doctrinâ & allegoriâ, sensus exteriores esse fenestras, per quas anima egreditur ad videndum id quod foris fiat. Dicit ergo id inter animam collectam & effusam esse discrimen, quod est inter mulierem honestam & levicu-lam. Mulierem honestam, miraculi loco habendum si videas in fenestra: dissolutam verò toto die ad fenestram & ostium videre est, curiosè notantem omnes qui transeunt, huic innuentem, illum salutantem & garrientem cum altero. Eadem est differentia (dicit S. Basil.) inter collectum & distractum Religiosum: collectum enim rarissimè & vix unquam videbis se per sensuum fenestras effundentem: intus est, intra secretum cordis sui collectus manet. Vagum autem ad singula propè momenta videbis ad fenestras has sedentem, curiosè explorantem quid transeat, audientem quid dicatur, loquentem curiosa, & diem otiosè, modò cum hoc, modò cùm alio fabulando transigentem. Iam dico quemadmodum honestas vel impudicitia mulieris, non consistit in eo: quod fenestram amet fugiatvè: sed levicula, garrula, ad loquendum, cumque aliis passim agendum effusa, evidentia per hoc levitatis & vanitatis suæ signa prodit: adeò ut hoc satis sit, ut ceu impudico, etiamsi non sit, censeatur: ad eundem modum, esto perfectio in lingua & sensuum custodia non consistat: veruntamen est, animam effusam garrulam, videndi, audiendi & colloquendi avidam nec perfectionem, nec cordis puritatem unquam assequuturam.

Tract. de vera vir. c. 2.

Quæ differentia sit inter collectũ & distractum.

Exterior modestia interio.

4. Notandum hic aliud permagni momenti punctum est: uti exterior

ris fructus est & Index. Epist.139.

tior hæc compositio ad concinnandam conservandamque interiorem juvat, sic etiam ab interiore exterior statim promoveatur. *Vbi Christus est modestia quoq; est*, dicit Greg. Nazianzen. Cum nimirum interius solida & perfecta habitat virtus, quam primum relucet gravitas in oculis, in verbis pondus magnaque in incessu, omnique motu nostro maturitas. Interior nimirum gravitas & pondus gravitatem & maturitatem addit exteriori. Atque hæc modestia est, quam S. Pater noster exigit, ut à pace animæ interiori, & vera humilitate oriatur: non illa modestia ficta & artificiosè simulata, quia hæc non durat, sed, cùm maximè ea opus habebimus, tanquã suppositítium quid deficit: sed modestia quæ se ipsa subsistat, enata, velut effectus è sua causa, ex corde cõposito, mortificato & humili, cuius etiam eadem est Index. Hinc ergo, velut è certa conjectura colligere possumus, an quis spiritualis sit, nec ne, num in spiritu proficiat ac crescat, an deficiat.

Reg. 29. summarii const.

5. Id quod S. Aug. hac comparatione declarat: quemadmodum nos adultos videmus non injustè multis carere recreationibus ac lusibus quibus pueri mirifice capiebamur, quibus si tunc privati fuissemus, ægerrimè id tulissemus, jam vero iis carere nullatenus nos affligit, quod hi lusus & recreationes pueriles sint, nos verò jam viri simus: pari modo fit (inquit) in vita spirituali, cum divina nobis placere ac sapere incipiunt, cùm vitæ spiritualis exercitamenta dulcescere, cum in spirituales homines, virosque perfectos commutamur: non sentimus nec angimur, si deliciis ac recreationibus sensualibus, quibus oblectabamur pueri & in virtute imperfecti carendum sit: hæc enim puerum & imperfectorum oblectamenta sunt, nos verò jam viri in spiritu facti sumus. *Cum essem parvulus* (ait Apostolus:) *loquebar ut parvulus, sapiebam ut parvulus: quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.* Vis ergo scire, an vir sis, atque in virtute ac perfectione proficias & crescas, an verò adhuc puer, vide an exposueris & oblitus sis quæ sunt pueri: si enim adhuc delecteris crepundiis & ludis puerilibus, puer es: si puerilibus oblecteris, si sensualibus capiaris, si sensus liberè effundas, si oculos tuos pascas, vana & curiosa videndo: aures, obvia quæque audire volendo: linguam, futilia, gerras meras & superflua ac nõ necessaria effutiendo, puer & imperfectus es, cùm puerilibus & imperfectorum propriis oblectationibus & nugis adhuc dum recreeris. Qui autem spiritualis est, & adolescit, accrescit in virum perfectum, jam amplius istis non capitur, quin potius ridet & explodit: uti adultus lusus ac crepundia puerilia, quem de illis vel cogitare puderet.

l.83. qu. 70. Simile, quo immodesti pueris, modesti viris cõparantur.

1. Cor. 13. 11.

Caput IV.

De silentio, quantaque bona & commoda ab eo sequantur.

1. VNum mediorum, quæ multum conferunt ad proficiendum

Silentiũ magnum spiritus

adiumẽtum & contra.

dum in virtute,& perfectionem; parandam erit, compescere & mortificare linguam: contra unum illorum, per quæ magis damnabimur, & profectus noster redardabitur, erit si liberas ei habenas permittamus. Vtrumque docet S. Iacobus in epist. sua canonica: ex una quidem parte dicit: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir:* ex altera verò: *si quis putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio:* S. Hieronymus ad silentii custodiam commendandam, hanc authoritatem adducit, atque propter ea sanctos illos eremi Patres, super hac sententia & doctrina Apostoli Iacobi fundatos, de illo studiosè observando cumprimis sollicitos fuisse. Addit se multos horum Patrum reperisse, qui toto septennio nemini locuti erant vel verbo. Porro, teste B. Dionysio Carthusiano, omnes omnino religiosorũ fundatores, inter reliquas Religionis observantias sanciverunt illam de silentio, ceu principalem: idque tanto cum rigore, ut publicam per disciplinam eum qui silentium transgressus esset, decreverint nonnulli castigandum.

Iac.3.2.

Iac.1.26.

in reg. monach. c.22

Dionys. Carthus.

Silentiũ unde sic commendetur.

2. Sed inquiramus nunc, quid causæ sit, cur illud tantopere nobis commendetur? Tantùmne piaculũ, verbum otiosum loqui? estne amplius quid, quàm quòd temporis momentum perditur, quod in eo proferendo cõsumere? amplus quàm peccatulũ veniale est quod aqua lustrali abluitur? plus sanè in eo esse debet, quam punctulum temporis perdere; & verè maioris esse ponderis hoc negotium, quàm cuipiam videatur; quandoquidem S. Scriptura tam seriò illud nobis commendat, & inculcat. Spiritus sanctus enim non est exaggerator rerum, nec illas alio ponderat pondere, quàm in se ipsæ contineãt. Iam verò Sancti Patres, & Ecclesiæ Doctores, quibus à Deo opt. max. singularis lux ad intelligenda atque declaranda S. Scripturæ mysteria, concessa est, maxima commoda, quæ ex silentii custodia dimanant. & contra ingẽtia dãna, quę ex cõtrario proveniunt, quã copiosissimè exponunt.

Silentiũ dedocet idioma mundi & docet idioma Sacrum.

3. S. Basilius perutile esse judicat, præcipuè incipientibus, exercere se in silentio: primò, ut discant & assuescant loqui prout convenit; multæ n. ad hoc requiruntur circumstantiæ, & res est ardua & magnæ difficultatis. Cum ergò aliis scientiis artibusq; addiscendis grave non ducimus multos annos impendere, eosq; ritè impensos ducimus, dummodo eas feliciter assequamur; ratio certè dictat, ut etiã aliquot scientiæ huic benè loquendi annos attribuamus: nisi enim fias discipulus, & discere satagas, nunquã fies magister. Dices forsitan: multum loquendi, loqui discemus, ut aliæ scientiæ & disciplinæ multo earum usu & exercitatione percipiuntur. Respondet S. Basil. hanc benè loquendi scientiam non posse nisi tacendo, diuturnaq; silentii exercitatione acquiri. Et hanc rei huius rationem addit: Nam cùm ad rectè loquendum multæ circumstantiæ pertineant, nos verò iis neglectis, tam prava proferendi quicquid occurrerit, & quomodocumq; libuerit, & eo sono quo voluerimus

Basil. in reg. fusius disput. 13.

Tyro spiritualis à silentio incipiat.

Silentio penetramus alio rum agẽ di modũ

rimus sine ullo ordine & regula, consuetudinem induerimus; silentium certè duo quędam, ut rectè loqui noverimus, opportunissima, præstat.

Silentiū dedocet idioma mundi & docet idioma Sacrum.

4. *Primū*, quod multo tacendi studio perversum loquendi morem, quē è sæculo nobiscum extulimus, dediscamus, & obliviscamur, quod certè ad bene loquendum imprimis necessariū est: uti est ad quid boni addiscēdum, dediscere quod malè prius didicimus. *Alterum*, quod silentio tēporis multū nobis comparemus ad modū rectè loquendi addiscendū. ipsum.n. nimis quā multum nobis dat, ad Religiosos veteranos considerandos, quos in hac scientia versatissimos esse videmus, quique quomodo oporteat loqui, optimè norunt, ut eam ab illis discamus, nobisq; imprimamus illam maturitatem, qua sermones suos condiunt, illam gravitatem pondus, qua verba omnia librant.

Silentio penetramus aliorum agēdi modū.

Vt enim Tiro cuiusvis artis manuariæ, Magistrū suum solerter inspicit, operantem, ut ad eius imitationem opus ipse suum faciat, itaq; eam addiscit & fit magister: ita etiā nobis sunt ii, qui hac tacendi decenterq; loquēdi scientia præstant, observandi, ut eam ab illis discamus. Cōsidera hunc seniorem fratrem, hunc Patrem veteranum, quam exactum loquendi modum teneat, quanta cum gratia expediat, & satisfaciat omnibus secum loquentibus & agentibus, quantumvis occupatus sit: sic, ut illi nihil aliud agendum esse videatur, quam ut tibi respondeat. Semper in eodem vultu, in eadem in respondēdo dispositione eum invenies; non qualis tu es, qui, cùm paulò es occupatior, præfractè morosèque respondes. Intuere alterum, quam placitè & reverenter, quā officiosè superiorib. respondeat, cùm ei quidpiā demandāt; Placet, inquit, lubens faciam, quàm sine excusatione, nec rogando, Quis id mihi imperat? Alium vide, ut nunquam quid loquatur quod fratrem offendat, vel displiceat, nec in recreationis hora, nec extra illam, nec per jocum, nec ad risum, tam illo præsente, quam absente, sed cum omnib. & de omnib. cum reverentia & debito respectu loquatur, & ab illo tu hunc in loquendo modum disce. Attende, quomodo alius ille, audito verbo, quo offendi poterat, appetitus, non reposuerit simile sed quanta gratia, ac si non audisset, dissimularit secundum illud prophetæ: *factus sum sicut homo non audiens.* Quam benè noverit & se & fratrem suum lucrifacere! Et disce, te similibus in occasionibus ad eius exemplum gerere: hic loquendi tibi esto magister. Ad hæc ergo dico docet S. Basilius longum silentii usum conducere, nimirum quod perperam loquendi usum dedoceat, & ad imbibendam rectè loquendi scientiam, otium suppeditet.

Ps. 37. 15.

5. Iam S. Ambr. & S. Hier. illud Ecclesiastæ: *Tempus tacendi, & tempus loquendi*, explicantur, idem confirmant: hancque esse volunt causam, cur philosophus antiquissimus Pythagoras primò quinquennis silentii legem discipulis suis præscriberet, videlicet, ut hac taciturnitate tam diuturna dediscerent, quod malè didicerant, & illo audito addiscerent

S. Ambr. l. 1. offic. cap. 10.
S. Hier. in Eccl. 3. 7.

Exemplū Gentiliū pro silentio.

cerent

cerent quod postea eos loqui oporteret, itaque loquendi artifices facti, sermones suos formarent.

Silentio promovemur in Magistros.

6. Ideo etiam sic concludit S. Hieronymus: *Discamus itaque & nos priùs non loqui, ut postea ad loquendum ora reseremus. Sileamus certo tempore, ad præceptorum eloquia pendeamus; nihil nobis videatur rectum esse, nisi quod discimus, ut post multum silentium, de discipulis efficiamur magistri.* Et licet hi Patres de religiosæ vitæ tironibus loquantur præcipuè, tamen ad nos omnes hæc dicta pertinent. Aut enim senior, aut novitius es; in linguæ custodia te vis habere aut ut novitium, aut ut seniorem & provectũ: elige utrum vis: si novitius es, & ut novitius haberi vis; prima tua regula & documentum debet esse silentiũ, donec, (ut dictum est) benè loqui didiceris. si senior es, & vis ut senior haberi, exemplum & speculum esse debes, quod intueatur novitius, & è quo tiro discat & incipiens: sed pluris facio ut te ceu seniorem, geras quàm ceu novitium; ad excellentiora enim obligat esse veteranum ideo novitius fuisti, tantoque tempore siluisti, ut loqui disceres. Iam ergo conveniens, ut post tantum tempus rectè loqui noris: si verò nunquam novitius fuisti, nec loqui didicisti, debes vel in hoc tironem agere, ut sic addiscas loqui, quod, quando, & quomodo conveniat.

❧(o)☙

Caput V.

Silentium insigne adjumentum est ad benè orandum.

Silentiũ docet orare.

1. Non solùm taciturnitas conducit, ut cum hominibus loqui discamus, verum etiam prodest & necessaria est, ut discamus loqui & agere cum Deo, orationique dediti simus. Hoc D. Hieron. affirmat, & hanc quoque rationem fuisse censet, ob quam prisci Patres tanti silentium fecerint. *Ex hoc enim*, inquit, *in eremo Sancti Patres edocti summa cum diligentia observant sancta silentia, tanquam sanctæ contemplationis causam.* Et S. Diadochos agens de silentio dicit: *Præclara ergo res est silentium, nihilque aliud, quàm mater sapientissimorum cogitatuum*, si ergo spiritualis, & vir orationis esse desideras, si cum Deo agere & conversari; custodi silentium.

In reg. Monach. c. 22.

De perf. Spirit. c. 70. in Biblioth. SS. PP. tom. 3.

Dat facultatem audiendi Deum.

2. Si bonas cogitationes jugiter habete, si inspirationes divinas audire vis, serva silentium, & esto collectus sicut enim alii surdi sunt, quia organum auditus vitiatum habent, alii verò obstrepens exteriùs murmur, & tumultuantes susurros non audiunt: sic etiam strepitus & murmur verborum, & negotiorum sæcularium ad divinas inspirationes audiendas, & attendendum ad ea quæ nobis utilia sunt nos impedit, & mentis auditum ex surdat. Amat Deus solitudinem ut in ea cum anima agat: Nam per Oseam ait: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad*

cor ejus, ibi consolationibus & deliciis eam, velut lacte uberum meorum inebriabo. *Ecce ego lactabo eam.* Quibus verbis favores & gratias designat quas animæ, dum se taliter colligit, impertit.

Serm. 40. in laut.

3. Unde S. Bernhard. *Deus spiritus est, & non corpus, ideoque spiritualem & non corporalem solitudinem petit.* Et S. Greg. *Quid prodest solitudo corporis, si solitudo & recollectio defuerit cordis?* Deus ergo aliud non requirit, quam ut intra cor tuum habitaculum quoddam & cellam constituas, ut in ea secum agas ibique vicissim divina ejus Majestas tecum conversari gaudeas. Ac tunc verè dicere cum Propheta poteris: *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* Nec ad id opus est, ut Anachoreta fias, ut commercium & consortium proximorum confugias, sed si semper vis devotus esse, & valdè dispositus & paratus, ad facili negotio orationi te applicandum, serva silentium.

Quam solitudinem amet De⁹. l. 30. Moral. c. 12.

Ps. 54. 8.

4. Quare optimè dicit S. Diadoch. Quemadmodum si ostium hypocausti & thermarum sæpiùs aperiatur, calor omnis inclusus per hoc statim egreditur: sic dum quis multum loquitur, omnis calor devotionis per os egreditur, statim cor effunditur, & bonis cogitationibus anima omnibus destituitur. Facilè videre est, quã citò omnis succus devotionis evanescat, simulatque os ad multiloquium laxatur: cor enim per os evaporat. At si multum vacui temporis habere: multarumque horarum spatium suffurari & coacervare velis, ad orationi incumbendum, serva silentium, & videbis quantum tibi temporis etiam supersit, ad cum Deo & tecum agendum. Quàm rectè dixit sanctus quidam vir: *si te subtraheres à superfluis locutionibus & otiosis circuitionibus, à novitatibus & detractionibus audiẽdis, sufficiens & aptum tempus invenires ad bonis meditationibus insistendum.* At si placeat tibi cum aliis loqui, si per sensus te diffunderi gaudeas, noli mirari, si semper à tempore præoccuperis, & ipsum etiã tibi ad exercitia ordinaria desit, sic, quia filii Israel per Ægyptum vagantes, undiquaque pateas quæritabant, non poterant constitutum operum pensum persolvere, ideoque ab Ægyptiis vapulabant.

D. Diadoc. ubi suprà. Multiloquio extingui tur spiritus devotionis.

Thom. de Kempis l. 11. c. 22.

Eccl. 5. 11.

5. Est & illud, inprimis notabile & spirituale hic observandum, quod, uti silentiũ causa est sanctæ contemplationis, sic vicissim oratio, contemplatio, & conversatio cum Deo, causa sit silentii. Dicebat Moyses Deo: *Ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum.* Et Propheta Jerem. incipiens cum Deo loqui, se denuo infantem factum queritur, & loqui nescire, ubi advertit S. Greg. homines spirituales, ac Deo per orationem familiares, ad res sæculares quamprimum obmutescere, & de iisdem loqui vel audire ipsis admodum esse grave: non enim aliud vel audire vel tractare vellent, quam de eo, quẽ amant, quemque cordi inclusum habent; hinc cætera omnia præ illo illis sordent & fastidio sunt, & *valdè insolens ac intolerabile æstimant, quidquid illud non sonat, quod intus amant.* Idque re ipsa in nobis experimus: Ita autem id esse, sic evincemus: cum Deus ali-

Devotio vicissim generat amorem silentii.

Exod. 4. 10.

Ierem. 1. 6. le7. mor. c. 6.

quo te gustu spiritus in oratione dignatus est, & cum devotione ab ea exsurgit, non est tibi cupido vel animus ullum alloquendi, vel oculos huc illucque flectendi, vel nova quæpiam audiendi, sed lingua tibi & reliqui sensus velut compedibus vincti videntur. Quæ rei hujus causa est? illa certè quòd intus negotium tibi sit cum Deo tuo, & ibi cum eo agas; hinc nauseæ tibi est exteriora ulla solatiola atque oblectamenta conquirere. Contrà verò, quòd quis multum loquatur, ac distractus forasque effusus sit, causa est, quod nullus intus sit spiritus, nulla devotio, nec cum Deo commercium.

Thom. de Kempis l. 1. c. 20. Testimoniū præclarum.

6. Hinc vir ille sanctus ait: *quare tam libenter loquimur, & invicem fabulamur; cùm tamen rarò sine læsione conscientiæ, ad silentium redimus?* caussam reddit; *Quia per mutuas locutiones ab invicem cōsolari quærimus, & cor diversis cogitationib. fatigatū optamus relevare, & multum libenter de his quæ multū diligimus, vel cupimus, quæ nobis contraria sentimus, libet loqui & cogitare*, sine delectatione & recreatione aliqua vincere non possumus, & quia intus in corde nullam cum Deo habemus, ideo illas in exterioribus quæritamus, Hæc etiam ratio, cur in religione, hi & similes defectus exteriores tanti fiant, tamque severè castigentur, quamvis ex se minuti videantur: nam defectus in exteriores ut sunt, silentium frangere, tempus inutiliter insumere, & similia signa sunt exigui profectus, & parvæ virtutis intus latentis. Hoc enim ipso ostendit quis, quòd nondum ad spiritum intrarit, nec cum Deo oblectari cœperit, cum secum & cum Deo in solitudine intra cellulam suam agere nesciat, nec secum in cella habitare. Cum arca seram non habet, vel hinc colligas, nullum ibi thesaurum nec quid pretiosum asservari. Cum nux avellana levis est, ac facile meretur, signum est cassam esse & sine nucleo. Hoc sc. est quod in his rebus spectamus, ideoque tanti illas facimus.

Caput VI.

Silentium, primarium est medium ad proficiendum & perfectionem assequendum.

De silentio dictum. P. Hieron. Natalis.

1. VIr quidam admodū spiritualis & eruditus, de silentio rem dicebat singularem & inprimis notabilem, è quâ quantum ejus momentum sit, facilè perspicietur, quæ licet hyperbolicè exaggerateque nimium cuipiam videatur esse dicta, est tamen ipsissima & planissima veritas, eaque reipsa comprobata. Ajebat ergo *ad totam domum, imò & religionem, reformandam aliud non requiri, quàm quoad silentium illā reformare nimirum si silentium domi sit, jam illam pro reformata me judice, habeto.* quo silentii encomio cum alia omnia comprehendantur, non videtur illustrior laus ei tribui posse.

Ratio hujus dicti.

2. Ratio est, quia vigente domi silentio, quisque rei ob quam ad religionem venit, spiritualis inquam profectus sui promotioni, intendit, sed illo exulante urgent ibi querelæ conventicula ad fabulandum murmura-

murationes, detractiones, privatæq; amicitiæ, quam per has conversationes & familiaritates foventur. Tunc nullam temporis rationem habent nec ipsi, nec alios habere sinunt, præter alia innumera dispendia hinc sequi solita. Unde cùm in domo religiosa non servatur silentium, & sæcularium potiùs habitatio, quam religiosorũ domus esse videtur: at illo vigente verè religiosa domus ac paradisus quidam esse videtur: ingressisque primum portam omnia sanctitatem spirare, & disciplinam videntur; solitudo enim illa & silentiũ religiosum introgredientium spiritum sublevant, eosque ad devotionem excitant, ut cum Jacob exclament. *Vere Dominus est in loco isto. Non est hic aliud, nisi domus Dei & porta cœli* quod de universo, idem de unoquoque sigillatim dico: nimirum reformet se in silentio, & eum ego verè reformatum esse dicam, id quod examen quotidianum docet in quo siquidem multa locuti fuerimus, in multas non culpas incidisse comperiemus. *Vbi verba sunt plurima* (inquit sapiens) *ibi frequenter egestas*, imò miseria ac plangendi materia. At cum benè silentium custodivimus, vix quidquam in examine invenies, quod culpa dici mereatur, *qui custodit os suum* (ait idem sapiens) *custodit animam suam.*

[Gen. 28. 26.]

[Prov. 14. 23.]

[Silentii religiosi cura ad multa prodest. Plut. tr.]

3. Corilaus Ethnicus, vir gravis & doctus inter Lacedæmonios, rogatus, cur Spartanis Lycurgus tam paucas leges dedisset, respondisse fertur, iis qui tam parcè loquuntur, (ut Lacedæmonii) vix legibus opus esse. Silentium ergò, & cuiq; specialiter, & toti domui, imò & toti Religioni reformandæ sufficit. Atque hęc est causa cur veteres illi sancti tanti silentiũ fecerint, tam seriò se in eo exercuerint, & Religiones omnes inter leges suas hanc tanquam præcipuum suum fundamentum, sanxerint. Quò Dionys. Carthusian. putat respexisse S. Jacobum Apostolum, cùm dixit: *si quis putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam*, fallitur; ac *seducit cor suum, & hujus vana est religio: & si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.*

[13. in moral. tõ. 1.]

[Iac. 1, 26.]

[Iac. 3. 2.]

4. Consideret hic ergo quisque, quàm exiguum sit, quod ab eo, ut perfectus sit, petitur, & quàm facile ad eo perveniendum medium demus, si multum in virtute proficere vis, si ad perfectionem compendio pertingere, serva silentium & hoc ipso eam (teste Apostolo Jacobo) consequeris, si homo spiritualis, & orationi habendæ dispositus esse vis, serva silentium: hac enim via eò perveniendum SS. Patres dicunt: & contrà si silentium tibi curæ non sit, nunquam ad perfectionem pertinges, nunquam spiritualis, nunquam orationi aptus eris. Quòd ut ita se habere credas, Dic mihi, an loquacem & garrulum unquam videris contemplativum & spiritualem? nec quidem profecisse eum videris: *Nunquid vir verbosus justificabitur?* petit S. Job. In quæ verba S. Greg. commentans, rem asserit esse certissimam, virum loquacem nunquam justificandum, nec

[Silentiũ est mediũ perfectionis.]

[Iob. 11. 2.]

[l. 10. mor. c. 2.]

multum profecturum. Ad quod probandum, allegat multas scripturæ auctoritates & inter alias illum Prophetæ: *vir linguosus non dirigetur in terra*, non progredietur, non crescet, subjacebitque maledictioni illi Iacobi: *effusus es sicut aqua, non crescas*: quia cor ut aquam, per oris & sensuum portas effudisti, varias in rebus exterioribus recreationes raptando, non cresces, nec progrediens.

Ps. 139. 12.

Gen. 49. 4.

Silentiũ negligere, imperfectiones, & tentationes generat.

5. Rectè æquiparant Sancti patres linguæ suæ negligentem custodem, nec eam refrænantem, vasi non habenti tegumentum, quòd Deus jubet pro immundo haberi: *vas quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit*: quia cuilibet immunditiæ intra se admittendæ expositum est, moxque pulveribus & sordibus replebitur: sic dum quis os occlusum non habet, statim imperfectionibus & peccatis repletur. Idipsum S. spiritus per sapientem docet, ac variis juloris sæpiùs inculcat: *Qui multis utitur verbis, lædet animam suam*. Et alibi: *In multiloquio non deerit peccatum*: Et *in multis sermonibus invenietur stultitia*. Vtinam id ipsi toties non experimur, quoties pro dolor experimur!! Nam ut bene S. Greg. observat: incipies à bonis verbis, inde delaberis ad verbum aliquòd otiosum, inde mox ad jocosum inde ad injurium devenies, & paulatim linguâ incalescente, & crescente desiderio rem ad augendis, &c, ut quæ dicta sunt aliquid esse videantur, etiam non advertenti tibi elabetur aliquod verbum mundanum, dein malum, inde perniciosum; incipies proinde à parvis, & defines in magnis; sic enim solet fieri, ut quis incipiat à ridendo, & desinat in detrahendo.

Num. 19. 15.

Eccle. 20. 8.

Prov. 10. 19.

Eccl. 5. 2.

lib. 7. mor. c. 17. & 3. p. past. admon. 3.

§. 6. Dicit ampliùs Albertus Magnus: *Vbi non est taciturnitas, ibi homo de facili ab adversario superatur*. & ad hoc probandum adducit illud Proverb. *Sicut urbs patens & absque murorum ambitu, ita vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum*. Quæ verba sic explicat S. Hieronymus sic ut urbs aperta, nec vallo, nec muro communita, cuiusvis hostis invasioni ac direptioni obnoxia est: ita is, cui hic silentii murus & antemurale deest, in præsentissimo discrimine versatur, ne ab hostis tartarei tentationibus expugnetur specialiorem dare rationem possumus: sicut homini, qui in hoc sæculo variis occupationibus distrahitur ac distinetur, facilè imponi potest, sed ei qui semper sui compos est, & ad sua reflectit, difficillimè: sic silentii non servantem Cacodæmon facilè potest decipere, eò quòd negotiis impertinentibus ac vanis distractus, intentus, absorptus sit, sed qui studiosus est silentii & recollectionis amator, semper circumspectus & prudens est, unde nec eum dæmon decipiet facilè, nec in pedicas suas pertrahet.

l. de virt. c. 31.

Prov. 25. 18.

Hieron. in dem Greg. 3. p. Pastor. c. 15. & l. 7. mor.

Cap.

CAPUT VII.

Non tristis aut melancholica, sed valdè hilaris vita eius est, eius, qui modestiam, silentium & solitudinem amat.

Vita in silentio acta, jucunda est.

1. EX iis quæ dicta sunt, res sequitur hac in materia dignissima consideratione nimirum hunc modestiæ modum, dum scilicet quis oculis humi demissis incedit, nihil aut audire aut loqui vult, nisi quod necessitas ac ratio suadet, ex amore Dei se surdum simul, & mutum, & cœcum efficiendo non morosam, ac tristem vitam, sed hilaritudine & gaudiis omnibus affluentem, tantoque communi illa vita jucundiorē, quanto commercium ac familiaritas cum Deo, humana omni conversatione dulcior est ac sapidior. Audi expertum Sanctum Hieronymum: *Viderint alii quid sentiant, unusquisque enim suo sensu ducitur mihi oppidum carcer, & solitudo paradisus est:* Sanctus Bernardus dicebat: *Nunquam minùs sum solus, quam cum solus;* solus etenim cùm sum, tunc plures habeo socios, tunc lætior sum & hilarior: nam versari & agere cum Deo, verè satisfacere animo & verum gaudium adferre potest. Illis verò, qui initium hoc cum divino Numine commercium ignorant, nec spiritualia degustarunt, nec quid sit ratio, noverunt, vita hæc miserabilis atque infelicissima videbitur: non autem bono Religioso.

Hier. ep. 4 ad Rustic. mon. de vivendi for.

Ber. tract. ad Frat. de monte Dei.

Cur quidam melancholiæ tribuant silentii custodiam.

2. Hinc & alia fraus intelligetur. Vti enim fur omnes quos videt fures ac sibi similes credit: Ita nonnulli dissoluti, ubi in quempiam decretum & recollectum, oculi humi defixis incedentem, nec promiscuè omnia, ut ipsi efficientem, nec cum omnibus obviis loquentem inciderint, quamprimum censent, tentatum illum esse vel tristem ac melancholicum, & quandoque eum, ut talem etiam traducunt & coarguunt. Sunt quoque nonnulli, qui quam quidem vellent, se exercent, præferre modestiam & silentium non audent, quòd propterea reprehendi vereantur. Quod inprimis notandum: ne quis sua indiscretione & exiguo erectionis spiritu ulli damnum creet. Quia fortè tu hilaritatem & solatium è silentio & collectione non percipis, putas nec alium illum eam percepturum. An ideo alterius modestia te offendit ac malè habet, quod assidua immodestiæ & exiguæ collectionis sit tuæ reprehensio, ideoque eam ferre non vales? Sinas proinde alterum in modestiæ & collectionis suæ exercitio progredi: maiore enim is hilaritate ac voluptate perfunditur, quàm tu: Quippè hæc est spiritualis & vera hilaritas: utpote de qua sic loquitur Sanctus Paulus: *Quasi tristes deseris, semper autem gaudentes & lætantes interiùs.* De quo & Seneca Gentilis amicum suum Lucilium edocet: vera, ait, lætitia in exterioribus non est sita, sed intus in anima. Vt aurum & purius metallum non est id quod in terræ superficie invenitur, sed eò quòd in venis & visceribus illius: sic vera sinceraque animæ voluptas non

2. Cor. 6. 10.

l. 3. ep. 23. ad Lucil.

est illa quam quis foris ostendit, loquendo, ridendo, & cum aliis loquendo: hæc enim animam non satiat, nec satisfacit, sed quæ, ad instar auri obryzi & puri bonam possidere conscientiam, generoso animo omnia terrena despicere: & omnia illa mente infracta transcendere, id demum verum est gaudium sinceraque lætitia.

Caput VIII.

De circumstantiis in loquendo observandis.

Ps. 140. 3. Ambr. l. 1. offic ca. 3. Greg. li. 7. mora. c. 17. & 3. p. pastor. ad monit. 15.

1. *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* Sancti Ecclesiæ Doctores Gregorius & Ambrosius, plurima neglectæ linguæ mala & damna, quibus sacræ scripturæ volumina plena sunt maximeque libri sapientiales, referentes, & silentii observantiam impensè nobis commendantes, ut à tot tamque funestis damnis & incommodis nobis caveamus, dicunt: *Quid igitur? mutos nos esse oportet?* Respondent: *minimè*, quia silentii virtus non consistit in non loquendo. Atque ut temperantiæ virtus non consistit, in planè abstinendo, sed in comedendo quando & quantum opus est, ac quoad reliqua abstinendo: Ita silentii virtus non est sita in non loquendo, sed in debito tempore ac loco tacendo, vel suo tempore loquendo. Et ad id probandum allegant id Ecclesiastæ: *Tempus tacendi, & tempus loquendi.* ideo magna discretione opus est, ut quis utrumque hoc debito norit tempore practicare. Vt enim vitium est loqui, cùm non convenit loqui: sic vitium est tacere dum loquendum est. Duo hæc, iisdem Patrib. testibus, nobis regius Propheta dictis verbis voluit insinuare: *Pone Domine custodiam ori meo.* Et quam custodiam rex sancte petis? *ostium circumstantiæ labiis meis*: ostium, quæ labia mea claudantur.

Silentii virtus in medio consistit.

Tacere vel loquere discrete.

Eccl. 3. 7.

Ps. 140. 3.

2. Vbi benè notat Sanctus Gregorius, non petere Davidem, ut ori parietem ponat Deus è luto vel latere constrictum, qui nunquam aperiatur, sed ostium, quod suo tempore aperiatur claudaturque: ut insinuet esse nobis suo loco os claudendum an silendum & suo tempore aperiendum, & in hoc discretionem virtutemque silentii sitam esse. Idem quoque petit Sapiens, dum ait: *Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, & lingua mea perdat me?* Tot circumstantiis & conditionibus, opus est, ut quis sine errore loquatur, ut meritò Sapiens timeat, ne per linguam perdatur, ideoque discretionem hanc petit, ut, cùm convenit, norit frenos linguæ jam permittere, jam adducere: Vnâ enim solâ circumstantia deficiente ad errandum sufficit. Vt autem benè perfecteque loquamur, opus est omnes circumstantias concurrere, ut ne una quidem desit: *quia bonum & virtus consurgit ex integra causa*, sic ut ne una possit deesse; *malum autem & vitium ex singularibus defectibus*, quæ differentia, virtutis vitiisque est.

Circumstantiæ silentio adhibendæ sunt, ut sit felix.

Eccl. 22. 33. & c. 28. 18.

3. Cir-

Lingua in ore sit & claustra docent parum loquendũ. *Ps.140.3.* *Basil. in reg. bre. 208. & in consti monast. c.12.* *Ambr.l.1. offic.c.10.* *Bern. de ord. vitæ & morũ. instit.c.6.* *Circumstantiæ silentio adhibendæ sunt, ut sit felix.*

3. Circumstantiæ autem ad rectè loquendum requisitæ hæ, ferà adferuntur à SS. Basilio, Ambrosio, Bernardo & aliis. *Prima*, eaque præcipua est; maturè admodum deliberateque expendere id quod dicere ac loqui volumus. Quam circumspectionem etiam ipsa naturæ providentia nobis indicare voluit, quando linguam non uno simplici ostio & janua, sed duplici repagulo obsepsit, primo dentium, dein labiorum, tanquam muro & antemurali, claustrum ei objiciens, nulla interim auribus custodia vel claustro addito. Vt vel indè probetur, quàm tardè & circumspectè nobis sit loquendum, quam vero prompti & faciles esse debeamus ad audiendum, juxta illud Apostoli Iacobi: *Iacob.1.9.* *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* *Eccl.22.33. & c.28.18.* Idem quoque docet mira linguæ compositio & harmonia: nam duas ipsa habet venas, quarum altera ad cor, altera ad cerebrum tendit, in quo omnis intelligentiæ sedem & domicilium Philosophi naturales locant, ut hinc discamus, id, quod ore proloquendum est, debere ex corde proficisci, & à ratione dirigi. Vndè etiam hoc primum est rectè loquendi præceptum, quod suggerit Sanctus Augustinus. *S. August.* *Omne verbum*, ait, *priùs veniat ad limam, quam ad linguam.* nimirùm priùs in corde efformandum est, & rationis regula limandum, quàm ore prodeat. Atque hoc est discrimen, quo Ecclesiasticus sapientem & stultum ait, posse dignosci. *Eccl.21.9.* *In ore fatuorum cor illorum, & in corde sapientium os illorum.* Id est, Fatui, cor linguæ & inordinato loquendi appetitui subjectum habent, ideoque effutiunt quidquid in buccam venerit; cor enim linguæ tam promptè paret, ac si cor & lingua unum quid essent. Sapientes autem & prudentes linguam in corde habent, quidquid enim loqui decent, inde procedit, & per consilium rationis linguam cordi, non, ut fatui, linguæ cor subiectum habent. Sanctus Cyprianus ait: *S. Cyprian.* sicut homo sobrius & temperatus nihil in stomachum demittit, quòd priùs non manderit: sic vir prudens & discretus verbum nullum ore emittit; nisi id priùs corde benè ruminarit. Ex verbis enim minimè ponderatis nec ruminatis graves persæpè nasci solent contentiones. Alterius illustris Sancti doctrina est, *S. Vincent.* tam nos restrictos & circumspectos esse debere in ore aperiendo ad loquendum, quam in aperienda crumena ad solvendum. Quàm tardè ea quam circumspectè bursam suam mercator explicat, antè bene examinans, an quid, quantumque debeat: Eadem ergo tu circumspectione & difficultate tibi os ad loquendum est aperiendum, considerando scil. priùs utrum te loqui oporteat, & quid, & ne plus quàm oporteat loquaris. Similia his habet Sanctus Bonaventura, *to.2. opus. l.2. de profect. relig. c.10.* docens tam nos cautos & parcos in verbis esse debere, quam est avarus in pecuniis expendendis. S. Bernardus his non contentus, addit: *Bern. in specul. monac.* *Antequam verba proferat, bis ad lineam veniant, quam semel ad linguam.* Idem quoque jubet S. Bonaventura, & S. Ephrem, *Bonav. in specul. discipl.c.5.* ex doctrina

Ephrem tom. 2. p. 281. c. 18.

ctrina Ammonii Abbatis est; *Antequam loquaris, communica cum Deo quod loquendum est, uti & rationem & causam loquendi: & tunc loquere quasi voluntatem Dei exequens, te loqui volentis.* Hæc igitur prima & præcipua ad benè loquendum circumstantia est: quam si servaverimus, reliquas haud difficulter servabimus.

Et recta intentione loquēdum.

4. *Secunda* rectè loquendi circumstantia est finis interior, qua nos ad loquendum impellimur. Nec enim sufficit verba esse honesta ac bona, sed & rectum ea finem habeant oportet. Alii enim, ut ait S. Bonaventura, bona loquuntur & pia, ut spirituales vocentur & habeantur; alii, ut ingeniosi ut acuti ac diserti & iis in rebus versati appareant, quorũ alterum hypocrisis & simulatio est, alterum vanitas & stultitia.

S. Basil. Respectus in personã loquentis habendus.

5. *Tertiò* docet S. Basilius, considerandum esse, quis sit qui loquitur, cui, & coram quibus loquatur: datq; hic præclara documenta junioribus, quemadmodum coram senioribus, & coram Sacerdotibus ii qui sacerdotes non sunt, versari debeant: sacræ scripturæ testimoniis omnia quæ docet confirmans: uti est: *Noli verbosus esse in multitudine presbyterorum.*

Eccl. 7. 15.

Bonæ educationis, & reverentis animi signum est tacere coram senioribus & sacerdotibus. S. Bernardus ait juniores tacendo honorem senioribus deferre; est enim hic quidam reverentiæ & observantiæ modus, & quo ipsis se nocere testantur. Et bonam dicti sui rationem addit: quia *silentium est maximus actus verecundiæ,* quæ juniores valdè decet. S. Bonaventura clariùs hoc explanans ait; Vti timor Dei componit & ordinat hominem in interioribus, cumque Deo placentem reddit; sic verecundia eum ordinat & componit in exterioribus, ac verecundum, modestum, & taciturnum coram maioribus reddit.

Iuvenes corã Senib. parũ loquantur.

de ord. vit. & morum instit.

de infor. novit. p. 1. c. 18.

S. Ambr. Accommodate tempori & loquẽdi.

6. *Quartam* circumstantiam esse ait S. Ambrosius, observare tempus, quo loquendum. Prudentiæ enim munus facile primum est, scire sua dicere tempore & loco oportuno. *Homo sapiens tacebit usque ad tempus, lascivus autem, & imprudens non servabunt tempus.* Ac de huius circumstantiæ observante sic loquitur cum honore spiritus Sanctus: *mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo.* Est hoc cum primis decens, & neminem oblectans. Contrà, etsi quis bona & speciosa proferat, si ea tempore importune dicat, gratiam non inveniet, juxta illud sapientis: *Ex ore fatui reprobabitur parabola, non enim illam dicit in tempore suo.* Ad hanc circumstantiam spectat sermonem alicuius non interrumpere, quod signum est magni stuporis & exiguæ humilitatis. Non est oportunum loquendi tempus, dum loquitur alius. *In medio sermonum ne adjicias loqui*; dicit Sapiens. Exspecta donec alius sermonem suum absolverit, atque inde tuum ordieris. Huc quoque spectat, quod ibidem additur: *Priusquam audias quæ dicuntur, ne respondeas verbum.* Et alibi: *Qui priùs respondet, quàm audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum.* Qui ad rem apposité non respondit. putabat

Eccl. 20. 7.

Eccl. 20. 22.

Eccl. 11.

Ibidem.

Prov. 18. 13.

putabat hoc illudne dictum esse, & dictum nō erat; sed alia omnia. Aliud quoque circa responsionem monitum dat S. Basilius: Cùm aliquis quispiam rogatur, tu taceto: cùm multis congregatis, plurium sententia exquiritur, nisi sigillatim ex te tua quæratur, quidam humilitatis defectus est, te aliis anteferre, & pro omnibus sequi velle. Tacebis ergo usque dum sigillatim quòd ipse sentias dicere jubeatis.

Ubi supra.

7. *Quintam* rectè loquendi circumstantiam ponunt SS. Patres in modo loquendi. Atque hoc est quod nobis speciali regula præcipitur; *omnes demissa voce, ut religiosos decet, loquantur.* Eaque primaria silentii circumstantia est, aut potiùs maxima ejusdem pars S. Augustini in verba illa Marthæ ad sororem suam Christo Domino veniente ut suscitaret à mortuis Lazarum: *Et vocavit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te*; quærit quomodo dicat; *silentio, cùm dixerit: Magister adest, & vocat te*; Et respondet, vocem demissam ac pressam vocari silentium. Ad eundem modum hic, cùm alter alteri de rebus officii sui demissa voce loquitur, dicimus domi esse silentium: Sed cùm elata voce utitur quamquam in rebus necessariis, dicimus silentium ibi non servari. Quare ut quovis in loco & officina servetur silentium, & domus videatur Religiosa esse, & nos, verè religiosi oportet voce demissa uti. Docet Sanctus Bonaventura insignem hominis religiosi defectum esse alta voce loqui: sufficit ita loquaris, ut qui propè sunt, te exaudire possint: at si remotiori cuipiam quid dicere velis, propiùs ad eum accede, & ibi id ei significa: quia religiosam modestiam dedecet clamosus sermo, ne quidem eminus. Notat quoque D. Bonaventura, nocturnæ quietis & recollectionis tempus, etiam magis ac præcipuo jure, hanc loquendi demissionem flagitare, ne aliorum illo in tempore quies interturbetur, eam quoque requirunt loca quædam peculiaria, uti sacrarium, janua anterior & triclinium.

In loquendo modus servandus, ne clamosè.
Regul. 28. commun.
tract. 49. sup. Joannem.
Joan. 11. 28.
In spe. disc. p. 4. cap. 5.
maximè noctu & certis in locis.

8. Ad hanc de modo loquendi circumstantiam refert S. Bonaventura oris in loquendo serenitatem, ut nimirum nulli ridiculi oris gestus efformentur, labia indecore non hient, vel comprimantur, ex oculis nulla animi latentis signa colligantur, frons non corrugetur aut nasus, caput utramque in partem non jactetur, nec manus plus sua molitatione loquantur quam lingua. Atque hæc sunt quæ nobis S. Parens noster in regulis modestiæ commendata esse vult. Ad hanc quoque circumstantiam spectare ajunt SS. Ambr. & Bernard. *ut vox ipsa non sit remissa, non fracta, nihil fœmineum sonans, sed formam quandam, & regulam, ac succum virilem reservans.* Et ut in fractū ac fœmininum vocis sonum non probant, sic nec agrestem, vastum ac fastidiosum. *Sed ut molliculum* (addit) *aut infractum vocis sonum aut gestum corporis non probo, ita neque agrestem aut rusticum.* Sermo ergo religiosi ita gravis esse debet, ut suavitate tamen sua respergatur & condiatur. Porrò etsi semper

Et sereno vultu, &c. decore ac gravitate.
Ambr. l. 1. offic. c. 19.
Bern. de ord. vitæ & mor. instit.

per & ubique necesse sit bonum in loquendo modum servare, potissimen tamen id necesse est, cùm quem monere aut coarguere volumus: quia si id non fiat benè & cum suavitate, peribit planè correptionis ipsius fructus. Quando inquit S. Bonaventura, turbatus aut iratus, quis alium corripit aut monet, videtur id potiùs ex iracundia impatientia ad eum vexandum, quam ex charitate & zelo alieni profectus facere. *Virtus* (ait ille) *cum vitio non docetur*, nec cum impatientia patientia, nec cum superbia humilitas. Patientiæ tuæ ac discretæ mansuetudinis exemplo magis alter ædificaretur & proficeret, quàm rationibus tuis & argumentis stomachosiore sono allatis. Ita monet S. Ambr. *Monitio sine asperitate sit, & hortatio sine offensione.* Quod antè ipsum Apostolus monuerat. *Seniorem ne increpueris, sed observa ut Patrem.*

l.1. offic. c.2.

1. Tim. 5. 1

Sine affectatione.

9. Præterea, vitio hic vertitur, nec immeritò cum affectatione aliqua loqui, ut hoc pacto prudentis atque eloquentis nomen aucupetur. Undè valdè reprehendendi Concionatores illi, qui in eo toti sunt, ut curiosè cultè & ornatè ad populum dicant, sermonique poliendo præcipuè incumbunt. Qua affectatione fit, ut fructus omnis concionum ipsis depereat. Vulgò dicitur sermonem aquæ similem esse debere, quæ ut sapiat & bona sit, nullum saporem habere debet.

Totissimum silere.

10. Tot denique ad benè loquendum regulæ & circumstantiæ sunt, ut miraculi loco habendum sit, in aliquam earum non impingere. Proinde nihil tutius, quàm se intra silentii portum subducere, ubi sola taciturnitate, multa illa incommoda & pericula quæ in loquendo sistunt, declinantur, secundum illud sapientis: *Qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustiis animam suam.* Monente idem Seniore illo Anachoreta: *In omni loco si taciturnus fueris, requiem habebis.* Et Seneca: *Nihil æquè prodest, quàm quiescere, & minimum cum aliis loqui, secum plurimùm.* Vulgata & notissima est illa S. Abbatis Arsenii sententia, quam ut refert Surius) identidem is solitus erat repetere, quin & cantare: *Me sæpè penituit dixisse, nunquam autem tacuisse.* Idem & Socrates olim dixisse dicitur. Et hanc hujus rationem dat Seneca; quod enim modò tacetur, id posteà potest proferri: quod autem dictum est, non dictum esse non potest,

Prov. 21. 23.

epist. 105.

Arsenius

Et semel emissum volat irrevocabile verbum:

Horat. ep. 19. l. 1.

canit Poëta.

Et S. Hieroym. ait: *lapis emissus est, sermo prolatus!* Lapis manu semel emissus retineri jam non potest, ut impetu suo non feratur, ac damnum non inferat. Unde suadet idem, ut priùs diligentissimè consideres id, quod tibi loquendum est, antequam ab ore provolet, posteà enim non dictum esse nequit: *Quapropter diu antequam sermo proferatur, cogitandus est.* quod primum fuit monitum quod suprà dedimus.

ep. de virgi. servãda.

11. Quamobrem statuamus apud nosmetipsos linguam benè custodire, dicentes cum Propheta: *Dixi, custo-*

Exemplum de Pambone.

custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. In quæ verba notat S. Ambrosius, aliquas vias nobis sequendas, alias custodiendas. Viæ Dei sequendæ sunt, nostræ custodiendæ; ne in aliqua præcipitia ruamus, & in ipsis pereamus, in peccatum prolabentes: Nostras autem, inquit, tum custodimus, si tacere noverimus. In Ecclesiastica historia fertur Monachus quidam, Pambo nomine, cùm esset homo idiota & indoctus, alterum Sapientem & literatum, ut ab eo instrueretur adiisse; audito autem hoc versiculo, *Dixi, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea*; vetuisse Magistrum plura legere, nec ad sequentes versus transire; dicens solam hanc lectionem sibi sufficere, si illam opere explere possit. Cùm verò pòst sex menses à magistro reprehenderetur, quòd ad secundam lectionem audiendam non rediisset; respondit se nec dum priorem perdidicisse. Post multos verò annos, sciscitabatur ex eo familiaris quidam, an jam tum versum hunc didicisset: qui ait. Jam 49. anni sunt, quando illum audivi, & vix dum eum opere servare potui, quod etsi sat exactè fecisset, persuadere tamen id sibi humilis animus ipsius non poterat: nam narrat Palladius, illum prælectum versiculum ita perdidicisse, itaque opere perfecisse, ut, nisi corde ad Deum sublevato, communicatoque cœlitus consilio, nemini unquam loqueretur, nullius interrogatis responderet; juxta doctrinam superiùs à nobis traditam. Hinc factum, ut morti jam proximus, palam omnibus asseruerit, se nullam unquam pœnitendam vocem, cujus quidem meminisset, protulisse.

ps. 82. 1. *l. 1. offic. c. 4.* *Hist. Eccl. p. 2. l. 6. c. 1.* *ps. 38. 1.*

12. Refert Surius, aliam quandam sanctam Virginem, cùm semel à festo exaltatæ sanctæ Crucis usque ad Christi natalem diem ita silentium servasset, ut ne ullum quidem verbum locuta fuerit, postea dixisse, adeò hoc complacuisse Deo, ut revelatum sibi ab eodem fuerit, istac linguæ mortificatione ac silentio sese promeritam esse, ut à morte nullum purgatorium sit subitura.

Aliud S. Mariæ de Oignies.

Caput IX.

De vitio detractionis.

1. Nolite detrahere alterutrum fratres*, ait Sanctus Jacobus; & Apostolus Paulus, *detractores Deo odibiles* pronuntiat; Sapiens verò etiam hominibus: *Abominatio hominum detractor.* Et: *Susurratori odium, & inimicitia, & contumelia*, nã quamvis obtrectatoribus arridere foris, & earum obtrectatione delectari sinceri auditores videantur; intus tamen odio eos habent, & fugiendos judicant: verentur enim & meritò: ne sicut aliis modò in sua præsentia obtrectant, idem vicissim posteà coram aliis sibi faciant. Quod quidem ad vitium istud detestandum & prorsus fugiendum sufficere possit. Quod enim dici majus malum potest, quàm Deo simul & hominibus invisum esse? Sed his omissis, statui paucis vitii

Iac. 4. 11. *Ad Rom. 10.* *Pro. 24. 9.* *Eccl. 5. 17.*

Detractio æq; atque hominibus invisa.

huius malitiam, pondus ac gravitatē, & quàm proclivis in mortale peccatum per ipsum lapsus fiat, ostendere, ut in tam præsens nos periculum conjicere vereamur.

Detractionis malitia in quo sit.

2. Gravitas igitur detractionis & malitia in eo consistit, quod proximi famam, bonam opinionem & qua apud alios pollebat æstimationem obscuret & eripiat: cùm tamen nomen bonum maioris sit pretii & valoris quàm opes & divitiæ temporales, teste Sapiente: *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ.* Et: *curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi & magni.* Ideoque dicunt Doctores, tanto gravius & maius esse hoc detractionis peccatum, quàm furti; quanto fama & nomen bonum est opibus pretiosior.

Eccl. 21. 1. Eccl. 41. 15.

Quando mortalis sit.

3. Quando autem detractio, (ut ad particularia descendamus) ad peccatum mortale ascendat, quando solum veniale sit, ut dignoscatur, dicendum de ea, quod de vitiis iis quæ è natura mortalia sunt, dici vulgo solet. Quare, sicut furtum ex se peccatum lethiferum est, exilitate tamen materiæ, (verbi causâ, pomi, aut teruncii) esse potest veniale: sic & detractio in se quidem mortale crimen est, at tam levis esse potest res quæ de alio dicitur, ut duntaxat sit veniale.

Detractio etiā in minimis fugienda, ob mortalis culpæ periculum.

4. Advertendum hic nihilominus punctum quoddam magni certè momenti; ut, quod ea periculum intendit, melius intelligatur, necnon circumspectio quam adhibere nos oporteat, etiam in rebus quæ parvæ esse videntur, nimirum levia sæpè ac tenuia non esse, quæ levia nonnullis videntur. Docent Theologi, quod tametsi de proximo suo aliquod peccatum referret (v. g. lethiferum hic vel iste mentitus est) in sæcularibus crimen non esset, eò quòd res levis sit, nec famam ipsi eripiat: de Religioso tamen dicere, mendacium eum protulisse, imò vel imperfectionem quampiam commisisse, poterit esse mortiferum: quod maius indè dedecus & infamia in Religiosum derivari possit, quam è reali crimine in sæcularem. Constat enim si de Religioso dicerem, eum mentitum esse, eum maiorem apud te nominis & famæ suæ jacturam facturum, quam vitæ laxioris sæcularis faceret, si is toto quadragesimæ tempore non jejunasse, aut de nocte domo egredi & discurrere per ganeas diceretur.

pæpericulum.

Regula pro dignoscenda mortali detractione.

5. Quare ut quis mortaliter in hac detractionis & obtrectationis de alio materia peccasse dicatur, notare oportet, non id metiendum esse ex eo, quòd de alio dicatur lethale crimen, sed ex æstimationis & famæ, quæ dicendo eripitur, præstantia. Semper ergo huic fundamento est innitendum, & id pro primo principio in hac materia tenendum. Constat enim, nullum esse peccatum ex Maurorum aut Iudeorum genere descendere; tamen ut talem aliquem infamare, Doctores esse volunt peccatum mortale, consimili modo si de Religioso dixero, quod sit levis, parvique judicii, (quod exemplum Doctores de facto adferunt) plus boni nominis & æstimationis Religiosus ille

illé deperdit, quàm si de gravi crimine quispiam sæcularis traduceretur, undè apparet plus hic periculi subesse quàm fortè videatur.

Modi detrahendi aliis, faciles sed nō leves.

6. Habeo & suspirio ego quempiam ut bonum religiosum, ut sedatum & prudentem hominem; Tu verò, manum tuam hanc illamque in partem vertendo dicis, *Iste talis est*, quasi innuere velis, eum levem & parum sibi constantem esse; jam ille de bona opinione, quàm priùs de illo habebam, tuo facto deperdidit. Alius deforis domum regressus, si quid ibi mali & offensivi vidit, primum id fratribus narrat: & unum quidem incipit dicere arrogantem, alterum superbum & pervicacem, alium inquietum & seditiosum. Hæc sanè levia non sunt, sed huiusmodi, quæ dicere religiosos valde dedecet.

Motiva ad fugam detractionis.

7. Hoc ita esse quisque apud se displiceat. Nam si quis similia de te diceret, & causa esset, ut pro tali passim haberetis, cogita quo id animo ferres? Hæc tamen charitatis lex est, quam erga fratres nostros invicem servare nos oportet, præcipuè cùm perfectionem profiteamur, & nimis quàm procul abesse debeamus, ut in has dubitationes & pericula nos conjiciamus, num frater in eo quod de eo dixi, æstimationis suæ quam alius de eo habebat, & famæ notabilem jacturam fecerit, vel an id ad mortale peccatum ascenderit, nec ne. Idem dicendum de voto paupertatis. Cur videlicet me ipse conjiciam in dubium, & scrupulosè inquiram; an quòd recepi aut dedi sine facultate, ad eam ascendat, quantitatem, quæ ad lætale crimen constituendum sufficiat? sæpè quidem certò statuere non possumus, num eatenus ascenderit, nec ne; tamen ingens temeritas & molestia est, in id periculum sese ultro conjicere. Certè pro quidquid in mundo est, huic se quis periculo exponere non deberet. necesse proinde nos est in rebus parvis circumspectos & scrupulosos inprimis esse. Quòd nisi fiat brevi nos innumeris scrupulis, & conscientiæ remorsibus & de graviore peccato anxietatibus repletos inveniemus. Atque in hoc detractionis vitio magis hæc cautela & sollicitudo necessaria est cùm magna sit naturæ nostræ huc propensio & inclinatio, & facilitas volubilitasque humanæ linguæ permagna. Hoc discrimen est inter eos, qui perfectionis student, & eos qui de ea non laborant quòd illi pluris parvos defectus faciant, quàm hi magnos, & hoc unum è signis est, è quibus colligatur, utrùm verè quis profectui suo studeat, nec ne.

Lib. 5. c. 6. vita.

Exemplū B. P. Ignatii quo ad hoc vitium cautela.

8. Legitur de S. P. N. Ignatio, quòd ei de erratis domesticorum mirum esset silentium: neque si quid minùs ædificativum aut decens à quopiam admissum foret, id ulli aperiebat, nisi fortè illi qui id posset emendare; & tunc quidem tam modestè ac circumspectè, ac tam faventer existimationi & bono nomini eius qui peccaverat, ut, si unum id scire satis esset ad ei asserendum remedium, duobus non aperiret. Hinc ipsi discere debemus dum, quomodo de nostris fratribus nos loqui oporteat. Si B. Pater N. cùm esset superior, &

possset domesticorum defectus aperire & justa animadversione coram omnibus castigare; hac tamen moderatione utebatur, idque etiam in minutis parvisque rebus, quanto æquius fuerit nos eadem ratione procedere?

In spec. discipl p. 3.c.3. & de informat. novit p. 3.c. 23.

De absente ut Præsente loquere.

9. Hanc de absentibus loquendi regulam præscribit S. Bonaventura: *Erubescant dicere de absente, quod cum charitate non possent dicere coram ipso.* De absente ita loquendum, ac si præsens esset, & quod de illo præsente & audiente, dicere non auderis, nec de eo absente dixeris: ut norint omnes, se etiam absentes, à te securos esse, nec violandos. Verè divina hæc regula est, quæ complectitur tam quæ gravia sunt, quàm quæ levia videntur; utpotè quæ sæpiùs nos decipiunt: quia subinde non tam levia sunt quàm tunc esse videntur, uti suprà diximus. ideoque hac nobis excusatione uti non licet nec dicendo, quòd & ii de quibus illa narramus, parvi illa faciant; uti nec dicendo quòd publica illa jam sint, & in ore multorum versentur. Perfectio enim, quam profitemur, has excusationes non admittit.

Exemplũ *lib.5.c.6. vita.*

10. Sic docuit nos S. P. N. Ignatius, qui aliena vitia in sermone quotidiano nunquam commemorabat quamvis vulgata ea essent & in compitis omnibus jactarentur, eandem nobis posteris suis legem exemplo suo sancire volens. Sint ergo omnes in ore nostro boni, sint virtute prædicti, sint honorati: intelligatque mundus universus, nostris verbis mortalium neminem quidquam de bono nomine suo perditurum, vel minoris faciendum.

Praxis in rumore vitii auditi.

11. Si forsitan delictum aliquòd proximi noris, vel inaudisti, serva id Sapientis monitum: *Audisti verbum adversus proximum tuum? commoriatur in te: fidens, quoniam te non disrumpet.* sepeli id intra te, ibi exstinguatur, nec ultrà exeat; neque enim tantilla res tacita ventrem tuum disrumpet. Alludit S. Spiritus ad eos, qui, ubi venena biberint, multa in anxietate & nausea versantur, quoad usque ea ejiciant, assiduoque medicamenta & oleum ad vomendum sunt, rati se disrumpendos nisi ea evomant. Alias duas similitudines ad idem probandum adfert Sapiens: *A facie verbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis. Sagitta infixa femori canis, sic verbum in corde stulti.* quasi dicat sicut parturiens mulier in magnis torminibus & anxietate versatur, donec fœtum partu emittat: & sicuti taurus in parte aliqua torosa carnosaque telo confixus, aculeumque infixum habens non antè quiescit, quàm illud corpore excusserit: ita nec fatuus antè quiescit quàm occultum proximi crimen, cuius conscius est, in aures aliorum effuderit. Caveamus ne his similes inveniamur, sed potius sapientibus & prudentibus, qui vas cordis angustum habent, ut in eo proximi imperfectiones inclusas teneant, ibidemque opprimant & suffocent.

Eccl. 19. 10.

Ibidem.

Ibidem.

Par detrahentis & libenter audientis culpa est. *Ia ord. vi-ta, & mor. in-sit. reg. br. 26.*

Remediũ in lapsu statim confiteri.

12. R. P. N. Claudius Aquaviva in libello quem de industriis ad curandos animæ morbos, solerter conscripsit, cap. 17. consulit ei, qui detractione

tractione deliquit, ut, cubitum antè non decedat, quàm confessione se expiarit: primò, quia, si quidem lethalis ea fuit, utpote in re momenti maioris (quod facilè accidit) nefas certè est tali in statu ad quietem se componere, cùm non secùs lectum nos petere deceat, quàm inferri sepulchro velimus. Deinde, etiamsi minor noxa fuerit, antidotum tamen id erit ac præservativa medicina, ne post in simile quid prolabamur. Vtile planè consilium id est, & non in hac materia modo, sed etiam in plurimis id genus, quæ aliquas, dubitationes anxias & molestos conscientiæ remorsus secum trahunt, passim usurpandum, idque eò magis, quòd à P. N. Generali profectum sit.

CAPUT X.

Detractionibus non sunt aures accommodandæ.

Par detrahentis & libenter audientis culpa est. *de ord. vitæ, & mor. instit. in reg. br. 26.*

1. DIctum est de cavenda detractione per nos excitatur nunc de audienda ea quæ per alios fit. Huic aures commodare graviter prohibet S. Bernardus: *Non solum* (inquit) *nihil ipsi indecorum loquimini, sed neque aurem quidem huiusmodi præbete dictis; quia quem delectat audire, loquentem provocat: audire quoq; quod turpe sit, pudori maximo est.* D. verò Basilius de pœna tam detrahenti, quã detractionem audienti infligenda agens, communitate utrique interdicendum audenter decernit. Par utrique supplicium præfigit si enim uni malas aures non offerret, detrahere minimè luberet alteri. *Nemo invito auditore loquitur libenter.*

Detractionem audiens an mortaliter peccet.

2. Detractorem autem audiens, nec eum silere jubens, peccetne mortaliter, Casistæ disceptant, & mortaliter peccari hic posse in variis casib. definiunt: ut, cùm permovendo, & sciscitando, ad detrahendum proximo quis alterum provocat: cùm, ex concepta erga proximum simultate atque invidia de famæ eius imminutione gaudet: cùm videt, detractionem illam in notabile alieni nominis, vel substantiæ, detrimentum vergere, quod tamen avertere posset; Tum enim Charitatis lege obligatur, proximi bono hoc in discrimine periclitanti consulere. Vt enim non solùm malè facit, qui domum alienam succendit, sed & ille, qui ad inflammatum illam se, velut per otium & cum gaudio calefacit, eò quòd, ad restinguendum ignem, aquam suffundere tenetur. Eodem modo non solum peccat detrahens, sed & is, qui cùm detractionem opprimere impedireq; possit, & debeat, id negligit quinimò forsan & applausu atque approbatione, renidentique vultu occasio ei & causa est ut in cœpto sermone progrediatur. simul quoque docent, subinde non fore ultra culpam venialem, detrahenti os non obturare, eique resistere ut cùm quis pudore ac reverẽtia prohibitus, ac fortè quòd alicuius authoritatis homines alteri detrahunt, nihil audet illis dicere, aut detractionem reprehendere. Et observant quoad hanc rem, quæ nos Religiosos potissimum tangit, nimirum:

3. Quan-

Regula dignoscendi quando audiens detractorem peccet.

3. Quando is, qui detrahenti aures accommodat, auctoritatem habet in eos qui alteri detrahunt, hunc plus ad eos comprimendos, & proximi honorem vindicandum teneri, & quidem tanto strictiùs, quanto plus authoritatis in illos atque imperii habet. Hæc Theologorum doctrina est. Vnde jam colligere possumus, quo nos modo gerere debeamus, dum inter sugillantium consortia versamur, & quàm grave conscientiæ periculum ob nostram immortificationem & pusillanimitatem, audita detractione tacendo dissimulandoque adeamus. Et quomodo ob nostra peccata hodierna die tantopere hæc detrahendi pestis invaluit, ut vix ulla à mundanis possit conversatio iniri, quin in ea vita & vitia aliena sugillentur, nobis vero tam frequenter cum illis agentibus, non possunt non multi se circa eam rem conscientiæ scrupuli offerre, dum ancipiti examine fluctuamus; *An poteram impedire, nec impedivi? An illecebram ego aliquam maledico objeci in maledicendo progrediendi, vel quid interrogando, vel audita arridere mihi ostendendo, vel iis applaudendo, vel approbando.*

Specialiter Regula pro Religiosis; Tacens ad detractionem consentire videtur.

4. Sed missis istis (dicere enim hic aliquis possit, nosse se, quousque pertingat, & quando peccatum sit, quando non) hoc quòd posuimus fundamentum, semper prosequor, nimirum, agere me jam cum Religiosis & hominibus integritatis ac perfectionis suæ sectandæ studiosis, quique non solum mortalia simul ac venialia peccata cavere student, sed & qui semper facere volunt quod optimum est, quodque proximum magis ædificabit, ac proderit. Hoc ergò supposito dico. Si, cum inter eos qui proximo detrahunt versabimur, ex intempestivo pudore ac pusillanimitate taceamus, & dissimulemus, itaque velut assentiamur (qui enim tacet consentire videtur) quomodo hi per hoc ædificabuntur? nisi ut hac scandalosa conniventia tua in eo quòd cœperint confirmentur, videntes, virum Religiosum, doctum, Dei servum, qui tantum in eos authoritatis habet, id tolerare, nec reprehendere? Arbitrabuntur ac dicent; *Non est hoc in peccatis numerandum, quando iste sacerdos id audiens tacet.* si autem peccatum esse credant, teque præsente id impune committant, eo ipso tam te quàm Religiosam familiam tuam parvi faciunt, cùm te præsente dicere audeant, id quod malum & peccatum est, tu verò non audeas id reprehendere, imò nec satis virtutis aut roboris ad hoc habeas.

Possidon. in vita. Exemplum.

5. Huic maledicentiæ pesti ut obviam iret. S. Augustinus, hos in cœnaculo versiculos describi curavit,

Refert S. Hier. c. 7.

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi:

Vnde etiam cum Episcopos quosdam amicos suos convivas haberet, & hi jam suas, ad maledicendum proximum linguas solvere, & mores alienos perstringere cœpissent, extemplo fidenter eos objurgavit, com-

comminatus disertè se; nisi ocyus tacuerint, vel versus istos expuncturum, vel à mensa se subducturum.

Consilium aureū pro audiente detractorem.

6. Fortis hic est & generosus animus, audenter dicere, Nisi cesses maledicere, abibo, vale. Id quod S. Hieronymus suadet: *Si quem alicui detrahentem audieritis: procul fugientes dimittite ut serpentem.* Prô quantum tunc confundetur detractor iste! Ideò scilicet id fit, ait S. Hieronymus, *Ut verecundia victus, discat de factis aliorum silere:* Ideò eum relictis in ore ejus maledico verbis debes deserere, ut erubescat, itaque discat quomodo aliàs se loqui oporteat. Hoc medium nobis imprimis quadrat, nimirum ut vel detractores moneamus ut à detrahendo cessent, vel nos inde subducamus.

Hier. in reg. mon. c. 22.

II. remedium severitas vultus.

7. Si verò hoc medium usurpare non possimus, quod id nimis acerbum videatur, vel quod detrahentes sint magnæ auctoritatis personæ, facilius & suavius illud SS. Patres suggerunt, supercilioso nimirum & caperato vultu prodere, quàm te verba ista parum delectent, quantum improbes atque averseris, ut nimirum huc intelligat alter, id mihi non placere, nec eo me sermone delectari. Hoc quoque consilium suggerit apud Sapientem Spiritus Sanctus. *Ventus Aquilo dissipat pluviam, & facies tristis linguam detrahentem.* Et alibi: *Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire.* Spinæ, quibus aures sepiamus, hæ sunt, aspera illa frons, oculus torvus, tacita vultus indignatio, quibus detractor vicissim tanquam spinis pungitur & compungitur, officii admonetur, & recogitare incipit, malè se agere dum famæ detrahit alienæ. Ideoque spiritui sancto ac Sapienti satis non est, ut lana, gossypio, aut alia re molli obtures aures, sed spinis eas obstrui vult, ut non solum per eas maledica verba non ingrediantur, ostendendo ex tibi volupe esse audire, sed ut simul ipsius detractores cor compungant, ipsæque posthac à maledicendo caveat. *Per tristitiam & severitatem gravem*, ait Sapiens, *corrigitur animus delinquentis*, indeque percipit & colligit se malè facere.

Prov. 25. 23.

Eccl. 28. 28.

Eccl. 7. 15.

Exemplum. *Lib. 5. c. 5. vitæ ejus.*

8. Usitatissimum fuit hoc medium S. P. Nostro Ignatio, hinc si contigisset alicui nostrûm, illo præsente verbum excidere, quod videretur ei impertinens aut minus honorificè de proximo dictum, statim colligebat animum, vultumque ad suam severitatem fingebat, ut vel ex ipso ejus aspectu, qui aderant Patres colligerent delictum aliquòd commissum esse, & qui deliquerat, facilè moneretur, & emendaretur. Faciebat hoc sæpè in rebus admodum levibus & parvis, quarum culpa, propter rei tenuitatem, sensus aciemque aliorum, effugiebat; nec percipiebatur. Nam non solùm ipse semper super se excubabat, sed & suos omnes super se decubare volebat.

III. remedium sermonis cōmutatio.

9. Aliud præterea medium est convertere aliò sermonem, & ut cœptæ orationis filum abrumpatur, alium cum decore sermonem intersere. Neque verò opus est exspectare ut commodè & data occasione ad alium

alium sermonem transitus fiat: imò illa optima ejus est oportunitas, cùm minùs videbitur oportunum: hoc enim pacto tam detrahens, quàm omnes circumstantes meliùs intelligent, malum fuisse sermonem qui cœptus erat, honoremque sibi à te delatum esse, quòd eum apertiùs non reprehenderis, & coram aliis pudorem non incusseris. At si commodum aliò transeundi occasionem diu desideres, usque dum ille, reperè tota narrata maledicendi libidinem expleverit, nec honoris alieni damno medeberis, nec in peccati sui cognitionem detractor veniet.

Simile pulchrũ.

10. Quemadmodum enim tauro, hominem pertinaciter insequenti, laciniosum subitò pallium objicimus, ut, dum illud capite evolvit, persequi hominem desistat: Ita dum quis alium detractorio & maledico sermone persequitur, consultissimum est, pallium ei injicere, id est sermonem diversum, ut eo evolvendo aliquantum distentus, à detractione desistat. Atque ut illi, qui tauro pallium injecit, alter debet vitam salutemque suam acceptam ferre, qui hoc consilio truculenti animantis impetum fregit: sic ei qui sermonem divertendo, detractionis impetum sistit honorem & famam suam à calumnia vindicatam alter in acceptis ferat necesse est. Atque de pessima lepra oris, nempe de Detractione; nunc ad aliud ejus vitium facio transitum.

Caput XI.

Ab Omni mendacii genere abstinendum esse.

Mendacium cavendum est, maximè religioso.

1. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te*, (monet sapiens) nunquam verò mendacium. Non videtur hoc multùm Religioso inculcandum, sat jam ei per se commendatum. Nam etiam in sæculo magno vitio vertitur esse mendacem; & si cui dixeris quòd mentiatur, magno id sibi dedecori & ignominiæ ducit: quid ergo fiet in Religione, ubi plus de bona opinione & existimatione per id ferunt vitia homini decedit, quàm in sæculo? Quam autem id turpe, vile & Religioso indignum sit, ad oculum patet proinde procul ab ejus ore omne esse mendacium debet, ne quidem ad se excusandum, erroresque celandos.

Quare religiosum magis dedeceat.

2. Multum revera à mortificatione & humilitate abest, qui mentitur, ne ejus vitium sic celetur, vel ne minoris fiat. Quærere deberemus ultrò varias nos humiliandi ac mortificandi occasiones; & ecce fugis eas quæ ultrò se offerunt, quasque sine peccato fugere non potes? Multum per hoc quis contradicit perfectioni, quàm profitetur. Theologi simul & SS. Patres docent, etiam pro totius mundi asserenda salute non licere vel unum mendacium dicere: vide ergo an id liceat, ne in re minimi momenti confundaris & pudefias unde & inter septem illa, quæ Deo exosa esse

esse Sapiens asserit, secundum numeratur *liugua mendax*.

Etiam fugiendæ sunt Hyperbolæ quia minuunt authoritatem.

3. Est & aliud genus mendacii, etsi non tam deliberatum, cùm dicta vel facta narrando, ea plus justo exaggeramur. Veritas in indivisibili cōsistit; atque ideo quidquid rei quis addit, quam revera in se sit aut de ea norit, mendacium erit. In quo solet communiter magnum esse periculum: valdè enim cupimus, ut id quòd dicimus, alicujus pretii videatur, unde id extollere in immensum vellemus. Quapropter hic magna prudentia & circumspectione utendum.

in spec. discipl. p. 3. c. 3.

Hoc quoque ex capite ait S. Bonaventura exaggerationes narrationum & amplificationes nobis fugiendas esse, quòd religiosam gravitatem ac modestiam rem narrandam exaggerare multum dedeceat. Veritas & gravitas tua debet autoritatem dictis tuis addere, non verba superflua & amplificationes; hæc enim non solùm non conciliant dictis fidem, sed & te eam quam habes, faciunt amittere. Ratio autem, quare tibi authoritas abrogetur per has hyperbolicas amplificationes, est hæc, quòd plerumque plus æquo res augeantur, ideoque in his mendacium reperitur, quia non sunt tantæ, uti dicuntur.

lib. 5. c. 6. vitæ. Exemplum.

4. Hinc narratores hyperbolici non solent pro admodum veredicis haberi, & sub mendacii suspicione suam autoritatem & fidem ferè omnem perdunt. S. P. N. Ignatius rarò & vix unquam nominibus superlativis, quibus subinde plus justo res attolli solent, legitur uti solitus, sed sua sincerè & simpliciter, sine ullis amplificationibus & superjectionibus narrare: tantumque ab eis abfuisse, ut etiam quæ certò cognovisset, parce tamen assereret.

in formula hon. vita Asseverationes quoque parcè usurpandæ sunt.

5. Atque hoc aliud perutile documentum est, quod suggerunt SS. Patres. Unde Bernar. *nunquam*, ait, *pertinaciter aliquid quod noris, affirmes vel neges, sed sint tuæ affirmationes & negationes dubitationis sale conditæ.* dicendo, v.g. puto, sic se rem habere: nisi fallor, sic est; sic mihi videor in audisse. Si hoc cum discretione fieri possit, modestus, humilis & Reliosus loquendi modus est & proprius hominis sibi suæque opinioni non multum fidentis, qualis esse debet qui humilis est.

Exemplum S. Dominici Loricati *Surius in vita.*

6. Hinc sancti viri hoc modò loquebantur, quòd valdè essent humiles, nec de se multum fiderent. Sic S. Domin. Loricatus interrogatus, quota hora esset, nunquam absolutè respondit, octava vel nona est, sed, circiter octava, vel circiter nona est. Et rogantibus cur sic responderet, mendacii se, ajebat, sic loquendo, periculum effugere, sive hora jam sonuisset, sive instans paulo pòst sonaret. Videtur id vir S. ex Scriptura sacra hausisse, quæ ut id doceret, ejusmodi formalis subinde usu est, etsi Spiritus Sanctus eam dictans accuratissime sciret exactam veritatem; ait enim interdum, *Iesus erat quasi xxx. annorum. Erat hora, quasi sexta, &c.*

Ratio bona pro vi

7. Atque hæc alia est ratio, cur religiosa prudentia & modestia requirat, ut quis verecundè & non fidenter

tandis asseverationibus. nimium sua affirmet, sed cum aliquo dubitationis sale & condimento; ut S. Bernard. docet. Hoc enim pacto quis se mendacii periculo non exponit, etiamsi pòst contingat aliter rem se habere. At si, cùm absolutè, asseveranter, & certò quid affirmatur, postea contrarium reperiatur (ut subinde accidit) confundemur haud dubiè, quòd mendacium attulerimus, idque tam certò asseruerimus. Ad hæc erit id causa, cur alius offendatur, comperto posteà rem aliter se habere.

Asseverare cum ipsemet dubitas par est mendacio.

8. Hæc autem etiam de iis dico, quæ ipsi pro certis habemus: si enim ipse de aliqua re dubitem, si tamen eam absolutè affirmem, hoc etiam mentiri est, quantumvis res in se vera sit; quia assero quòd nescio: vel certè manifesto mentiendi discrimini me expono, quòd item peccatum est.

Bonav. Abstinendum æquivocationibus.

9. Amplius addit S. Bonaventura: *sermo veridicus & purus sit*: non enim solùm verè, sed & sincerè & simpliciter semper tibi loquendum sine ulla duplicitate & vocib. æquivocis, quæ diversos habeant sensus, quòd id valdè à religiosa sinceritate & simplicitate alienum sit: Et S. ipse

Augustin. August. affirmat huiusmodi loquendi modum, mendacium esse, his verbis: *omnis simulatio & omnis duplicitas, mendacium est*: Sunt, qui ex una parte nollent mentiri, & ex altera nolunt etiam verum fateri, sed ambagibus & æquivocationibus utuntur, ut in illud, ipsi alterum intelligant.

Quando iis uti liceat.

10. Certis quidem iisque gravibus, in causis amphibolia uti licet, exempli gratia, ad aliquid celandum, quòd celari convenit; in ordinariis tamen & communib. colloquiis maxime apud superiores legitime & ad officium suum pertinentia percontantes, iis uti minimè licitum est, imo hypocritarum, & hominum duplicium & simulantium id vitium est: ideoque sinceritati & simplicitati nõ religiosæ solùm, sed & vitæ Christianæ, adeoque politicæ, contrarium.

Earum damna.

11. Tollit enim fidelitatem, & multum hominum inter se, commercium & communicationem, haud secùs ac manifestum apertumque mendacium. Certum enim est, si iste loquendi modus ordinariè licitus foret, non ausuros homines sibi invicem fidere. Hinc experientia magistra discimus, quòd cùm quidã hoc vitio comperiuntur laborare, esto cæteris in rebus probi sint, nullus, qui eos novit, fidere ipsis audeat, sed timidè & suspiciosè cum iis agat veritus, decipi. Vnde verissimum est id sapientis: *Qui sophisticè*, id est dupliciter, fictè & per æquivocationes, *loquitur, odibilis est*, quia habetur ut homo duplex, fallus, & simulatus. Idcirco hic loquendi modus cumprimis fugiendus est, ne de te dicatur, quod de quibusdam vulgò dici solet: *Hic quidem mendacium non non dicit; attamen nec verum dicit.* Sed videamus nunc porro aliud vitium sermonis in religioso.

Eccl. 37. 23.

CAPUT XII.

A jocosis ac ridiculis verbis, salibus ac nugis quomodo abstinendum sit.

in exhort. ad filium spirituale. Alvar. de paz. to. 2. li. 3. p. 2. c. 12. §. 1. in constit. monast. c. 13.

1. QVoad jocos ac facetias, ita S. Basilius spiritualem filium monet: *Neque in modum parvuli jocari velis assiduè quia non convenit ei, qui ad perfectionem nititur, jocari ut parvulus, sed potius vir sit.* Ad ditque eius rei causam alio in loco, quòd nimirum joci & recreationes huiusmodi hominem languidum negligentemque in Dei servitio reddant & cordis devotionem & compunctionem suffocent. Præcipuè verò à salibus incivilibus & nugis, Religioso abstinendum: hoc enim est histrionem & morionem agere: quod eo qui de perfectioni sectandæ studet, admodum indignum est. Graviter hoc argumentum tractat S. Bernardus, sic enim loquitur: *Inter sæculares nugæ, nugæ sunt; in ore Sacerdotis & Religiosi blasphæmiæ, consecrasti os tuum Evangelio, salibus jam aperire illicitum, assuescere sacrilegium est:* perinde ac si templum divino cultui dedicatum usibus profanis applicaretur, subdit: *Labia sacerdotis ait Malachias custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius, non nugas profectò, vel fabulas; verbum scurrile, quod faceti urbanive nomine colorant, non sufficit peregrinari ab ore, procul & ab aure relegandum est.*

Damnosi joci assidui & inficeti.

l. 2. de Cons. ad Eugen.

Mal. 2. 7.

Etiā non avide audiendi sunt.

2. Vult, inquam, sacerdotes & Religiosos non solùm sales & nugas non proferre, sed nec iis prolatis aures dare assensum seu plausum, vel delectari. Consulit præterea ibidem, si quidem eiusmodi lepores inficeti, nobis audientibus dicantur, sic in iis nos geramus ut in sermone, detractorio gerendum suprà monuimus, nimirum dando operam, ut per orationem de re aliqua seria & salubri cœpta sermones abrumpantur, vel divertantur, vel eos nobis displicere ostendendo. Quare si eos vel audire, aut quòd nobis præsentibus ii proferantur, pudorem nobis incutere debeat, quantum incutiat oportet, eos ore proferre? *Fœdè ad cachinnos moveris, fœdiùs moves:* ait idem Doctor. Id est, Turpe est illos ridendo & tacito applausu approbare, sed turpius multo, si id genus jocis ipse risum aliis moveas.

Iaculatores produnt ridiculum cor.

3. S. Clemens Alexandrinus, Origenis magister dicit, & est quoque doctrina SS. Basilii Bernardi & Bonav. *Cùm verba omnia à cogitatione & moribus emanent fieri non potest, ut verba aliqua mittantur ridicula, quæ non procedant à moribus ridiculis:* Ex corde enim verba procedunt; *cùm ex abundantia cordis os loquatur.* Vnde qui vana & levia verba loquitur, ostendit se vanum & leve cor habere. Et sicut ex sono dignoscitur, utrùm campana integra sit an rupta, utrùm plenum sit vas, an vacuum: sic è verborum sono facilè quis plenus sit intus vel vacuus, integer vel ruptus, proditur. Qui nugas & inficetos sales profert, sonat ut vacuum vas. Vnde S. Chrysost. in illa verba Apostoli, *omnis sermo malus ex ore vestro non procedat;* dicit: *quale cor quisq; habet, talia verba loquitur, & talia opera facit.*

Lib. 2 padagogi c. 5 Basil. in Const. Monastic. c. 3 Bern. in modo benè vivendi ad foror. ser. 30 Bonav. in spe. discipl. p. 4. c. 5. Matt. 12. 34. Luc. 6. 45. Chrys. in Eph. 4. 29.

Sicuti sancti sermones sanctū cor.

4. S. Ignatius Martyr media inter tormenta identidem referebat nomen IESU; & causam rogatus respondit: quia cordi meo illud insculptum gero, non possum non id sæpiùs repetere: cui mortuo deinde cor extractum, divisumque, inventum fuit, utraque in parte aureo charactere vivificū nomen IESU inscriptum habere. Qui nugas & jocos amat, non habet cordi inscriptum nomen IESU, sed mundum eiusque vanitatem; unde & illa pro saliva ipsi ab ore destillant. Hinc illud experimento habemus testatissimum, homines quibus familiare est jocos proferre, & ridicula jocositate sua alios ad risum provocare, non solùm non esse spirituales, sed ne quidem bonos religiosos. P. M. Avila ad hoc propositum, illud Apostoli, *scurrilitas, quæ ad rem non pertinet*: exponit, quasi verba faceta & ridicula non solùm modestiam religiosi non deceant, sed ne gravitatem quidem instituti vitæ Christianæ.

M. Avila Ephes. 5. 4.

Exempla.

5. Et in ipsius Avilæ vita legitur, nunquam eius ex ore auditum verbum ullum jocosum, Et S. Chrysostomum scribit Metaphrastes, nullum unquam jocum tam in ore suo quàm alieno tolerasse.

Metaphrastes in vita S. Chrys.

In animadvers. adversus Canonicos delinquente.

Pœnæ in jocosos statutæ.

6. Imò tanti id Patres antiqui fecerunt ut pœnitentia, quam S. Basilius jubet injungi ei, qui jocos huiusmodi protulerit, sit, per integram hebdomadem à communitate disclusio. Erat id genus quoddam excommunicationis, quo tum monachi utebantur, tales à consortio & conversatione aliorum fratrum sequestrando, ne suam illis scabiem adficent, eosque inficiant, ac simul ipsi cum publica sui confusione intelligant, eum religiosorum reliquorum consortio indignum esse, qui, ut religiosum decet, non agat ac loquatur.

Exemplū punitiōb facetias indecoras.

7. Narratur in vita S. Hugonis Abbatis Cluniacensis, quòd ipse Durandum Archiepiscopum Tolosanum, ridiculis facetiisque dicendis audiendisque mire deditum adhuc Abbas sæpiùs propterea monuerit & reprehenderit, quod priùs suo in monasterio monachum egisset. Hoc addens, nisi dignam egeris pœnitentiam, & à jocis abstineas, particulariter ob eos in purgatorio cruciaberis. contigit non multò pòst Archiepiscopum vita decedere; qui deinde sancto cuidam monacho Signino apparens, os prætulit admodum inflatum, labiaque fœde concisa: eumque voce lachrymabili rogat, ut Abbatem Hugonem suo nomine adeat, eiusque sibi suffragia deposcat, quòd ob facetias suas ac verba otiosa, quæ correptus relinquere noluerat, atrocissimis pœnis in Purgatorio torqueretur. Signinus rem Hugoni significat, qui electis septem fratribus silentium indixit septem dierum, quatenus oris excessus, oris obedientia purgaretur. Obedientibus aliis, unus eorum præcepti violator silentium interrupit: unde Archiepiscopus dicto Signino apparens inobedientiam fratris accusavit, quia sua inobedientia liberationem suam retardasset. Adit Hugonem his auditis Signinus: qui comperto

perto ita se rem habere, alteri sextiduanum silentium indixit. Quo exacto apparuit jam tertiò Præsul in habitu Pontificali, & ore labiisque integris Abbati ac monachis ob liberationis beneficium gratias agens; deinde disparuit.

Fugiendi magis joci mordaces.

8. Simul hic notemus oportet, singulari quadam ratione cavendum nobis esse à facetiis pungentibus, ut sunt arguta & mordacia quædam dicteria, quæ cum lepore quidem & gratia subinde proferuntur, & acuti ingenii indicium sunt, alios tamen mordent, cruentantque occulto vulnere; Tectè enim vel quoad naturalem conditionem & sortem, vel tarditatem intellectus aut ingenii, vel circa alium defectum proximus his sigillatur. Quod jocorum gegenus grave & aculeatum est, priorique deterius, quia noxium: idque eo magis, quo argutius est, & maiorem leporem præfert, eo quod id genus aculei animis audientium magis infiguretur, diutiusque memoriæ inhæreat, etiam in sæculo, cùm illi jocosi, quos gratiosos vocant, & leporum promos, sine honoris alieni detrimento, & ullius perstrictione eiusmodi salibus uti norunt; utcumque eos toleramus, sæcularibus oblectamento sunt, eorumque sales secundissimis plausibus excipiunt, dicentes; Iocatur quidem, sed sine cuiusquam offensione. At ubi dentatis & mordacibus nugis alios pungunt, odio sunt, & mordacitas illis raro stat: quia non desunt, qui ipsis meritam mercedem rependant.

Sed quia de his & huiusmodi loquendi modis, qui mutuæ charitati & unioni adversantur, in prima parte egimus, non est necesse pluribus hoc loco de iis agere.

1. p. tract. 4. cap. 10 & 11.

Caput XIII.

Colloquia nostra & sermones de Deo esse debent; & de quibusdam mediis eò conferentibus.

1. Quod Apostolus Ephesios monet: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus*, eosque Dei amore & virtutis ac perfectionis desiderio inflammet: id nobis in primis opus est observare: utpotè quorum finis & institutum est, non solùm proprio profectui, sed & proximorum impensè studere: unum enim eorum, quibus multum ædificantur qui nobiscum aguntur, & undè multus in illis fructus ac profectus fit, est hæc pia collocutio, & fervens de divinis rebus sermo. Nam ut taceam spiritus profectum, quem isthæc colloquia secum trahunt; sæculares videntes, nostra colloquia semper circa huiusmodi materias versari, magnam de nobis virtutis opinionem & respectum concipiunt, ita secum ratiocinantes quorum ora divinis semper eloquiis scaturiunt, horum pectora Deo plena sint oportet. Quæ existimatio quam efficaciam ministeriis & functionibus quæ illis impendimus, addat, nemo non intelligit.

Ephe. 4. 29.

Alu. l. 5. p. 2. cap. 18. tom. 1.

Colloquiū de rebus piis proprium est sociorū Iesu.

Exemplũ S. Francisc. Xaverii vita.

2. Sic Sanctus Franciscus Xaverius, privatis eiusmodi è calente depromptis spiritu sermonibus, multo plus quàm publicis concionibus profecisse traditur. Et S. Pater noster agens in constitutionibus de medijs, quibus Societatis nostræ homines iuuare debent proximos, ponit hoc inter principalia, adeoq; omnibus generatim socijs, etiam temporalium rerum administris Coadiutoribus, idipsum commendat.

7. p. const. c. 4. §. 8.

Medium 1. assuescere piis sermonibus in conversatione domestica.

3. Ad hoc porrò meliùs certiusq; faciendum, multum primò proderit doceri inter nos inuicem pijs ac spiritualibus colloquijs assuescere. Quod consilium erat Sancti Francisci, cum fratres suos, ad conferendum inter se de rebus divinis, considere sæpè jubebat, ut hoc loquendi genere instructi, inter sæculares cœtus fructuosè deinde versarentur: atque ut intelligerent simul, quàm gratæ Deo eiusmodi sermocinationes sint, ipse se Salvator noster CHRISTUS sub speciosissimi adolescentis habitu inter medios illos, talibus verbis occupatos, aliquando constituit, suam illis benedictionem suavissimè impertiens. Eadem Societatis nostræ mens est, quæ jam inde ab primis incunabulis, Novitios suos ita informat, atque aliquoties per diem convenire jubet, ut inter se de rebus spiritualibus conferant; quin & posteà per omnem vitam frequentes in Societate conferentiæ de rebus spiritualibus instituuntur, ut magnum spiritualium sermonum usum & experientiam habeamus. Prætereà singulari quadam ratione nobis iniunctum est & commendatum, ut in ordinariis nostris congressibus & conversationibus huic nos rei assuefaciamus.

1. p l. 1. c. 10. Chronic. Minor.

4. Divus Bernardus rei huius defectum graviter & severè reprehendit in Religiosis quibusdam sui ævi, iis refricando id, quod aureo illo religiosi fervoris sæculo in usu erat: *O quantum distamus ab his, qui diebus Antonii extitere monachi!* Quorum, dum invicem convenirent, sermo omnis & conversatio in cœlis erat, tamq; avidè & famelicè cibo spirituali, mentem explebant, de rebus divinis, animarumque profectu agentes, ut corporalis refectionis immemores, totum subinde diem jejuni transigerent, huic uni rei intenti; *Et hic erat rectus ordo, dum digniori parti, id est animæ, prius inserviebatur: Nobis autem convenientibus in unum, ut verbũ Apostoli utar, jam nõ est dominicam cœnã manducare. Panem quippe cœlestẽ nemo est qui requirat, nemo qui tribuat, nihil de scripturis, nihil de salute agitur animarũ: sed nugæ & risus, & verba proferuntur in ventum.* Et, quod omnium pessimum est, hoc modo posse proximum detinere, vocatur affabilitas, & discretio, quin & charitas: contrarium verò dicitur ariditas, inurbanitas, & rusticitas; imò qui de DEO loquuntur, pro melancholicis habentur, eorumque conversatio vitatur. *Ista charitas veram destruit charitatem, hæc discretio veram discretionem confundit. Quæ enim charitas est carnem diligere, & spiritum negligere? quave discretio, totum dare corpori, & animæ nihil?* corpus exsaturare, & animam fame

Apologia ad Guill. Abbatem.

1. Cor. 11. 20.

fame necare, non est discretio, non charitas; sed crudelitas & magna inordinatio.

5. Narrat Taulerus, Christum cuidam insigni famulo suo apparentem, magno cum doloris sensu sex querelas deposuisse de servis suis: quarum secunda erat, quòd in congregationibus & colloquiis suis vana tantum & inutilia tractent, de ipso vix umquam loquantur. Curemus ergo, per Jesu Christi amorem obsecra, ne Dominus noster hanc de nobis querelam deponat, nec ipsi hac in parte culpabiles & reprehensione digni veniamur.

inst. c. 18. Sex querelæ Christi de servis.

6. S. Bernardus & Bonaventura allud æquè utile medium, ad semper de rebus ædificativis agendum, nimirum, ut, dum ad cum proximis congrediendum foras egredimur, bonis ac salutiferis aliquot documentis, quibus ad morum probitatem erudiantur, antè instruamur, utque dum illi de rebus vanis & impertinentibus agere incipiunt, nos pias aliquot sententias paratas habeamus, quas iis opponamus, ad institutum sermonem abrumpendum & mutandum. Quod & nobis regulæ nostræ præscribunt. Nec verò mirum cuiquam videri debet, nos Religiosos hocce medio, ad sermocinationes de rebus divinis sustinendas, instituto nostro tam proprias uti, cùm & sæcularibus id in usu esse videamus ad frivolas confabulationes suas alendas. In hoc quisque nostrum sui deberet ingenii acumen, discretionemque ostendere, ut nimirum solertiam artemque habeat futilia colloquia præcidendi & abrumpendi, sermonemque de rebus divinis introducendi.

in formula honestæ vitæ Bonav. in spec. disc. p. 3. c. 3. Mediū secundū.

Reg. 11. sacerdotum.

7. Tertiò multum hic proderit, Deum valdè diligere, & egregiè erga res spirituales affici: Sic enim non modò non defatigabimur, nec grave nobis erit de Deo & loqui, & audire, sed unicè potiùs hoc sermone delectabimur. Non enim fastidium est, sed dulce & volupe cuique de eo, quod amat, quodque in corde latet, loqui. Videte enim, quàm libenter mercator de negotiis & commerciis suis, disserat in mensa & extra mensam, quin & omni tempore libentissimè audit, ubi merces vili emantur & carè vendantur: Agricola de novalibus & uberi messe, pastor de vitulis & agnis libentissimè verba facit. *Qui tenet aratrum, & qui gloriatur in jaculo, stimulo boves agitat, & conversatur in operibus eorum, & enarratio ejus in filiis taurorum, cor suum dabit ad versandum sulcos.* Quisque lubens de eo quod tractat, sermones miscet: Sic & nos: quoniam ergo sæculum hoc abjecimus, & perfectioni studemus comparandæ, si Deum multum amemus, si erga spiritualia afficiamur, omnis nostra voluptas erit iis de rebus sermones serere: nec umquam nobis deerit loquendi argumentum, unde etiam bonum signum est, cum quis libenter & cum voluptate de Deo divinisque loquitur; & contra malum, cùm nonnisi cum fastidio quis divina tractat, juxta illud S. Joannis: *Ipsi de mundo sunt, ideò de mundo loquuntur*, rebusque mundi.

3. Benè affectum esse erga divina.

Eccl. 38.

1. Ioã. 4. 5.

8. S. Augustinus in verba illa

li. 1. ad In-

qui. Ianua. c. 3. & li. retract. ca. 16. 20. Similia colloq. divinorum.

Sapientiæ: *Angelorum esca nutrivisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem & omnis saporis suavitatem*; dicit, manna, quo Deus filios Israël in deserto nutrivit, cuique sapuisse qnod gustare volebat, ut verba sacra indicant: sed hoc, ait, de bonis, tantùm est intelligendum, malis verò non sapuisse quod volebant: id enim si fuisset non petiissent alium cibum, uti petiere cum dicebant: *Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres & pepones, porrique & cepæ & allia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi manna.* Hi non solùm in manna non inveniebant omnium eduliorum saporem, sed potiùs ipsum fastidiebant, & super eo nauseabant, ideoq; suspirabant ad carnes, & menti suæ objiciebant ollas Ægypti, cucumeres, pepones, porros, cepas & allia, quæ illic comederant, easque ardentiùs cupiebant & pluris faciebant. Boni autem quia solo manna optimè contenti erant, alium cibum nec expetebant, nec reminiscebantur: nam in unico manna, delicias omnes ac sapores, pro voto cujuslibet, degustabant.

Nu. 11. 4. 56.

Differẽtia boni & tepidi religiosi.

9. Hæc ergò est inter bonos & perfectos, tepidos & imperfectos Religiosos differentia, quod boni spiritualibus ac divinis delectentur, de eisque loqui & tractare illis volupe sit, atque in hoc manna omnes expetibiles cupedias inveniant; Deus quippè illis sapit omnia, & cum SS. Augustino & Francisco dicunt. *Deus meus & omnia:* Deus ipsis est omnia, & in ipso quidquid cupiunt, inveniunt: sed tepidis atque imperfectis divinum hoc manna omnem saporem non exhibet: imò desipit & provocat nauseam, fabulamque malunt quàm pium aliquod exemplũ audire, quod vitiosi cordis signum est. *Felix lingua, quæ non novit, nisi de divinis texere sermonem*: exclamat S. Hieronymus; & S. Basilius: *Futiles si habeantur sermones, tu magnopere ne attendito: sed si quæ ex divinis literis ad salutem animi pertinentia memorare audieris; acerba gustatu tibi ea sunto, quæcunque de mundanis rebus memorentur, contraque favis mellis assimilia, quæ à pietatem colentibus viris narrantur.* Vana & futilia colloquia vero Dei servo displicent, at divini & spirituales sermones, sunt ei quovis melle sapidiores. Hinc fit ut anima Deo valdè devota, pro honesta sui recreatione, & laborum ægritudinumque alleviamento, opus non habeat otiosis & ridiculis sermonibus ac colloquiis: nam ut ea non diligit, sic & ei majorem dolorem & molestiam adferunt. Quod verò eam delectat & alleviat, est loqui vel audire de iis quæ amat, & ad quæ suspirat. Sic Sancta Catharina Senensis numquam satiabatur aut defatigabatur, de Deo loqui vel audire, imò id unica ejus erat voluptas, & majoris vigoris & sanitatis causa, ac unicum infirmitatum ac molestiarum solamen ac levamentum. Atque hoc ipsum de multis aliis Sanctis legimus.

Hier. de renunt. sæculi & spirit. profess.

S. Catharina Senensis.

CAP.

CAPUT XIV.

Alia magni momenti ratio, cur expediat nobis colloquia & conversationes nostras cum proximis esse de Deo.

Utilis inprimis est tibi ipsi sermo pius.

1. NOn solùm ad proximorum ædificationem atque utilitatem necesse est nostra colloquia & conversationes sint de Deo, sed & ad proprium commodum, & spiritus conservationem. De Deo enim loquendo, ejusdem amore magis in flammabimur & incalescemus; quod colloquiis ejusmodi valdè proprium est, uti de facto contigisse videmus in duobus illis discipulis in Emmaus euntibus, qui de talibus rebus locuti, paulò pòst exclamant cum admiratione. *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis?* quod & nos ipsi sæpe experimur, quod scilicet subindè plus commoti & inflammati ex hujusmodi conversationibus, quàm ex ipsis concionibus digrediamur.

Luc. 24. 32.

Exemplum. Surius in vita.

2. Omnia S. Thomæ Aquinatis colloquia, & cum aliis congressus, erant de rebus sanctis & ad animarum salutem spectantibus, idque inter ceteras causa fuit, cur postquam siccum hominibus egisset ac locutus esset, nihilominus facilè, ne ad orandum colligere posset, rerumque cœlestium contemplationi intendere. Nam quia omnia ejus verba de piis rebus erant, & cum consideratione prolata, hinc nullam oraturo divagandi occasionem dabant præcedentia colloquia.

Aliud. l. 6. vit. c. 5.

3. Et in S. Francisco Xaverio hoc ut singulare quid inter reliqua commendatur, quòd contemplationem orationemque tum actione, & proximorum consuetudine optimè nosset conjungere: Etsi enim variis tamque diversis negotiis & rebus, ac frequentibus terra marive itineribus, penè perpetuò implicaretur, tantis in molestiis ac periculis, idemque in vitæ consuetudine ergà omnes comis esset atque affabalis; semper tamen, quidquid demum ageret, secum & cum Deo habitabat. Itaque ex ipsis negotiis, cætuque hominum, usque eò vegeta & erecta ejus mens veniebat ad meditandum, ut statim magnaque cum facilitate & gustu in jucundissimam sponsi cœlesti consuetudinem penitiùs sese daret. Causa ejus rei ibi additur; quia, cùm per rerum tractationem mens ejus non esset distracta, facili negotio redibat ad id quod ad tempus seposuerat.

Sermo infructuosus pericula autori parit, & scandala proximo l. 5. ca. 11. vita.

4. Contra verò si conversatio & verba nostra de Deo divinisque non sint, magno nos periculo exponimus. Dicebat S. noster Pater Ignatius; uti consuetudo & familiaritas cum proximis, magnum ipsis fructum & ædificationem adfert, societatique admodum propria si fiat prout convenit: sic vicissim ingenti ea erit ipsius scandalo, nobis autem periculo, si hac in re probè nos non gesserimus. Dicit S. Bernardus: *vanus sermo cito polluit mentem, & facilè agitur, quod libenter auditur.*

in modo vivendi ad soror. ser. 20.

5. Verum quidem est, in familiari cum proximis consuetudine

Religiosi debent sæculares trahere ad suos sermones.

oportere illos sua quoq; sensa interserere, sed ita optabat id S. P. N. fieri, ut sermonem hi inciperent à suis nos eum fineremus in nostris. Non ergo trahant ipsi nos ad se, id est, & à suis sermonem inchoent, & in iis terminent; sed potiùs nos in nostris, trahendo illos ad nos, & ad Deum, idque verbis utilibus & ædificativis. Neque ad hoc necesse tot mollia tempora, tot circumstantias & oportunitates nostrorum introducendorũ observare; si enim id feceris, nunquam in tuis colloquiũ terminabis, & ipsi interim cum suis ad finem usque te detinebunt. Intelligant omnes nos Religiosos esse, idque esse nostrum institutum, nec esse ipsis nobiscum tempus inutiliter perdendum, nec de superfluis rebus atque inaniis tractandum, sed nostrum esse agere de Deo, suæ quemque salutis commonere; quod si audire detrectant, nos frequentare desinant.

Exemplum. l. 5. c. 11. vit. S. P. Ignatius. otiosos collocutores fugiebat.

6. Idem observabat S. P. N. Ignatius, quem si quis otiosus homo inviseret; cum quo multum boni temporis inutiliter insumendum esset, ubi semel atque iterum eum benignè admiserat; & is congressum illius sine fructu sæpius requireret, & subindè rediret, quoties ventitabat, toties ipse aut de morte, aut de extremo judicio, aut de sempiternis inferi suppliciis sermonem instituebat. Sic enim ajebat fieri, ut si ille hujusmodi sermones non libenter audiret, non amplius ad se rediret; vel certè, si iis caperetur, aliquem inde animæ suæ fructum colligeret.

7. Ad quod confirmandum prudenter notat S. Augustin. debere quidem nos omni studio contendere *ut nos omnibus accommodemus*, ut sic omnes lucremur, exemplo Apostoli Pauli scribentis: *Omnibus omnia factus sum*; cum tristi eram tristis (hoc enim desolatum mirè solatur, cùm alium viderit in sua causa secum tristari, laboremq; suum sentire) cum læto lætus apparebam: notat tamen ita nos ipsos accommodare proximo, ac in partem ejus transire debere, ut id fiat ad eum tribulatũ sincerè juvandum & alleviandum, atque è miseria, quâ premitur, educendum ac sublevandum, non autem sic, ut ipsi in eandem miseriam præcipitemus: *Sic, inquit, ut ad auxilium, non ad æqualitatem miseriæ valeat.*

L. 83. quæst. qu. 71.

1. Cor. 9. 22.

Aliis accommodare sese sine periculo suo

8. Idq; eleganti similitudine illustrat. Ut ille, qui manum lapso & jacenti porrigere vult ejus levandi gratia; nõ se humi supinat, nec exemplo illius, in terrã prolabi se sinit: sed potiùs pedẽ firmat & stabilit, ne ab alio trahatur deorsùm, & nonnisi parumper se inclinat, quantũ ad erigendum alterum necesse est: Eadem prudentia ac discretione nos sæcularibus accõmodare iisq; condescendere oportet, nos scil. paululum inclinando eorum conditioni & infirmitati condescendo, intrando in sermonem à rebus ipsorum, ad eos sic lucrificandos; semper tamen firmi stabilesq; manere debemus, & pondere ipso, velut solidati, ne nos post se abripiant, sed ut sermonẽ in nostris concludamus.

Elegans simile.

9. Porro certò id persuasum nobis sit, ad eos quibuscum agimus, bene ædificandos præcellens medium esse, si ipsi

Religiosum colloquium efficax ini-

si ipsi videant, nos in omni conuersatione nostra ac familiari affatu, non nisi de rebus bonis ac salutaribus loqui. Quæ licèt principio illis minùs videantur placere, post tamen in digressu ad se reflectentes ædificantur, & de nobis melius sentire, magisque nos æstimare incipiunt; nam tandem intelligunt, id verò ad rem pertinere & bonum esse: contra verò si rebus ipsorum nos immiscere, deq; ijs sermonem serere, narrationibus sæcularibus ac profanis delectari detineriq; vident, vti detinentur ipsi, forte an nos vt amicos habebunt perinde ac alium sæcularem, sed non vt admodum spiritualem: itaque peribit nobis apud illos auctoritas omnis & energia verborum ad fructum aliquem in ipsis faciendum. Quare bonum religionis atq; instituti nostri nomen, & ab antiquis Patribus nostris acceptum exemplum promouere & adagere pro viribus nostris studeamus.

(tio ingratum, tamen postea placet.)

10. P. N. Franciscus de Borgia, cum à sæcularibus quibusdam visitaretur, quibus suam negare præsentiã non poterat, & illi de rebus impertinentibus agere inciperent, ijs aures non accommodabat, nec attendebat ad ea quæ dicerent, sed animum ipse suum in Deo recollectum habebat. Quin à Socijs admonitus se, propterea subinde errare, & subinde ad petita præter rem respondere: *Malo* (inquit) *rudis & stupidus videri, quam temporis iacturam facere.* Omnia.n. id tempus perire existimabat, quod non aut Deo, aut ad Deum pertinentibus impenderet.

(4. c. 4. *vitæ.* Exemplum.)

Cui simile est illud Cassiani de Abbate Machete, qui hanc multa oratione à Deo gratiam impetrauerat, vt in colloquijs spiritualibus diurnis æquè ac nocturnis somnis nunquam ei obreperet; sed si de rebus mundanis & impertinentibus sermonem audiret, statim dormitaret.

(*l.5. de inst. renun. c.29.*)

11. Concludamus ergo hunc tractatum aureo illo D. Bernardi consilio, quod Religioso cuique præbet. Sic, *inquit*, *in cunctis se habeat, ut videntes ædificet, & nemo, cùm viderit eum vel audierit, dubitet, quin verò sit monachus.* Sic nos in omnibus rebus, & præsertim in hac geramus, ut quicumque nos viderint vel audierint, ædificentur, dicantque: Hic verè Religiosus est, quod idem est cum eo quod Apostolus præscribit discipulo suo Tito: *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens dicere de nobis.* Procuremus ergo in omnibus tale exemplum præbere, ut non solùm amici non inveniant, quo offendantur; sed ut & æmuli nostri confundantur atque erubescant, videntes se nihil in nobis invenire, quod arrodant, nihil quod reprehensionem mereatur.

(*In specul. monach.* Consiliũ aureum S. Bernardi. *Tit. 2. 7.*)

12. Philosophum quendam ferunt, cùm ei diceretur, alios ipsum calumniari & detrahere, respondisse: *Sic vivam, ut nemini obtrectorum meorum credatur.* Eodem modo & cautione nobis vivendum, ut non solum dicta factaque nostra omni vacent culpa ac reprehensione; sed

(Nihil sit in conversatione tua scandalosum.)

 & vita

& vita nostra omnis atque conversatio eiusmodi sit, ut adversariis ac censoribus nostris fidem omnem abroget, oraque maledicorum, tacentibus nobis, confutet atque oppilet. Hæc optima est contra detractorum maledicentiam sui purgatio ac defensio, ac ore quidem verbum non proferre, sed opere ipso & irreprehensibili vita respondere.

TRACTATVS TERTIVS,

DE VIRTVTE HVMILITATIS.

CAPVT PRIMVM.

De Humilitatis excellentia, & quantopere ea nobis sit necessaria.

Matt. 11. 29. l. de vera relig. Vita Christi propria humilitatis officina fuit.

1. *Discite à me, inquit Redemptor noster Christus, quia mitis sum & humilis corde; & invenietis requiem animabus vestris.* Vndè S. August. ait: *Tota vita Christi in terris per hominem, quem suscipere dignatus est, disciplina morum fuit, sed præcipuè humilitatem suam proposuit, dicens: Discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Quod virtutis huius excellentiæ probandæ, simulque quam ea nobis sit necessaria, sufficiat; cùm filius æterni Dei in terram è summo cœlo descenderit, ut illam nos doceret, & eius potissimùm esse magister voluerit, non solum verbo; sed maximè opere; quia omnis eius vita vivum humilitatis exemplum & speculum fuit. Percurrit S. Basilius totam Christi vitam jam inde ab ipsa nativitate ostendendo, & accuratè ponderando, quomodo omnia eius opera egregiè plenissimeq; hanc nos virtutem doceant.

Ser. de humilitate. Exempla humilis Christi.

2. Voluit enim, ait, è paupere matre in vili stabulo nasci, & vilibus pannis involutus in præsepi reclinari, voluit ut peccator circumcidi, ut debilis in Ægyptum fugere, inter peccatores & publicanos, ut unus illorũ, baptizari: In vitæ progressu, volunt illi honorem deferre & in Regem eligere, & abscondit se; cùm verò contumeliis & dedecore afficere, tunc offert se: prædicant illum homines, etiam à diabolis obsessi, & jubet illos tacere; dum illum subsannant, & conviciantur, ne verbo quidem se purgat. Et in vitæ fine, ut hanc nobis virtutem, tanquam testamento & ultima voluntate sua magis commendaret, mirando illam confirmat exem-

exemplo, dum & discipulorum pedes lavat, & ignominiosam illam crucis mortem subit. De nascente testatur S. Bernardus: *Exinanivit semetipsum carnem nostram assumendo, & universam vitam suam humilitatis esse voluit exemplum, ut prius præstaret exemplo, quod erat docturus verbo*: minus sane docendi modus. Quare tantæ Maiestatis Dominus tam profundè se humiliavit? *Vt non apponat ultrà magnificare se homo super terram. Intolerabilis enim impudentia est, ut ubi sese exinanivit Maiestas, vermiculus infletur & intumescat.* Magna, inquam, semper stultitia & pudenda temeritas fuit, hominem superbire; & tum maximè postquam ipsa Divina Majestas se demisit & abjecit. Filius Dei, Patri æqualis formam servi accipit, & vult humiliari & contemni, & ego pulvis & cinis ambio æstimari, magnique fieri.

serm. 1. de Nativ. Domini.

3. Meritò ergo Redemptor Iesus se Magistrum humilitatis appellat, nosque eandem à se discamus vult. Nec enim Socrates, Plato, aut Aristoteles hanc virtutem potuerunt docere. Philosophi gentiles de mortalibus virtutibus, de fortitudine, temperantia & justitia disputantes, tantum aberant ab humilitate, ut in his ipsis scriptis suis, & in omnibus virtutibus, magni vellent fieri, & sui memoriā posteritati relinquere. Diogenes quidem, & eius farinæ alii, mūdū & seipsos videbantur contemnere vili vestitu, paupertate, abstinentia; sed in hoc ipso superbiam magnam ostendebant, & hac viam sibi nomen parare & magni fieri cupiebant, altosq; nullo in numero habebant, ut Plato prudenter in Diogene notavit. Invitaverat is quodam tempore Philosophos aliquot, & inter cæteros Diogenem; domo sua splendidè adornata, atque, ut tales convivas decebat, aulæis prætexto cœnaculo. Ingressus Diogenes cœpit sordidis pedib. illos tapetes calcare; & à Platone rogatus, cur id faceret? respondit: *Calco Platonis fastum.* Cui Plato rectè respondit. *Calcas, sed alio fastu*: Maiorem ipsius fastum notans in calcandis tapetibus, quam suum in eorum possessione. Philosophi prisci ad verum suiipsorum contemptū in quo Christiana humilitas cōsistit, nunquā potuerunt pertingere, imò ne nomine quidē tenus humilitatē cognoverūt: hæc enim propria Christianorū virtus est, ab ipso Christo edocta.

In vet. Philosophorum scholis desiderata semper fuit humilitas.

Tertul. in Apolog. l. 1. c. 45.

4. Ac notavit solerter D. August. ab hac ipsa eum excellentē illum sermonem in monte exorsum esse. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnū cœlorum.* ubi per pauperes spiritu Augustinus, Hieronymus, Gregor. & alii intelligunt humiles ab hac ergo Dominus prædicationem suam auspicatur, in hac prosequitur, in hac definit & consummat, hanc omnis eius vita nos docet, hanc ut ab disceremus voluit, dicens: *Discite à me, non mundum fabricare, non cuncta visibilia & invisibilia creare, non in ipso mundo mirabilia patrare ac mortuos suscitare; sed quoniam mitis sum & humilis corde Potentior est enim & tutior, solidissima humilitas, quàm ventosissima celsitudo.* Melior est humilis Deo serviens, quā stupendorum prodigiorum patrator.

l. de sancta Virg. c. 32.

Prima Christi prælectio de humilitate fuit *Matt. 5. 3. August. de verb. Domini in Evang. secundum Matt. ser. 18. & l. de sancta virg. c. 34 Et li. 8. de Trinit. c. 7 Hieron. Daniel. 3. Gregor. 6. mor. c. 16.*

Hæc

Hæc plana & ſecura eſt via: alia plena ſalebris, ac periculis multis expoſita.

Sine ea nullus profect° eſt.

Epi. 56. ad Dioſcorũ.

5. Adeo verò neceſſaria nobis hæc virtus eſt, ut ſine illa ne paſſum quidem unum in via ſpirituali promovere poſſimus. Verè proinde S. Auguſtinus: *Niſi humilitas omnia, quæcunque facimus, & præceſſerit, & comitetur, & conſecuta fuerit jam nobis de aliquo benè facto gaudentibus & in eo complacentibus totum extorquet de manu ſuperbia.* Et parum nobis profuerit, opus ex ſe eſſe bonum, quiimo propterea magis nobis à ſuperbia & vana timendum eſt. *Vitia quippe* (ait ibidem S. Auguſtinus) *cætera in peccatis*, v.g. invidia, ira, luxuria, ideoq; velut fronti inſcriptum peccatum habent, ut ab illis idcirco nobis caveamus. *Superbia verò etiam in rectè factis timenda eſt, ne illa quæ laudabiliter facta ſunt, ipſius laudis cupiditate amittantur: quæ bonis operibus inſidiatur, ut pereant.*

Omnia vaſtat ſuperbia.

6. Navigabat homo ſecundis velut ventis nec proſperè, cor Deum verſum verſus directum habens, nam opus ipſum jam inchoaturus, ipſum Deo obtulerat; & ecce repentè, vanitatis turbine exorto, in ſcopulos breviaque miſera bripitur, dum nimirum vult hominibus placere, ab iis magni fieri & bonum nomen habere vult, vel ob vanum aliquam delectationem; itaque totius operis jacturam facit, ac naufragium: juxta illud D. Gregorii & Bernardi: *Qui ſine humilitate virtutes congregat, quaſi in ventum pulverem portat*, à quo is penitus diſpergitur, & per aëra raptatur.

Greg. ſup. pſ. 3. Pœnit. Bernar. de ord. vitæ & mor. inſtit. c. 7. & ſer. de donis ſpir. ſancti, qui eſt ultimus ex parvis c. 2.

Caput II.

Humilitas cæterarum virtutum eſt fundamentum.

Serm. de Nativit. Chriſti. Epiſt. ad Euſtoch.

1. **H**Vmilitate ſubſtrui. De ea ſic loquitur S. Cyprianus: *Humilitas eſt ſanctitatis fundamentum.* S. Hieronymus ait: *Prima virtus Chriſtianorum eſt humilitas.* Et S. Bernardus: *Humilitas eſt fundamentum cuſtoſque virtutum.* S. Gregorius denique alibi illam omnium virtutum magiſtram & matrem: alibi earum radicem, atque originem appellat. Hæc autem metaphora à radice ſumpta, valdè propria eſt humilitati, aptiſſimeque eiuſdem proprietates & conditiones declarat.

Serm. 1. de Nativit. l. 23 mor. c. 13. & li. 27. c. ult.

Flos à radice virtus ab humilitate ſeiuncta, exareſcunt.

2. *Primò* enim, ſicut eodem authore Gregorio, flos in radicis ſucco vivit & creſcit, at ab ea reſectus exareſcit: ita quælibet virtus, niſi in humilitatis radice maneat, exareſcit, & ſtatim perit. *Deinde*, ut radix intra terram contenta eſt, pedibus teritur & calcatur, omniſque expers eſt pulchritudinis & odoris, arbor tamen univerſa vitam trahit: ſic & humilis ſubterraneus quodam modo eſt, cõteritur, abjicitur ac præteritur, nullam habere ſpeciem aut ſplendorem videtur, ſed in angulum aliquem retruſus & oblivione ſepultus; at hoc ipſum eſt, quod illum conſervat vegetat indies, & adauget. *Præterea*, ſicuti ut arbor creſcat, perduret, mul-

multumque fructum adferat, expedit latè ac profundè radicis fibras extendi ac dilatari, & quo hæ altius humo se immiserint, tanto ista erit fertilior & diutiùs stabit: juxta illud Isaiæ. Prophetæ vaticinium: *Mittet radicem deorsum, & faciet fructum sursum*: Ita, ut quis in omnibus virtutibus fructificet, in iisque stabilis semper atque inconcussus permaneat, altas ac solidas in humilitate radices jaciat, oportet. Quo eris humilior tanto magis in virtute & perfectione cresces. Denique ut superbia radix & principium omnis peccati est, teste Sapiente: *Initium omnis peccati est superbia*; sic, humilitatem omnis esse virtutis radicem & fundamentum, omnium sanctorum confessio est.

4. Reg. 19. 30.

Eccl. 10. 15.

Objectio de fundamento, Christo & humilitate.

3. At dicet quispiam? quomodo tu humilitatem omnium virtutum & ædificii spiritualis fundamentum statuis, cùm sancti omnes & inprimis S. Apostolus Paulus illud fidem esse velint: sic enim hic ad Corinthios scribit: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus IESVS.* Huic dubio benè respondet D. Thomas: Duo scilicet requiri, ut rectè fundetur domus. Primum necesse est aperiri humum, & effodi omnem arenolam & mobilem, donec ad fundum firmum perveniatur, ut huic inædificetur. Alterum, ut, jam ad justam profunditatem egestâ omni periculosâ ac mobili terrâ, primus jaciatur lapis, qui unà cum reliquis superponendis præcipuum est ædificii fundamentum. Eodem modo se habent (dicit S. Thomas) humilitas & fides in hoc spirituali ædificio, & virtutum fabrica. Humilitas est, quæ fodit & apperit fossam, & ejus partes sunt fundamentum profundè jacere, & foras egerere quidquid molle est & fragile, id est, humanarum virium debilitatem. Neque enim super tuas vires struere & fundare debes: nam illæ velut arena sunt fragiles ac ruinosæ: unde id totum egerendum est, (tibi ipsi inquam diffidendum) & tam profundè effodiendum, donec ad rupem vivam, & firmam petram quæ est Christus (*Petra autem erat Christus*) perveniatur. Ipse ergo Principale est fundamentum, sed, quia ad ædificium rectè construendum alterum illud fundamentum necessarium est, quòd humilitate fit, ideo etiam Humilitati fundamenti nomen tribuitur. Quapropter quicunque humilitatis sarculo terram profundè aperuerit, in sui ipsius cognitionem altum penetrarit, egesseritq; omnem æstimationis propriæ & de seipsa fiduciæ arenam mobilem, donec ad verum fundamentum, quod Christus est, perveniat; hic stabile & æternans ædificium exstruet; quod nec ullæ pugnantium vis ventorum dejiciet, nec inundantium torrentium alluvies ullo ævo devolvet, quia supra firmam petram est fundatum. At si absque humilitate ædificaverit, statim fabrica omnis in terram concidet, eò quòd arenæ inædificata sit.

1. Cor. 3. 11.

2. 2. q 161 art. 5. ad 2.

Spiritalis fabricæ duplex fundamētū. 1. pro. funda fovea

Humilitas. 2. & principale est Petra, Christi fides & ipse Christus.

1. Cor. 10. 4.

4. Ad hæc, non sunt eæ veræ ac solidæ, sed apparentes & falsæ virtutes, quæ in humilitate fundatæ non sunt.

Absq; humilitate virtutes sunt larvæ.

l.5.de Civ.c.15. & in ps. 31.

sunt. Unde S. Augustinus, in Romanis illis Heroibus & veteribus Philosophis veras virtutes fuisse negat; non solùm, quia deerat ipsis charitas, quæ earum est forma, & omnibus illis vitam & esse impertit, ac sine qua nulla vera & perfecta est virtus; sed quia illis etiam deerat fundamentum humilitatis. Nam in sua fortitudine, justitia, ac temperantia aliud non spectabant, quàm ut ab aliis laudarentur, & apud posteros in veneratione essent & perpetua memoria, erant proinde virtutes inanes, & substantia destitutæ, & quædam earum umbra: itaque nec veræ, nec perfectæ, sed apparentes tantum.

Virtutes Ethnicorum non veras fortunæ bonis, non veris remunerat Deus.

5. Quare & addit Deum Romanis propter illas nonnisi fortunæ bona, quæ idem ficta & apparentia sunt, in mercedem retulisse. Si ergo veras virtutes in anima tua ædificare velis, priùs solidum & profundum humilitatis fundamentum in te jacere studeas. *Magnus esse vis, à minimo incipe: cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento priùs cogita humilitatis*, monet S. Augustinus. *Et quantam quisque vult, & disponit super imponere molem ædificii, quantoque erit majus ædificium, tanto altiùs fodit fundamentum*: non enim est altum sine profundo; itaque quo profundiùs penetrabis, & humilitatis fundamenta profundiùs jacies, eo poteris altiùs perfectionis Evangelicæ turrem, quam cœpisti, attollere. Inter alias D. Thomæ Aquinatis memorabiles gnomas, refertur & hæc de humilitate: Qui adhuc honoris capitur desiderio, qui parvi pendi detrectat, & dolet cùm jam despicitur; hic etiamsi mira & miranda patret, procul tamen à perfectione abest; quia nihil est aliud quàm virtus fundamento carens.

Aug. ser. 19. de verbis Domini.

l.p.l.3.c. 37. historia prædicatorum.

Caput III.

Specialiùs jam exponitur virtutum, omnium fundamentum esse Humilitatem; quod per earum primarias discurrendo ostenditur.

Opus humilitate ad Fidem recipiendam.

1. Ut verò clariùs intelligatur quàm vera sit hæc sanctorum opinio, humilitatem omnium virtutum esse fundamentum, quamque illud iis omnibus sit necessarium, brevi enumeratione præcipuarum factâ, jam ostendemus. A Theologicis incipiamus: ad fidem veram capessendam, necessaria omnino est humilitas. Non loquor autem de infantibus, quibus fides, sine actu ullo proprio, in Baptismo infunditur: sed de adultis, qui jam usum rationis habent. Fides enim intellectum humilem & resignatum exigit: *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*, dicit S. Apost. Arrogans quippe intellectus impedimento est, quò minùs fides recipiatur, ideoque meritò Christus Pharisæis objiciebat: *Quomodo vos potestis in me credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis.*

2. Cor. 10.5.

Ioan. 5. 44.

Etiam ad conservandam.

2. Neque solùm ad recipiendam fidem, sed & ad conservandam necessaria est humilitas. Communis est omnium Doctorum & SS. Patrum doctri-

doctrina, superbiam omnium hæreseôn esse principium! cum nimirum quis opinionem & iudicium suum tanti æstimat, ut eam id communi sanctorum & receptæ ab Ecclesia doctrinæ anteponat; atque inde in hæresin prolabitur præceps; Testem dictorum habeo Apostolum, qui Timotheo suo sic scribit. *Hoc autem scito, quòd in novißimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi.* Ecce ut elationi & superbiæ, velut causæ errores & Hæreses assignet, uti id luculente S. Augustinus ostendit locum illum exponens.

2.Tim.3. 1.

S. August. in eum locum.

Opus humilitate ad Fidem recipiendam.

Ad spem opus est Humilitate.

3. Præterea, spes humilitate fovetur: humilis enim necessitatem atque infirmitatem suam intelligit, & agnoscit viribus se propriis nihil posse, ideoque majori cum affectu ad Deum opis habendæ causa confugit, omnem spem suam in illo defigens.

Ad Charitatem Dei quoque.

4. Charitas quoque & Dei dilectio per humilitatem reviviscit & accenditur: humilis enim novit, omnia, quæcunque habet, à Dei miserentis manu sibi provenire, se verò nihil minùs quàm hæc ipsa promereri. Atque inde mirum in modum amore Dei inardescit atque inflammatur, ac mirabundus cum S. Job exclamat: *Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?* tantamque ei gratiam & dona confers? Ego tibi tam ingratus & sceleratus sum, tu verò mihi tam bonus: ego pertinaciter te quotidiè offendere pergo, & tu singulis momentis gratias impertiri. Hoc est unum è potissimis adminiculis ac fomentis, quibus sancti utebantur, ad se in amore Dei plurimum accendendos: quo enim magis suam considerabant ingratitudinem ac vilitatem eo magis obligatos se sentiebant ad Deum totis viribus amandum, qui in tantam vilitatem & indignitatem oculos suos conjicere est dignatus. *Magnificat anima mea Dominum* (cantabat sacratissima Angelorum Regina) *quia respexit humilitatem ancillæ suæ.*

Iob.7.17.

Luc.1.46

Et ad amorem proximi.

5. Jam verò ad charitatem erga proximos quantopere requiritur humilitas, nemo non videt: nam nihil æquè extinguere ac suffocare proximorum & fratrum charitatem solet, quàm defectus ac mores illorum arrogantiùs censere, ideoque eos ut imperfectos ac vitiis plenos despicere. A quo nimis quàm procul abest humilis: qui semper ad proprios defectus respicit, in aliis verò ad nihil aliud quàm ad virtutes reflectit. ideoque omnes ut bonos & irreprehēsibiles, se solum sceleratum, & imperfectum & fratrum suorum consortio indignum æstimat, unde nascitur in eo magna de omnibus æstimatio, veneratio, & ardens dilectio. Præterea, humilem non malè habet, si omnibus postponatur, si honorentur universi, nullâ sui vel minima mentione facta: non queritur, si aliis digniora, speciosa & honorifica demandentur, ipse verò unus obscuris & humilibus muniis præficiatur. Denique inter humiles nulla regnat invidia: hæc enim filia est superbiæ: proinde ubi habitabit humilitas, ibi invidia,

dissidium, amaritudo animorum, & æmulatio, & quidquid fraternæ dilectioni officit ac deterit, locum non habebit.

Ad patientiam.

6. Ex humilitate etiam nascitur patientia mortalibus hac in vita tam necessaria. Nam humilis culpam & peccata sua agnoscit, & quacumq; se pœna dignum confitetur: nec supplicio malové ullo corripitur, quod non fateatur minùs, quam per culpas suas sit promeritus. Silet ergo, nec novit queri, sed cum Propheta Michæa ex animo dicit: *Iram Domini libenter portabo, quoniam peccavi ei.* Et sicut superbus de re qualibet quæritur, seque injustè & citra meritum plecti clamat, quamvis fallatur, nec juxta condignum multetur: Sic vicissim humilis, etsi nullo suo merito vapulet, id non considerat, nec injustum id ducit: in nulla re & injuria putat affectum; sed omnia sibi promerito contigisse censet, & qualicunque demum ratione tractetur, credit sibi factum satis, quòd benigniùs etiam, quàm mereatur se habitum putet. Viden' ergo, quàm præstans sit humilitas ad patientiam præsidium? Rectè igitur Sapiens eum, qui Deo servire proponit, instruens, ut nimirum se ad tentationes & insultus excipiendos præparet, animumque patientiâ communiat, non aliud ei ad hoc subsidium suppeditat, quàm ut se humiliet, dicens: *Deprime cor tuum, & sustine: omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore sustine.* Sed quî hoc fiet? quæ mihi arma suppeditas ut id non sentiam, vel, si sentiam, æquo ut animo feram?

Mich. 7. 9.

Eccl. 2. 2. & 4.

In humilitate tua patientiam habe. id est, esto humilis, & simul patientiam habebis.

Ad pacē animi.

7. Pacis quoque Parens est humilitas, pacis, inquam, tam ab omnibus expetitæ, & tam Religioso necessariæ. Hoc disertè Christus Dominus noster affirmat, dum ait: *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* Humilis esto, & magnam tecum & cum fratribus pacem habebis: Sicut *inter superbos semper* rixæ, *contentiones & jurgia sunt*, ut docet Sapiens; sic vice versa inter humiles rixæ esse non possunt, nec dissensio, nisi forsan sancta illa contentio, qua, uter magis humiliandus sit, & socio plus deferat, contendunt. Qualis fuit amica illa contentio inter SS. Paulum & Antonium super panis divisione, dum alteri alter in ea primas defert; hic, quia senior erat; iste, quia hospes; uterque nihil intentatum relinquens, quo sibi alterum præferret, se verò subjiceret. Et hæ sanctæ sunt rixæ, bonæque contentiones, quæ, ut à vera humilitate proficiscuntur; sic adeò fraternæ paci & charitati non adversantur, ut eandem potiùs confirmant, magisq; conservent.

Matth. 11. 29.

Prov. 13. 10.

Ad tria Religionis vota, ac primo ad paupertatē.

8. Veniamus ad tres illas Religiosis proprias & essentiales virtutes, ad quas nos per tria vota paupertatis, castitatis & obedientiæ obligamus. Paupertas inprimis tantam habet cum humilitate connexionem & consanguinitatem, ut germanæ sorores esse videantur ac per spiritus paupertatem, quam Christus primo inter

inter Evangelicas beatitudines loco posuit, intelligunt interpretes nonnulli humilitatem, alii voluntariam paupertatem, eam videl. quàm religiosi profitentur. Necesse porro est, ut paupertas comitem semper habeat humilitatem, & quidem assiduam; quòd una sine altera, haud leve sui discrimen adeat. Nam facili negotio è pannoso centone, & horrente sacco, vanæ gloriationis & superbiæ spiritus nasci velut tinea solet, & hinc deinde proserpere quidam aliorum despectus. Atq; hæc erat causa, cur S. Aug. plus æquo abjectum vestitum fugeret, volueritq; fratres suos honestè & decenter vestiri, ut sic hoc inanis gloriæ periculum effugerent. Ex adversa tamen parte necessaria quoque est humilitas, ne ita commodè vestiri velimus, ut nihil nobis in vestitu desit: sed simus contenti eo quòd nobis dabitur, etiam omnium vilissimo; cùm pauperes simus, & paupertatem profiteamur.

Ad Castitatem.

9. Ad castitatis custodiam necessariam quoq; esse humilitatem, multa docent exempla quæ in vitis Patrum Eremicolarum legimus; cùm sc. plurimi post multos annos in intolerabili penè pænitentia, & vita solitaria transactos, turpiter ad miserandum in modum lapsi sunt: idque semper ex humilitatis defectu, è præsumptione arroganti, nimia de se ipsis fiducia: quæ vitia solet Deus lapsuũ huiusmodi permissione castigare. Est autem humilitas tantum virginalis puritatis & castitatis ornamentum, ut S. Bernardus dicat: *Sine humilitate audeo dicere, nec virginitas Mariæ Deo placuisset.*

Sine humilitate castitate Deo non placet.

Hom. super. missus est.

Ad obedientiã.

10. Transeamus ad virtutem obedientiæ in qua S. P. noster nos qui de societate sumus, insigniter vult excellere. Constat autem, verè obedientem esse non posse, qui simul humilis non fuerit: nec obedientem esse, non posse, qui fuerit humilis. Humili quidvis tutò imperari potest, non autem qui humilis non erit: humilis repugnans judicium non habet, in omnibus se cum superiore conformat, tam in opere, quàm in voluntate & intellectu: nulla in eo invenitur contradictio, nulla resistentia.

Ad orationem. Humilis oratio penetrat cælos.

11. Oratio porrò (cui Religiosi & spiritualis hominis vita potissimum innititur) si comitem humilitatem nòn habuerit nullius valoris est; sed ea si adfuerit, cælos perumpit. Hinc ait Sapiens. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit, & donec propinquet, non consolabitur, & non discedet, donec altißimus aspiciat.* Sancta & humilis illa Iudith, oratorio suo inclusa, induta cilicio, & cinere caput aspersa, humi prostrata, clamitat: *Humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. Respexit Deus in orationem humilium, & non sprevit preces eorum. Ne avertatur humilis, factus confusus,* id est, Non est quid timeas, ne humilis rogans repellatur, & re petita non impetrata confusus recedat: nam quod petit obtinebit, & Deus eius orationem exaudiet. Vide quæso, quàm grata Deo fuerit humilis illa Evangelici publicani oratio, qui non audebat oculos ad cælum

Eccl. 35. 25.

Iudith 9. 16.

Psal. 101. 18.

Ps. 73. 21.

lum levare, nec altaris propiùs accedere, sed eminus in aliquo templi angulo, tundens pectus suum, & humili sui cognitione plenus dicebat: *Deus propitius esto mihi peccatori. Dico vobis, ait Redemptor Christus, descendit hic justificatus in domum suam ab illo*: at Pharisæus, rectè factorum opinione tumens, seque ut bonum suspiciens, abiit inde damnatus.

Luc. 18. 13

Compendiosa via ad omnẽ virtutem est Humilitas.

12. Hoc modò per reliquas virtutes discurrere possemus: unde si regiam ad eos omnes consequendas viam, & breve aliquod atque compendiosum documentũ citò ad perfectionem veniendi, habere desideres, & tibi, Estó humilis.

Caput IV.

Ostenditur quàm particulariter hac virtute opus habeant ii, quorum professio est, ad proximorum salutem cooperari.

Eccl. 3. 10

Excellẽs est munus cura animarũ.

1. Sapientis vox est: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.* Nos certè qui animas Deo lucrari ex vi instituti nostri conamur, magnum certè munus obimus: nam (quod ad confusionem nostram dicere possumus) vocavit nos Deus ad altissimum statum: etenim nostrum institutum est, sanctæ matri Ecclesiæ in tam sublimibus tamque eminentibus ministeriis (ad quæ Apostolos Deus olim elegit) subservire qualia sunt sacrosancti Evangelii prædicatio, & divinorum sacramentorum, ac pretiosissimi sanguinis sui administratio: ita ut cum magno Gentium Doctore dicere nobis liceat: *Dedit nobis ministerium reconciliationis. vocat ministerium reconciliationis* gratiam Evangelii eiusque annunciationem, & Sacramentorum, quibus hæc gratia communicatur, dispensationem.

2. Cor. 5. 18.

Curatores animarum sunt Dei Ministri, Legati, Apostoli, &c.

2. *Et sanè posuit in nobis verbũ reconciliationis; Pro Christo ergo legatione fungimur.* Idest, constituit nos Deus ministros ac legatos suos, imò ut Apostolos suos & Iesu Christi summi Pontificis nuntios ut S. Spiritus organa, linguas ac instrumenta: *Tanquam Deo exhortante per nos*, & ad animas loquente: nimirum per carneas has linguas nostras vult Deus mortalium corda ad amorem sui timoremque commovere.

Duas habens causas sese humiliandi. Prima est periculũ, in quo versantur. Hieron.

3. Duplici ergo nomine nobis, præ cæteris, necessaria ad hoc munus est humilitas: prius est, quòd, quantò sublimius est institutum, ac vocationis nostræ dignitas, tantò præsentius immineat nobis periculum, & maior à superbia ac vanitate oppugnatio. Editissimi montes, ait sanctus Hieronymus, validioribus ventis quatiuntur. Amplissimis officiis fungimur, ideoque omnium in nos oculi sunt conversi, plurimi ab iis æstimamur, ut sanctos ac velut alteros Apostolos in terra nos habent, putantque conversationem & congressus nostros, de Sanctis duntaxat negotiis ac sermonibus institui, & ad sanctitatem promovere quotquot nobiscum agunt. Alto igitur & sanè profundo humilitatis fundamento hic opus est, ne tam altum ædificium in terram corruat: magno

quoque

quoque virtutum præventu, robore & peculio, ad honorum pondus, & quæ cum eo veniunt, peccandi occasiones, sustinendum. Difficile est inter honores semper versari, & nihil tumoris cordi adhærere. Omnibus tantum non est robur, nec tam potens cerebrum, ut per alta loca tuto ambulent. Quot evanuerunt & lapsi sunt è loco alto, in quo versabantur, eò quod hoc fundamento humilitatis carerent? Quot qui velut aquilæ in virtutum exercitiis, sublime evolare & in altum erecti videbantur, ob superbiam tandem velut vespertiliones facti sunt?

Exempla lapsorũ.

4. Signis ac portentis clarebat anachoreta ille, de quo in vita SS. Pachomii & Palæmonis, adeo ut & prunis inambularet impune & indemnis. Sed ob hoc ipsum factus tumidior superbivit, & despexit alios, de seipso dictitans: Ille haud dubiè est sanctus, qui prunas non ustulatus calcat: quis vestrûm tale quid ausit? Arguebat illum S. Palæmon, quòd superbiam esse videret ac vanitatem: nec vano timore, nam ille fortè prolapsus est & miserè periit. Cuiusmodi exemplorum plena est tum S. Scriptura, tum veterum sanctorum annales.

Cur humilitas in sacris officiis necessaria sit Societati maximè. S. Bonaventura.

5. Hanc igitur ob causam particulari quodam modo nos oportet solidæ hac in virtute fundari, quod nisi fiat, in præsentissimo evanescendi & in superbiæ peccatum labendi periculo versamur, & quidem in maximam, scil. in spiritualem superbiam. Quæ qualis sit S. Bonaventura exponens, duo statuit superbiæ genera; Vnum circa res temporales, & vocatur carnalis superbia, alterũ, circa spirituales, & spiritualis dicitur: & hanc priore ait deteriorẽ graviusq; peccatũ esse. Cuius ratio inde patet, quòd omnis superb⁹ (ut idẽ docet) fur est, & furtũ committit, quia se de alieno contra Domini sui voluntatem, extollit & superbit. Attollit supercilium ex ea gloria & honore, quæ Deo propria est, & quam is alteri non dare, sed sibi servare vult: *Gloriam autem meam alteri non dabo*, ipse per Isaiam loquitur. Hanc superbus Deo præripere, hac ad fastum suum abuti; sibique adscribere vult. Cum ergo quis bono aliquo naturali, nobilitate videlicet, bona corporis dispositione, præstanti ingenio, multa eruditione, ac similibus donis superbit, fur est; sed non tantum furtum est. Quamvis enim hæc omnia Dei bona sunt, non sunt tamen aliud quàm sordes & purgamenta domus eius. At qui donis spiritualib. gratia, sanctitate, fructu, quem ex animarum salute collegit, superbit; magnus fur est, quia Dei honorem furatur; & famosus fur, quia pretiosissima, & quæ apud Deum maximi pretii & valoris sunt, monilia depeculatur: quæ scil. tanti fecit, ut pro iis coëmendis proprium sanguinem ac vitam profundere vile quid duxerit.

Duplex superbiæ genus est.

Isa. 42. 8. & c. 48. 11.

S. Francisci exemplum humilitatis.

6. Quare meritò S. Franciscus semper in magno timore versabatur, ne in hanc, superbiam umquam præceps rueret, & Deum hunc in modum affabatur: Domine si quid mihi dederis, tu tibi id serva: nam mihi non fido, magnus enim fur sim, qui me de bonis ac facultatibus tuis extollo,

tollo. Pari modo & nos metuamus, & quidem potiori jure, utpote qui S. Francisco pares humilitate non sumus; non cadamus in hanc superbiam, quæ tam est periculosa, nec Dei bonis, quæ nobis miserator Deus concredidit, ac in manus consignavit, magnam de nobis habens fiduciam, extollamur: nihil horum nobis adhærescat, nihil nobis adscribamus; nihil arrogemus, sed totum Deo, à quo profectum, reddamus.

Marc.16. 14.

Remediū aliquod contra spiritualem superbiam.

7. Non vacat mysterio quòd Christus servator noster, apparens discipulis suis ipso ascensionis suæ die, primò exprobravit illis incredulitatem & duritiam cordis, & postea demum misit illos ad Evangelium per mundum universum prædicandum, ac potestatem illis dedit: multa & stupenda miracula patrandi, nimirum docere voluit illum, qui ad magna & celsa evehendus est, ante humiliandum esse, semetipsum debere parvi facere, & propriam debilitatem, ac miseriam perfectè agnoscere, ut, quamvis pòst super ipsos cælos evolet, prodigiis ac signis toti mundo clarus reddatur, tamen in sui cognitione integer, & intra propriam vilitatem maneat, nihil sibi, nisi suum nihilum, adscribendo. Cui rei testandæ notat Theodoretus, hanc ipsam ob causam Deum, cum Moysen in populi sui ducem eligere, ac per eum tot tantaque prodigia, quanta dein operatus est, patrare vellet prius voluisse ut manus illa, qua mare rubrum divisurus erat, & tam inusitata prodigia patraturus, in sinu absconderetur, indeque educta fœdissimâ leprâ ubivis perfusa appareret.

q.10. super Exodum.

Secunda causa, ut constet fructus operæ apud proximum.

8. Altera ratio, cur nos supra cæteros, humilitate opus habeamus, ut his ipsis ministeriis nostris fructum in proximo faciamus: adeo est, ut non solùm necessaria ea nobis sit in rem nostram & propriam, ne videlicet in superbiam elati & evanescentes, pereamus, sed & ad lucrifaciendos proximos, fructumque in animab. eorum faciendum. Ad id enim humilitas de præcipuis & efficacissimis est mediis, ut nimirum nullam in nobis ipsis fiduciam habeamus, non viribus nostris, non industriæ, non prudentiæ fidamus, sed omnem nostram fiduciam in Deo collocemus, omnia ipsi accepta referamus, & attribuamus, juxta illud Sapientis dictum: *Habe fiduciam in Domino, ex toto corde tuo, & ne invitaris prudentiæ tuæ.* Ratio huius est (ut pòst fusiùs dicetur) quod, dùm nobis ipsis diffisi, omnem in Deo fiduciam figimus, totum illi attribuamus, totumque onus in illum projiciamus, qua ratione illum velut compellimus, ut ipse operi manum admoveat, quasi dicamus: Domine fac opus tuum: animarum conversio opus tuum est non nostrum; nam quid ipsi ad hoc à parte nostra sumus, & adferre possumus? Sed cum nostris mediis, rationibus ac prudentia nitimur, operis partem nobis vindicamus, magnam eius portionem nobis arrogantes; totum autem hoc Deo auferimus. Instar bilancis hæc res se habet, cuius dum una pars levatur, altera deprimitur: sic in præsenti materia quantum

Prov.3. Cap.10. & 38.

tum nobis vendicamus, tantum Deo tollimus, & nos extollere volumus ex ea gloria & honore, quæ ipsi propria est; ideoque permittit ut nihil à nobis rectè fiat. Atque utinam hoc subinde in causa non sit, cur non is qui speratur, in proximo fructus colligatur.

Lib.3.c.2 vitæ. Exemplũ humilitatis frugiferæ.

9. S.P.N. Ignatius per quandam traditionem doctrinæ Christianæ Romæ habitam, simplici licèt, corrupto & improprio loquendi genere (quod Italicum idioma exactè nondum calleret) tantum fructum in auditorum animis fecisse scribitur, ut, ea finita illorum multi præ cordis dolore compuncti, suspirantes, & gementes, se ad sacerdotis pedes prostraverint, præ lachrymis ac suspiriis vix verbum depromere valentes. Neque enim vim & fructum doctrinæ suæ in verbis sed in spiritu, cum Apostolo, constituebat: *Non*, inquam, *in persuasilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis*: sibi diffidebat prorsus, & omnem in Deo fiduciam collocabat: qui & idcirco tantas vires ac spiritum illi rudi, barbaro & inculto sermoni suggerebat, ut ardentes quasdam flammas & faces in auditorum pectora conjicere videretur. At modò nescio, an non fortè, quòd parem fructum ipsi non referamus, inde fiat, quod prudentiæ nostræ nimium imitamur, & nostris mediis, scilicet eruditioni, argumentis atque industriæ, comptoque nimis & ornato dicendi modo, plus æquo fidamus, nobisque ipsis multum complaceamus. Ego igitur ait Dominus, efficiam, ut cum te putabis speciosissima & plausibilissima argumenta & conceptus ad populum deprompsisse, indeque tibi plaudes & placebis, quasi aliquid feceris, efficiam inquam, ut tum minimum efficias; compleaturque in te illa Prophetæ imprecatio: *Da eis Domine: quid dabis eis? da eis vulvam sine liberis, & ubera arentia.* Ego te matrem sterilem efficiam, & ut præter inane matris nomen nihil habeas: Audies quidem P. N. & P. Prædicator; sed solo gaudebis titulo, filios autem spirituales non habebis, arentia tibi dabo ubera, ut nec tibi proles, nec illis tua dicta adhæreant. Hoc quippè meretur, qui Dei bonis se extollere, & quod divinæ ejus majestati proprium est, sibi gloriosè assumere gestit.

1.Cor.2. 4. — *Osea 9. 14.*

Positis quibusvis mediis præstantib⁹, adhuc humiliet se curator animarum.

10. Neque hæc eò dico, quasi non debeant bene limata ac dilgenter elucubrata esse, quæ ad auditores pro concione tractanda sunt, verum hoc non est satis: necesse præterea est ut multis ea lachrymis irrigentur, Deoque per preces commendentur, utque postquam dicenda conquirendo, & seriò expendendo, cerebrum fatigaris, dicas: *Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Quid quæso, possum ego? ut summum, nisi evanidum quendam strepitum verbis meis conc[i]re, perinde ac sclopetum globo vacuum? tuum est Domine ictum cordi infligere, & animos concitare audientium. *Cor regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud.* Tu Domine es ille, qui corda vulnerare & movere potes & quò libet, inflectere; nos quota

Luc.17. 10. — *Prov. 21. 1.*

pars hujus sumus! Quam habent verba nostra, & quæcumque ipsi à parte nostra adferre huc possumus media, proportionem cum tam sublimi ac supernaturali fine, qualis est, animas ad Deum suum avertere? Quorsum ergò sic extollimur? et cur ita nobis placidimus, & placemus, cum aliquis nobis videtur fructus colligi resque bene succedere, quasi eam ipsi eam marte nostro & industria confecissemus? *Nunquid*, ait per Isaiam Dominus, *gloriabitur securis contra eum qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum à quo trahitur?* Dicendo ei, ego sum, quæ lignum secui, ego quæ divisi. Quin potiùs: *quomodo si elevetur virga contra elevantem se, & exaltetur baculus, qui utique lignum est*, & non potest se movere, nisi ab alio agente extrinseco moveatur, ejusmodi rectè & nos sumus, si spiritualem & supernaturalem animarum convertendarum finem spectemus: lignum, inquam, & ex animis baculus qui nos ipsi movere, nec dirigere possumus, si moventium omnium principium Deus nos non moveat. Ideoque illi omne quod agitur acceptum ferre debemus, nec quidquam habemus de quo gloriemur.

Quam grata sit Deo diffidentia in mediis humanis

11. Tanti porrò Deus facit, ut viribus & mediis humanis diffidamus, nihilque nobis adscribamus, sed ipsi soli omnia & universam omnis rei gestæ gloriam transcribamus, ut idcirco Christus Dominus (teste Apostolo) noluerit ad prædicationem Evangelii, mundique conversionem eruditos ac disertos aliquos viros, sed pauculos piscatores, viles idiotas & imperitos adhibere. *Quæ stulta sunt mundi, id est ignaros & indoctos elegit Deus, ut confundat sapientes; & infirma mundi, id est pauperes elegit Deus, ut confundat fortia & potentes; & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret.* Reges videlicet & Imperatores atque omnes mundi magnates audi Paulum: *Vt non glorietur omnis caro in conspectu ejus, nihilque omnino sibi adscribat; sed, quemadmodum scriptum est: qui gloriatur, in Domino glorietur*, eique soli omnem gloriam attribuat. Certè, si Evangelii præcones, opulenti aut potentes fuissent, & copiosis exercitibus terribiles, armisque cincti per mundum hunc Evangelium prædicassent; potuisset illius conversio armorum potentiæ ac viribus adscribi, & si ad hoc opus Deus eruditos & magniloquos sæculi hujus Rethores elegisset, qui sua doctrina ac verborum & argumentorum pondere & energia Philosophos convicissent, potuisset eloquentiæ illorum & argumentorum subtilitati secundus Evangelii cursus & mundi conversio attribui, itaque authoritas & potentia virtutis Christi multum fuisset imminuta. Non ergò hac via illa peracta, *nec in sapientia verbi*, (ut loquitur Apostolus) *ut non evacuetur crux Christi.* Noluit, inquam, eam Deus per humanam sapientiam & eloquentiam peragi, ne sic virtutis Christi valor atque crucis ac passionis Dominicæ efficacia imminueretur. Unde illud scitissimum D. Aug. *Dominus noster Iesus Christus volens super-*

1. ad Cor. 1, 17.

Causam nosti. Hier. 23.

1. Cor. 1. 17.

Tract. 7. super Ioan.

super-

superborum frangere cervices, non quæsivit per oratorem piscatorem, sed è piscatore lucratus est Imperatorem & oratorem. Magnus Cyprianus orator, sed priùs Petrus piscator, per quem postea crederet non solùm Orator, sed & Imperator.

Debilib' aut vilibus instrumentis ad magna utitur Deus.

12. Ejusmodi exemplis plena est S. Scriptura, quod nimirum Deus abjecta & imbecillia instrumenta & media ad maximas res gerendas elegerit: ut nos veritatem hanc doceret, simulque cordi nostro profundè infixum maneret, nihil nos habere de quo gloriemur, nec quidquam nobis, sed omnia Deo ac Domino nostro attribuere debere. Egregiè id ostendit celebrata illa, inermis viduæ Judithæ contra centum quadraginta quatuor millium armatorum exercitum victoria, clamat idem, David imbellis & agrestis pastor, qui etiamnum adolescens & inermis, unica funda instructus, immanem illum gigantem prostravit. *Vt sciat omnis terra, quia est Deus in Israel, & noverit universa Ecclesia hæc; quia non in gladio, nec in hasta salvat Dominus, ipsius enim est bellum*, & victoria: atque ut ad oculum pateat, eam sine armis dare vult. Idem quoque docuit mysterium Gedeonis, qui cum triginta duo armatorum millia contra Madianitarum centum & triginta millium copias, in aciem produxisset; dicebat ei Deus: *Multus tecum est populus, nec tradetur Madian in manus ejus*, nec in tam copioso milite triumphum referes. Vide quæso, quam Deus det rationem cur non possit victoriam referre, quia *multus*, inquit, *tecum est populus*, quod si dixisset, non poteris vincere, quod numerosus sit hostis; vos verò pauci numero, sanè probabilis ratio videretur: falleris, consilium Dei non capis: humana hæc ratio fuisset, altera verò Dei propria est. Non potes vincere (dicit Deus) quia *multus tecum est populus*. Quamobrem; *Ne glorietur contra me Israel, & ob victoriam se efferat, & re bene gesta superbiat, & dicat: meis viribus liberatus sum*. Vult ergò Dominus ut nonnisi trecenti cum Gedeonis maneāt, & cum his ipsum confligere iubet, & per illos illi victoriam dedit. Imo nec hos necesse fuit arma secum sumere, aut enses stringere, sed solo tubarum quas vna reuelant manu clangore, ruptarumq; testarum complosione, ac lampadum accensarum quas gerebant in altera, splendore, tantum Deus hosti terrorem immisit ac trepidationem, ut in fugam panico furore acti, se invicem proterent & in mutuas cædes ruerent, rati universum orbem armatum tergo suo instare. Nec jam dices tuis te viribus vicisse, Gedeon. Hoc scilicet spectat Deus. Si ergò etiam in temporalibus & humanis rebus, ubi aliquam nostra media ad finem & vires nostræ ad victoriam proportionem habent, nos nihil nobis arrogare vult Deus, sed ut felicem successum belli, ipsamq; victoriam, & secundum negotiorum cursum ipsius potentiæ tribuamus: præterea, si & in naturalibus, nec ille, qui plantat,

1. Reg. 17. 16.

Iudic. 7. 2

nec ille qui rigat, aliquid ſunt; nec hortulanus eſt qui incrementum det herbis, aut fructus in arbore producat, ſed ſolus Deus; quid erit in ſpiritualibus & ſupernaturalibus, in animarum, videlicet, converſione, in profectu illarum in ſpiritu, & virtutum incremento? In quibus promovendis media, vires, & induſtria noſtra tam exilia & inſufficientia ſunt, ut nullam prorſus cum tam ſublimi fine, proportionem habeant? hinc dicit Apoſtolus Paulus: *Itaq; neq; qui plantat, eſt aliquid, neq; qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus!* Deus ſolus eſt, qui incrementum & fructum ſpiritualem dare poteſt; Deus ſolus eſt, qui timorem & pavorem & humanis cordibus incutere: Deus ſolus eſt, qui efficere poteſt ut peccatores horrorem ſcelerum concipiant, & à perditionis via in meliorem redeant: aliud nos huc à parte noſtra afferre non poſſumus, quam ut evangelii ſui tuba ſtrepitum aliquem cieamus; &, ſi quidem vaſa corporum noſtrorum carnalia per mortificationem confringamus, ut luceat lux noſtra per vitam ſanctam & exemplarem, coram hominibus, nõ parum huc contulerimus: hac enim via Deus victoriam dabit? Cui tamen pro ſola ſua Deus Opt. Max. potentia ac benignitate ad glorioſiſſimas victorias ſecundos aperire curſus conſuevit.

1. Cor. 3. 7.

13. Duo hinc documenta eliciamus, quæ magno nobis erunt adminiculo, ad miniſteria noſtra ſumma cum conſolatione ac profectu, tam noſtro, quam proximorum, obeunda. Primum eſt, ut (ſicuti jam docuimus) prorſus nobis diffidentes, omnem in Deo fiduciam reponamus, & omnem operæ fructum, ac felicem negotiorum ſucceſſum, illi ſoli aſſcribamus, monente Chryſoſtomo: *Nolimus igitur extolli, ſed dicamus nos inutiles, ut utiles efficiamur.* Et S. Ambroſio. *Exſpectas multum fructus è proximo, ſerva hanc S. Petri doctrinam: Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei: ſi quis miniſtrat, tanquam ex virtute, quã adminiſtrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus per Ieſum Chriſtum, cui eſt gloria & imperium in ſæcula ſæculorum, Amen.* Is ergò qui loquitur, perſuadeat ſibi, Deum verba hæc labiis ſuis inſtillare; & qui operatur, cogitet Deum per ſe operari, & illi omnium gloriam & laudem attribuat. Nihil autem nobis ipſi ſumamus, nulla re extollamur, nec vanè nobis in eo complaceamus.

Documenta dico, pro cura animarum utiliſſima.

Hom. 38. ad pop. Antioch. tom. 5. Epiſt. 4. ad Demetri. ad. 1. Pet. 4. 11.

14. Alterum quòd edictis elicere debemus, eſt, ut, cum noſtrarum facultatum viriumque tenuitatem, & miſeriam noſtram conſideramus, animo non cadamus, nec deſperemus: qua animi ex celſitate etiam maximè indigemus: Quis enim noſtrûm erit, qui, cùm ſe ad finem & inſtitutum tam arduum omnibuſque naturæ viribus ſuperius (quale eſt, ex vitiorum lacunis, ex hæreſi atque infidelitate animas evocare) vocatum videt, & ex altera parte in ſuarum ad id opũm anguſtias oculos conjicit, animum non deſpondeat? quanta, bone Deus diſſimilitudo, quam iniqua hic proportio! Non quadrat mihi hoc munus & inſtitutum, utpote mortalium omnium ad hoc ineptiſſimo & minus inſtru-

instructissimo. Sed quam hic falleris! Imò propterea ipsum tibi convenit, non poterat initio Moyses credere, se tam arduo muneri, cuiusmodi erat Israeliticum populum è barbarica Pharaonis Ægyptii servitute in libertatem educere, parem esse, ideoque se apud Deum, qui eum istud suscipere jubebat, excusabat: *Quis sum ego, ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Ægypto? obsecro, Domine, mitte, quem missurus es*, nam facultates meæ tanto operi inferiores & impares sunt; *impeditioris enim linguæ sum.* Hoc est, quod ipse volo, inquit Deus; Tu nihil hic ages, *Ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris.* Idem Ieremiæ Prophetæ contigit: Cùm enim ad prædicandum gentibus à Deo mitteretur, mox detrectare cœpit: *A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum, quasi dicat*: Non vides Domine, quia loqui non valeo, quod puer sim, quomodo ergo me ad tam arduam legationē destinas? Imò verò propterea tibi eundum est; falleris, si aliter sentias: hoc scilicet Deus quærit: Imò, si multis amplisque dotibus insignis esses, forsan ad hoc munus te Dominus, non assumeret, ne illis ipse intumescer es, & aliquid tibi arrogares; humiles, & nihil sibi tribuentes Deus seligit, & per tales grandia operari vult.

Exod. 3. 11.

Exod. 4. 13.

Ierem. 1. 6.

Exempla Humilitatis potentis.

15. Cùm Redemptor Iesus (ut narrant Evangelistæ) redeuntibus à prædicatione discipulis, insignem positorum laborum fructum, & miracula, quæ patrarant, vidisset; exultavit in spiritu, & cœpit Patrem cœlestem glorificare, & ei gratias agere, *In ipsa hora exultavit spiritu sancto, & dixit: Confiteor tibi pater, Domine Cœli & terræ, quòd abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis*, & horum opera tam stupenda prodigia patrari vis. *Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* O beatos ergo parvulos, beatos humiles, qui sibi nihil admetiuntur, nihil vendicant! hi enim sunt, quos Deus exaltat, per quos mirabilia facit: hic, ceu instrumentis, utitur ad rara & ingentia operanda, ad numerosas animarum conversiones faciendas, & magnum è proximo fructum colligendum.

Luc. 10. 21.

Matt. 11. 25.

16. Nemo proinde sibi diffidat, nemo animum despondeat. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Noli timere, noli animo cadere, ô minima IESU Societas, quòd te parvulam videas, imò omnium minimam: complacuit enim Patri tuo cœlesti, tuâ operâ & ope animas plurimorum in libertatem asserere, & relicto damnationis statu in viam salutis revocare. *Ego vobis adero, & Romæ propitius ero?* promisit S. P. N. Ignatio Christus, quando ei Romam tendenti de cœlis apparebat: Id est, ego vos adjuvabo, ego inter vos ero: quod miraculum & mirabilis apparitio causa fuit, cur nostræ deinde familiæ nomen Societatis IESU inditum sit; ut scil. intelligamus, non ad Ignatii nos Ordinem & sodalitium, sed ad IESU Societatem, evocatos, certoque nobis persuadeamus, & credamus, Iesum semper nobis auxilio futurum, quemadmodum

Adhortatio ad humilitatē.

Luc. 12. 32.

Lib. 2. vita c. 11.

modum S. Ignatio se ad futurum pollicitus est, & illum nos in ducem & caput habere: proinde non esse nobis in hoc tam arduo animarũ juvandarum negotio & expeditione, ad quam nos Deus vocavit, aut animo cadendum aut præ defatigatione ab ea cessandum.

Caput V.

De primo humilitatis gradu, qui est, se parvi facere, humiliterq; de se sentire.

Ægre agnoscitur humilitas vera. *Alvar. de Paz. tom. 2. l. 4. p. 3. c. 2.*

1. S. Laurentius Iustinianus censet, neminem, quid sit humilitas, rectè scire posse, nisi cui à Deo concessum, ut humilis sit. Quod ipsum scire, admodum difficile est. Nulla certè in re (dicit idem) tam fallitur homo, quàm in cognoscenda vera humilitate.

Non in verbis humiliantis se.

2. An forsan tibi ea videtur in eo consistere quòd dicas: *miser sum, superbus sum*? si in eo versare ut admodum parabilis & acquisitu facilis humilitas esset: jam omnes humiles essemus; omnes enim cùm de nobis loquimur, nos tales aut tales esse fatemur; sed utinã id ex animo diceremus, itaq; verè sentiremus: nec solùm labiorũ tenus, ac ficto respectu id profiteremur.

Nec in habitu officiis ac despectis.

3. Fortè credis, humilitatem *in pannoso & lacero vestitu gerendo, aut in sordidis contemptisq; officiis obeundis consistere*? Nec in eo quidem sita est; Nam & sub vestium illuvie, servitiisque contemptissimis hospitari potest vanitas & magna superbia latere, cùm nimirum quis idcirco haberi & prædicari vult humilis, & cæteris se meliorem humilioremque reputat, quæ, ipsissima est superbia. Fatendum quidem est, exteriorem hunc sui neglectum plurimùm ad veram humilitatem conferre, si eo, prout par est, modo adhibeatur, uti postea dicetur: in eo tamen germana humilitas non est posita: *Multi humilitatis umbram, veritatem pauci sectantur*, ait Hieronymus. Facilè est caput demissum gerere, oculos in terram defigere, submissa voce loqui, sæpiùs suspiria trahere, & ad singula propè verba se miserum & peccatorem nominare: at si tales vel obiter & uno verbulo tetigeris, etiam levissimo, statim videbis, quantum à genuina humilitate absint.

Cap. 21. & seqq.

Epist. 13.

Genuina humilitatis signa.

4. *Auferantur omnia figmenta verborum, cessent simulati gestus*, & exteriora illa hypocritica; VERUM HUMILEM PATIENTIA OSTENDIT. Hæc est, lapis lydius (*dicit S. Hieronymus*) ad quem verum humilitatis aurum exploratur. S. Bernardus sigillatim magis edisserens, in quo virtus hæc posita sit, ita eam definit: *Humilitas est virtus, qua homo verissima sui agnitione*, considerando, scilicet defectus & miseras suas, *sibi ipsi vilescit*. Non consistit ergo virtus hæc in verbis aut exteriorum neglectu, sed in intimo cordis, in abiectissimo de seipso sensu in se vilipendendo, & simul optando, ut & alii te vilipendant, & nullo in numero habeant: & hoc è profunda sui cognitione oriatur.

Tract. de gradib. humilit.

Quot sint Gradus Humilitatis.

5. Quod ut SS. Patres rectiùs & enucleatiùs declarent, plurimos humilitatis gradus enumerant. S. Benedictus (quem Div. Thomas & alii sequun-

[Margin of facing page: ...2. q. 161. ...rt. 6. ...similitudini... ...us, Pro... ...essu 6. religionis c. 12. — Primus humilitatis gradus sui contemptus ex cognitione sui.]

11.q.161. art.6. In simili-tudine mi-nus, Pro-fessu 6. re-ligionis c. 22.

sequuntur) constituit duodecim; S. Anselmus septem, S. Bonaventura verò omnes reducit ad tres: & hunc nos hic sequemur, idque maioris brevitatis causa, atque ut doctrina hæc, ad pauciora reducta præcepta & puncta comprehendatur facilius memoria, ad eam deinde reipsa exequendam.

Primus humili-tatis gra-dus sui contem-ptus ex cognitio-ne sui.

5. Primum humilitatis gradum S. Bonaventura ait esse *seipsum parvi facere, & humiliter de se sentire*: unicum autem & necessarium ad id medium, esse suiipsius cognitionem. Atque hæc duo superior Div. Bernardi definitio complectitur, & proinde nonnisi primum hunc humilitatis gradum comprehendit: juxta quam Humilitas est virtus, qua quis seipsum vilipendit. Vides hic primum; hoc autem fit, teste S. Bernardo, cùm seipsum, propriamque miseriam & defectus verè cognoscit. Atque hæc est ratio cur quidam, nec sine ratione primum humilitatis gradum ponant sui cognitionem. Nos tamen, quia cum S. Bonaventura, omnes humilitatis gradus ad tres reducimus; hinc primum eius gradum constituimus sui contemptum, unicum verò huius gradus obtinendi, planeque necessarium medium esse dicimus suiipsius cognitionem: quoad rei substantiam tamen idem sunt. Nam in eo omnes convenimus, suiipsius cognitionem, esse principium ac fundamentum ad humilitatem parandam, & ad sentiendum de nobis id quod verè sumus. Quomodo enim quempiam æstimes pro ratione meriti ac status, si eum antè non noveris? Id fieri nequit: necesse proinde est ut antè noris, quis sit, & sic eum reputabis & honorabis prout merebitur. Sic primo necesse est, ut te noris, qualis sis, ac deinde te pro ratione meriti æstimes; si enim te reputes, ut reputari mereris, valde humilis eris; quia parvi teipsum facies: at si pluris te facere velis, quam revera sis, in superbiam cades: juxta etymologiam Isidori, dicentis: *superbus dictus est, quia semper vult videri plus, quàm est.*

1. Etymo-logic.

Cur Deo humili-tas grata, superbia invisa.

6. Et hæc inter cæteras est causa, juxta quosdam, cur tantopere Deus humilitatem amet, scilicet, quia veritatis amantissimus est; humilitas autem veritas est, superbia verò ac præsumptio, mendacium est & fraus. Non enim es, quem te esse nosti; nec is, quem te ab aliis haberi vis. Si ergo in veritate & humilitate ambulare velis; habe te pro eo, qui es.

Humili-tas faci-lis est, domi na-scitur.

7. Neque sanè multum videmur à te exigere, cum exigimus, ut talem te habeas, qualis es, nec pluris te facere velis: quia rationi dissonum est, ut quis maiorem se, quàm verè sit, faciat, imò quidam mentis abusus & quidem satis periculosus foret, in seipso decipi credendo se alium, quam revera sit.

(o)

CAPUT VI.

De suiipsius cognitione, quæ radix & unicum ac necessarium medium est ad humilitatem parandam.

Cognoscere se est drachmã quærere.

Alvar. de Paz. to. 2. p. 2. l. 4. c. 1. 2. 3. 4.

Epist. ad Rusticũ.

1. INcipiamus jam effodere & excutere id, quod sumus: hoc est, in nostrarum miseriarum & imbecillitatum & notitiam descendamus, ut sic tandem pretiosissimum hunc thesaurum inveniamus. *Drachma periit* (inquit S. Hieronymus) *& tamen invenitur in stercore.* In vilitatis, peccatorum & miseriarum tuarum stercore inæstimabilem hanc humilitatis margaritam reperies.

Hominis vilitas quoad ipsum corpus quod est modo.

In formula honesta vitæ.

Lib. 8. de contemptu mundi.

2. Incipiamus autem à corporis huius substantia, sitque hæc prima fossio. Consulit ergo S. Bernardus! *ista tria semper in mente habeas, quid fuisti? quid es? quid eris? quid fuisti?* antequàm esses, & genera cæcis, *quia sperma fætidum, quid es? quia vas stercorum. quid eris? quia esca vermium.* En amplissima nobis meditandi & effodiendi materia, & cum Innocentio Papa exclamandi: *O vilis conditionis humanæ indignitas! O indigna vilitatis humanæ conditio! herbas & arbores investiga, illæ de se producunt flores, & frondes & fructus; & tu de te tendes, & pediculos, & lumbricos. Illæ de se effundunt oleum, vinum & balsamum; & tu de te sputum, urinam & stercus. Illæ de se spirant suavitatis odorem; & tu de te reddis abominationem fœtoris:* Quorum vel sola cogitatio, nedum nominatio, nauseam pariat. *Qualis arbor, talis fructus: non enim potest arbor mala, fructus bonos facere.* Meritò ergo, & magna cum proportione SS. Patres humanum corpus, sterquilinio comparant nivibus tecto, quod quidem deforis pulcrum & album apparet, ast, intùs sordibus & in immunditiis repletum est. S. Bernardus ait: *si diligenter consideres, quid per os, oculos aures, & nares, cæterosq́ corporis meatus egrediatur; vilius homine sterquilinium nunquam vidisti,* nec quod plures, aut deteriores sordes excernat. Quàm rectè ergo dixit S. Iob, hominem, pulverem, & vermium seminarium esse: *Putredine dixi: Pater meus es; mater mea & soror mea, vermibus.* eandem ipsi cum putredine cognationem habemus, quam habet cum ea pater: hoc scilicet est homo; putredinis vas scilicet, & saccus vermium. Quid ergo superbimus? *Quid superbit terra & cinis?* Hac saltem ex parte nullam gloriandi habemus materiam, sed magnam nos humiliandi & vilipendendi. Ideoque ait S. Gregorius: *Custos humilitatis, & recordatio propriæ fœtidatis;* sub hoc illa cinere optimè conservatur.

c. 3. medit.

Iob. 17. 14.

Eccli. 10. 9.

Gregor.

Quoad id quod homo fuit olim.

3. Progrediamur nunc paulò altius, & profundiùs effodiamus. attende quid fueris, antequam te Deus crearet; & invenies te nihil fuisse, nec ex non Essendi tenebris te exire potuisse; sed Deum, pro immensa sua bonitate & misericordia, te ex profunda illa abysso extraxisse, inq; creaturarum numerum retulisse, dando tibi verum & reale esse quod habes. Ita ut, quantum à parte nostra est, nihil simus, ac proinde nos pares & æquales ducere debeamus iis, quæ non sunt,

ſunt, & Deo adſcribere eam qua illis præcellamus, eminentiam. Unde Apoſtolus: *ſi quis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cùm nihil ſit, ipſe ſe ſeducit.* Magnæ ſanè hac ex parte ſe offerunt: fodinę, ad eximiæ humilitatis theſauros nobis effodiendos.

Gal. 6. 3.

Quod productus homo aſſiduo eget influxu.

4. In quo & illa occurrit humiliandi materia, quòd jam creati, & eſſentiâ donati, per nos tamen ipſi ſubſiſtere non poſſimus. Nec enim idem nobis contingit, quod domui, quæ poſtquam ab architecto erectæ ſemel eſt, ab eo relicta ſe ipſa ſuſtinet, nec fabri qui eam ædificavit, operâ amplius indiget: Non ſic nobiſcum agitur: at jam conditi non minùs conſervatore Deo in ſingula vitæ momenta egimus, ut eſſe quod dedit, non amittamus; quàm, cùm nihil eſſemus, ejuſdem beneficio eguimus, ut eſſentiam nanciſceremur. Ipſe eſt, qui nos potente dextera ſua ſemper ſuſtinet & conſervat, ne in profundam nihili abyſſum, unde ipſe nos eduxit, recidamus. Ideò canit Pſaltes: *Tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam.* Hæc manus tua, quam ſuper me poſuiſti, me ſuſtentat & conſervat, ne recedam in id nihilum, quod antè fui. Atque adeò ſemper ab hac Dei conſervatione ac ſuſtentatione dependemus, ut ea, vel ad momentum deficiente, ac Deo manum retrahente; protinus eodem temporis puncto ipſi deficeremus, & in prius noſtrum nihilum rediremus, perinde ac ſole ſe ſubtrahente, lumen terræ ſubtrahitur. Hinc illud Iſaiæ: *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputati ſunt ei.*

Pſ. 138. 5.

Iſa. 40. 17.

Practica ſui cognitione opus eſt.

5. Atque hoc illud eſt, quod omnibus nobis nullo non tempore in ore eſt, nihil nos eſſe: ſed hæc, credo, ſolum labiorum confeſſio eſt, nec an quod dicimus ſatis intelligamus, ſcio. Faxit Deus id intelligamus aliquando & ſentiamus, ut intellexit & ſenſit id Propheta cùm diceret. *Et ſubſtantia mea tanquam nihilum ante te.* Id eſt, Nihil ſanè ex parte mea ſum Domine: nam prius nihil eram, & id eſſe quod habeo, non à me habeo, ſed quia tu mihi illud dediſti, & id tibi velut authori tribuere debeo; nec inde aliquam ſuperbiendi aut gloriandi occaſionem habeo, nihil enim ad id ipſe contuli: Tu illud, eſſe meum jugiter conſervas, meque aſſiduo ſuſtentans, & vires ad operandum ſuggeris. Omne eſſe, omne poſſe, omnis ad operandum facultas à manu tua nobis venire debet, quia ex nobis ipſi nihil poſſumus, nihil valemus, eò quod nihil ſumus. Quid ergo habemus, unde gloriari poſſimus? An forſan de nihilo? paulò antè diximus, *quid ſuperbis terra & cinis?* nunc dicere poſſumus, quid ſuperbis, cùm ſis nihil? quod & pulvere & cinere minus eſt. Quam, quæſo, inſoleſcendi, efferendi ſe altiùs, & ſe aliquid eſſe æſtimandi cauſam & occaſionem habet Nihil? nullam ſanè.

Pſ. 38. 6.

Caput VII.

De quodam magni ponderis medio, quoad se cognoscendum, & humilitatem acquirendam, quis juvetur, ipsa scilicet peccatorum commissorum consideratione.

Peccatorum cōmissorū consideratio nobis humiliandi & occasio.

1. PRogrediamur adhuc ulterius, & in propriæ cognitionis fossa profundius effodiamus. Profundiusne adhuc fodi potest? an quid nihilo profundius? Est, & quidem multò. Quid istud? peccatum tuum, quod nihilo addidisti. O quàm profundum hoc! imò nihilo tuo multo profundius est? Pejus enim est peccatum, quàm non esse; & præstaret non esse, quàm peccasse: quod Christus Servator noster de Juda, quòd illum traditurus esset; disertè asserit: *Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.* Nullus est locus profundus, tam remotus, & in Dei oculis contemptus inter omnia, & quæ sunt & non sunt, quàm homo qui est in mortalis peccati statu, cœlesti hæreditate exclusus, Dei inimicus, æternas inferorum pœnas promeritus. Et quamvis in præsens per Dei gratiam, mortalis peccati conscius tibi non sis, tamen, sicuti, ad nihil nostrum cognoscendum, monuimus, in memoriam revocandum id tempus, quo non eramus: sic etiam, ut pleniùs & perfectius vilitatem & miseriam nostram cognoscamus, in memoriam id revocandum tempus est, quo in peccato fuimus. Considera ergo, quàm miseræ conditionis & misero in statu fueris, tum, cum in Dei conspectu eras deformis, displicens, hostis ejus, filius iræ, æternorum suppliciorum reus; & hinc te contemne & quàm poteris profundissimè te demitte, idque per otium. Et certò ubi persuadere potes, quòd, quantumlibet te spernas & humilies, ad eam vilipendii abyssum pervenire poteris, quam meretur ille, qui infinitum illud bonum (quod Deus est) offendit. Fundum res hæc non habet, abyssus profundissima & infinita est: quia donec in cœlo facie ad faciem perspexerimus quàm bonus sit Deus, perfectè ac planè cognoscere non possumus, quantum malum peccatum sit, quod in Deum admittitur, & quanto sit ille dignus supplicio, qui illud committit.

Mat. 26. 24.

cap. præced.

Ps. 118. 67.

Quàm salutaris sit cognitio suorum peccatorum.

2. O, si in hac consideratione serii essemus, & in hac criminum & scelerum fodina profundè foderemus; quàm humiles essemus, quàm parvi nos faceremus, quam libenter vilipendi, contemni, & contemptim de nobis sentiri vellemus. Qui Deum prodidit, quem sui contemptum vicissim, illius amore, non amplectetur? Qui Deum concupiscentia carnali appetitu, & momentaneâ oblectatiuncula, velut commutatione mutua facta vendidit; qui Deum creatorem ac Dominum suum offendit peccatis, & propterea inextinguibilibus orci flammis meruit addici, quas non ille infamias, injurias & contumelias æquo animo tolerabit, ut pro flagitiis satisfaciat, damnaque & injuriam hac ratione compenset; quam divinæ Majestati

Iuvat humilitatem quod nescim' quomodo cum Deo stamus. Eccl. 9. 1. Cor. 4. 4.

1. Cor. 1 2.

Psal. 118. 67.

jestati intulit? *Priusquam humiliarer, ego deliqui: propterea eloquium tuum custodivi:* dicebat pœnitens David. Id est, antequam pœna adesset, quâ me Deus humiliat & affligit, jam tum erraveram, jam deliqueram, ideoque sileo, & queri non audeo, quia quidquid patior longè inferius est & minus quam culpæ meæ commereantur, nec me Dominus, ut merebar, mulctavit. Quidquid enim in hac vita pati possumus, nihil est, si cum eo, quod unum tantùm peccatum à nobis patratum meretur, conferatur. An non ille tibi videtur meruisse, ut à toto mundo irrideatur & contemnatur, qui Deum irrisit & despexit? Annon æquum tibi videtur, ut ille flocci fiat, ac nullo in numero sit, qui Deum in nullo habuit? Nonne tibi videtur voluntas illa, quæ ausa fuit creatorem suum offendere, digna, ut post hac nulla omnino in re ipsius appetitui ac desiderio satisfiat, in magnæ ipsius temeritatis pœnam?

Iuvat humilitatem quod nescim⁹ quomodo cum Deo stamus. Eccl. 9. 1. 1. Cor. 4. 4.

3. Habet & hæc consideratio hoc particulare, quòd licet in Dei misericordia confidere possimus, eum peccata nobis nostra jam remisisse; tamen ejus rei certi non simus. *Nescit homo, utrùm amore, an odio dignus sit,* ait Sapiens. Et S. Paulus: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum:* Et væ mihi, si non fuero; parum enim mihi proderit, si religiosus sim, & alios ad Deum traducam: *Si linguis hominum loquar, & Angelorum; Etsi habuero prophetiam, & noverim omnia mysteria, & omnem scientiam, etsi distribuero in cibos pauperũ omnes facultates meas*; &, si totum mundum convertero; *charitatem autem non habeam, nihil sum, nihil mihi prodest.* Væ tibi, si charitatem, & Dei gratiam non habeas: quia nihil es, & minùs quam nihil. Acer sanè stimulus & medium ad se humiliandum, humiliter semper de se sentiendum & parvi se faciendum, est ut quis sciat utrum in gratiæ, an peccati statu vivat. Certò scio, me Deum offendisse, sed nescio, an mihi pecatum Deus remiserit: quis ergo caput levare audeat? quis confusus & in terram usque humiliatus non incedat? Hinc ait S. Gregorius: *Nobis abscondit Deus gratiam, ut unam gratiam certam habeamus scilicet humilitatem.* Licet verò formido ac incertitudo, in qua nos Deus reliquit, qua scilicet certò non sciamus, ejusne amici, an hostes simus, permolesta videatur, tamen est hoc quoddam gratiæ & misericordiæ ejus munus, quod nobis id valdè conducibile sit, ad humilitatem patrandam conservandamque & ad neminem quantumlibet multa cõmiserit peccata, dispiciendum: Ah, dices, ille quamvis plura me scelera designarit, jam eorũ venia impetrata justificatus est, & in Dei gratia vivit; ast ego an in ea sim, nescio. Hoc porrò nobis calcar esto ad benè operandum, segnitiem omnem excutiendam, sed in perpetuo timore & humilitate coram Deo ambulandum, & ad assiduis & constantibus precibus veniam ab eo & misericordiam petendã, ut suadet Sapiens: *Beatus homo, qui semper est pavidus.* Et *De propiciatio peccato noli esse sine metu.*

1. Cor. 13. 1.

Gregor.

Prov. 28. 14.

Eccl. 5. 5.

Hæc præteritorum peccatorum consideratio efficacissimum est medium ad nos parvi faciendos, semper humiliter de nobis sentiendum, ei subtus terram nos abscondendos: ut certè admodum, profundè hac in fossa penetrare possumus.

Etiam originalis peccati mala.

4. Iam, si attentè etiam consideremus, effectus & damna per peccatum originale in nobis produxit, quam copiosam uberemque humiliandi & contemnendi materiam reperiemus! Quantopere per peccatum ipsa natura vitiata vulnerata sit, vel patet inde; quod sicut saxum pondere suo inclinatur ut deorsum labatur sic per peccati originalis infectionem & correptionem vivacissima quadam inclinatione in carnales voluptates, honores, & commoda propendemus, ad cuncta, quæ ad nos spectant, quam maximè vivimus, & contrà in spiritualium ac divinorum tractione, admodum mortui sumus. in nobis imperat quod parêre æquum erat, & paret, quod imperare debebat; denique eò miseriarum peripsum devenimus, ut sub corpore humano & vultu erecto brutalia tegamus desideria, & corda nostra ad terram usque incurventur. *Pravum est cor omnium & inscrutabile, quis cognoscet illud?* Quis malitiam cordis humanæ mentis pervideat? Quantò hunc parietem magis perfodies, tanto maiores abominationes invenies, ut in figura Ezechieli ostensum fuit. Iam si culpas nostras præsentes recogitare velimus, nos iis scatere reperiemus; hoc enim ferè est, quod à nobis ipsi metimus. Quam præcipites sumus in lingua, quam in cordis custodia negligentes? quàm in bono proposito instabiles? quàm propriorum commodorum & deliciarum appetentes, quam appetitu nostro satisfaciendi cupidi? quam amoris, voluntatis & judicii proprii pleni? quam vivæ etiam in nobis sunt passiones? quam integræ & vegetæ pravæ inclinationes? & quam ab illis facile nos abripi sinimus? Verissimè ait S. Gregor. in illa verba Iob: *Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam*: jurè & rectè hominem folio conferri. Vt enim hoc omni vento quatitur & agitatur, sic & homo tentationum turbine raptatur atque immutatur: jam turbatur ab ira, jam ab inani gloriâ, aliàs eum rapit appetitus auri, aliàs honor & ambitio, alias luxuria: modò eum sustolit superbia, modò deprimit acedia; modò timore inordinato ventilatur. Vnde impletur in nobis illud Isaiæ: *Cecidimus quasi folium universi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.* Vt enim folia à ventis raptantur, iisque sunt ludibria, sic nos à tentationibus agitamur & concutimur. nulla in nobis est cōstantia, nulla stabilitas in virtute ac bonis propositis. Multam proinde nos humiliandi & confundendi materiam habemus, non modò si conditionem miseram & peccata nostra inspexerimus, sed &, si opera, quæ nobis recta videntur, examinemus: nam si ea accuratè consideremus & excutiamus, insignem sanè & uberem nos humiliandi materiam & occasionem invenientes, ob plurimos defectus

Ier. 17. 9.

Ezech. 8. 8.

l. 11. Moral. c. 14.

Iob. 13. 25.

Isa. 64. 6.

defectus & imperfectiones, quibus illa vitiamus, juxta illud eiusdem Prophetæ: *Facti sumus, ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ.* De quo alibi pluribus agimus, unde necesse non erit ampliùs de eo hic loqui.

1.p. tract. 3. cap. 6.

Caput VIII.

Quo modo nos in propria cognitione exercere debeamus, ne animo cadamus, aut diffidamus.

Alvar. de Paz. loco sup. cit. c. 14. tom. 2.

Propriæ miseriæ cognitio non debet nos reddere pusillanimos.

1. Vsque adeò calamitosa conditione sumus, tantaque in nobis reperimus, quæ nos ad humiliationem nostri provocent, ut videamur potiùs opus habere adminiculis quæ animum nobis addant, nosque erigant nequando desperemus aut diffidamus, videndo tot nos habere vitia & imperfectiones, quam quibus ad nostri cognitionem excitemur. Idque tam certum est, ut Sancti Patres, & spiritualis vitæ magistri doceant, eatenus & taliter nos in miseriæ ac fragilitatis nostræ notitia fodere debere, ut tamen ibi non subsistamus, ne in pusillanimitatem aut desperationem quamdam anima præcipitet, videns se tam miseram, & in bono proposito tam instabilem; sed ulterius inde ad Divinæ bonitatis cognitionem progrediamur, & in eam omnem nostram fiduciam conjiciamus; uti Apostolus monet, non tantam esse debere eius, qui peccavit, tristitiam, ut causa fit in eo pusillanimitatis ac desperationis: *Ne fortè abundantiori tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est*: sed moderatam, & magna spe veniæ consequendæ mixtam, ob oculos ponendo immensam Dei misericordiam, non autem in sola peccati eiusque gravitatis ac turpitudinis consideratione sistendo.

2. Cor. 2. 7

Temperanda est sui cognitio cū Dei misericordia.

2. Docent prætereà, nec in sola miseriæ & fragilitatis nostræ cognitione nobis sistendum esse, ne similiter abjecto animo & diffidentes desperemus; sed sic in nostri ipsorum cognitionis fodina nos fodere debere, ut, nobis ipsis diffisi (videntes nimirum nihil nos à parte nostra habere cui firmiter innitamur, & quod nos consolidet) protinus oculos nostros ad Dei omnipotentiam attollamus, eique confidamus: sic enim fiet, ut non solùm animum non simus abjecturi verùm etiam amplius corroborandi & incitandi simus. Quod enim tuæ respectu fragilitatis, facit ad animum dejiciendum, idem facit respectu Dei, ad confirmandum: & quo ipse pleniùs imbecillitatem tuā cognosces, & magis tibi ipsi diffides, tanto ad omnia exsuperanda fortior, robustior, & excitatior redderis, Deum intuendo, & nitendo, omnesque spes tuas & fiduciam in illo collocando.

Ab illa ad Dei misericordiam considerandam ascendere debemus, alternatim ne ex illa desperemus, ab

3. Idcirco notant hoc loco SS. Patres rem magni sanè momenti. Sic ut in nostræ miseriæ conditionis & infirmitatis cognitione sistendum nobis non est, ne in diffidentiam & desperationem aliquam labamur; sed ulteriùs ad bonitatis, misericordiæ & liberalitatis divinæ considerationem progredi, in eumque omnem nostram fiduciam conjicere debemus:

hac elevemur.

mus; ita neque hîc diutiùs nobis morandum esse, sed statim versus oculos ad nosmetipsos & fragilitatem nostram retorquendos. si enim in sola bonitatis, miserationis, & liberalitatis divinæ cognitione hæserimus, itaque nostri ipsorum & quid ipsi simus obliti fuerimus, præsentissimo præsumptionis & superbiæ discrimini nos exponemus: Etenim sic nimia de nobis ipsis fiducia subreperet, nimium nobis omni in re præfideremus, nec ea cum circumspectione & timore, qua opus est, ambularemus; idquod certissimum præcipitium est, nec non radix & principium magnarum & horribilium minarum. Quam multi viri admodum spirituales, & qui ad cœlos usque per orationis ac contemplationis exercitium evolare videbantur, hoc è scopulo præcipitarunt? Quot, verè sancti, & illustres Sancti, ideo turpiter & miserè ceciderunt, quod sui obliviscerentur, & favoribus à Deo receptis nimirum considerent. Nimis erant videlicet securi nimium sibi videbant, quasi nullum sibi imminere posset periculum: atque hæc miserandæ & deplorandæ ruinæ causa fuit.

Exempla tragica secuta', ubi ista alternatio est neglecta.

4. Quorum lapsuum plenæ sunt omnes historiæ. Enormis illius lapsus quo rex David in adulterium & homicidium fœde prolapsus est, causam fuisse ait S. Basil. quandam præsumptionem eius, quam concepit tum, cùm semel solatiis divinis cumulatissimæ perfusus dicere ausus fuit: *Ego dixi in abundantia mea, Non movebor in æternum.* Sed paululum exspecta, subtrahet Deus parumper manum, & hi favores & oblectationes extraordinariæ exarescent, ac videbis, quid fiet: *Avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Deus in tua te paupertate deseret, tibi teipsum relinquet: & malo tuo disces, postquam jam cecideris, quod antè scire noluisti, quando te suo Deus favore prosequebatur & visitabat. Eidem immodicæ confidentiæ adscribit idem Doctor, Petri Apostoli lapsum & Magistri sui abjurationem, quod nimirum audacter & præsumptuosè nimis de se hic dixisset: *Etiam si oportuerit me mori tecum; non te negabo; &, si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.* Ideo scil. permittente Deo, corruit, ut se humiliare, & nosse, disceret.

Ps. 29. 7.

hom. 22. de humilit. & in regulis breviorib. resp. 81. Matt. 26. 35.

Alternatio hæc illustratur scala Iacobi.

5. Nunquam oculi à nobis ipsis declinandi, neque interim dum hic vivimus umquam de plena securitate nobis adulandum nec ulli paci fidendum; sed, cogitando identidem, quid simus, perpetuo in timore, & magnarum circumspectione & cautela nobis vivendum, ne inimicus ille, quem insidiantem ubiq; patimur, aliquam proditionem moliatur, & offendiculum ponat, quo nos ad lapsum pertrahat, sicut ergo in miseriæ ac fragilitatis nostræ consideratione hærendum nobis non est, sed quam proximum ad Divinæ misericordiæ considerationem, progrediendum: sic nec in Dei, eiusque misericordiæ ac benignitatis cognitione manendum, sed statim ad nos ipsos oculi denuo retroflectendi. Hæc est scala Iacob, quæ ima sui parte terræ cognitionis nostræ infixa est, & alterâ

Gen. 28. 12

alterâ cœli fastigium contingit. Hac tibi ascendendum & descendendum est uti per eam ascendebant & descendebant Angeli. Ascende ad divinæ bonitatis ac misericordiæ cognitionem, nec ibi tamen siste, ne præsumptio tibi oboriatur; sed hinc descende ad tui cognitionem: at nec ibi commoreris, ne factus pusillanimis desperes sed inde rursus ad Dei cognitionem ascende, ut in eum tuā fiduciam conjicias. Per hanc ergo scalam identidem ascendendum ac descendendum.

c.67. dial. suor.

Exemplū bene alternantis considerationem sui & Dei.

6. Taliter hoc exercitio utebatur S. Catharina Senensis, ut à diversis se Satanæ ludibriis ac tentationibus expediret, ut suis ipsa in dialogis refert. Nam cum eam Dæmon ad pusillanimitatem & confusionem propriam impelleret, persuadere illi volens, totam eius vitam meram fuisse illusionem, illa statim sursum mentem elibrans de Divina misericordia planè confidebat, cum humilitate dicens: *Confiteor Creatori meo omnem meam vitam meras tenebras fuisse; sed ipsa me intra vulnera Iesu Christi crucifixi abscondam, illius sanguine me abluam, detersisq; jam iniquitatibus meis, gaudebo in Domino ac Creatore meo. Lavabis me & super nivem dealbabor:* Cacodæmoni verò contrariam pertentationem eam ad superbiam impellenti, suggerentique: Iam perfecta es, ac Deo grata, nec est ut posthac ut te amplius affligas, defectusque tuos jugibus lachrymis expiès; sancta Virgo sese humilians, respondebat: *Hei miseræ mihi! Ipse Domini præcursor Ioannes nunquam peccavit, & in ipso matris utero fuit sanctificatus non ideo tamen minùs vitam austeram duxit: Ego verò tot scelera commisi, nec umquam ea deflevi, ut debebam agnovi.* Cacodæmon ergo tantam ex una parte humilitatem, ex altera tantam in Deo fiduciam non ferens, illi ait: *Maledicta sis ut & ille, qui te hæc docuit; nescio enim qua posthac parte te aggrediar: si enim hinc te confusione tui dejicio, illinc ad misericordiam Dei te sustollis; sic ex adverso te sustollo, tu vicissim per humilitatem adusque infernum te dejicis, quin & in ipso inferno me persequeris & crucias.* Ideo illam dimittebat, sua eam quiete frui sinens, quod nonnisi ingenti cum damno suo ad eam rediret. Hoc ergo modo isthoc nos exercitio uti oportet? erimusque ex una parte pavidi & restricti, ex altera fortes & animosi; timidi quo ad nos ipsos, fortes & læti in Deo. Hæ duæ illæ lectiones sunt, quas Deus quotidie (ait Thomas de Kempis) electis suis prælegit; prior est ut videant defectus proprios; posterior, ut Dei bonitatem considerent, qui eos tanto amore ipsis ignoscit & aufert.

Psa.50.9.

Caput IX.

De magnis bonis, quæ in cognitionis sui exercitio reperiuntur.

Alvar. de Paz. tom. 2. l. 4. p. 3. c. 3.

Fructus r. cognitionis propriæ.

1. VT verò maiore in hoc nostri cognoscendi exercitium cō tentione & ardore incumbamus, nō nulla cōmoda, fructusq;, quæ eo cō tinentur, visum fuit recensere. Quorum certè præcipuum jam suprà satis mihi videor exposuisse, cap. 6. & planè

planè edocuisse, hanc nostri cognitionem fundamentum esse humilitatis ac radicem, unicumque ac necessarium medium ejusdem parandæ ac conservandæ. Rogatus quidam de priscis illis Patribus, qua ratione veram quis sibi humilitatem parare posset; respondit: *Si sua tantum modò, & non alterius mala consideret: si oculos avertat ab alienis, & in suos dumtaxat defectus eos conjiciat.* Vel hoc solùm sufficiebat, ad nos hinc exercitio totos impendendos, cùm tanti nostra referat, virtutem humilitatis adipisci.

Vit. Patr. l. 2. fol. 365.

Ad max. notitiam Dei, ducit sui cognitio.

2. Vlteriùs tamen SS. Patres progrediuntur, ac docent humilem sui cognitionem, certiorem esse ad Deum cognoscendum viam, quàm profundum reliquarum scientiarum exercitium. Atque hæc est ratio, cur S. Bernardus hanc scientiam ceteris sublimiorem atque utiliorem esse asserat, quod per hanc ipsam homo ad Dei cognitionem pertingat. Id quod S. Bonavent. repræsentari tacitè putat in curatione illa mystica quam Christus Dominus in cœco nato peregit, utpote cui per lutum oculis deforis impositum visum corporalem dedit, quo se videret; & simul spiritualem, quo Deum cognosceret atque adoraret. *Sic Dominus*, inquit, *cæcos nos natos, per nostri & Dei ignorantiam, illuminat; lutum, unde nati sumus, liniendo super oculos nostros, ut primum incipiamus nos ipsos agnoscere, esse videlicet nos nonnisi pauxillum luti, deinde ipsum illuminatorem nostrum credendo, proni adorare.* Idem sancta Mater nostra Ecclesia sacra illa ceremonia spectat, qua initio jejunii quadragesimalis utitur, dum lutum nobis velut ante ponit, dicens: *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Vt nimirum se cognoscens, cognoscat simul & Deum, doleatque se illum offendisse, ac de commissis pœnitentiam agat. Itaque seipsum videre & nosse, ac lutum suum, miseramque suam conditionem ac vilitatem considerare, optimum est ad Dei Opt. Max. notitiam perveniendi medium. Et quò suam quis vilitatem perfectiùs agnoverit, hoc perfectiùs Dei magnitudinem atque altitudinem perspiciet, *opposita enim & extrema juxta se posita, magis elucescunt*: sic album nigro superpositum fundo micat & nitet pulchrius.

Process. 5. relig. c. 18.

Inflammas amore divino.

3. Cùm ergo homo ima sit abjectio, Deus verò altissima altitudo, duo sunt extremè contraria: atque inde fit, ut, quo se quispiam magis ac perfectius agnoverit, videndo se nihil boni ex se habere, præterquam nihilum suum & peccata; clariùs bonitatem, liberalitatem ac misericordiam divinam videre incipiat, qui tantam vilitatem, qualis est hæc nostra, amare, & familiariter cum ea agere non dedignatur. Hinc jam anima vehementer amore Dei accenditur & inflammatur. Satis enim mirari non potest, nec dignas Deo grátias putat rependere posse, quod, tametsi homo tam miser ac perversus sit, clementissimus tamen Deus eum toleret, & tot indies beneficiis immerentem cumulet; adeò ut nec ipsi nos quandoque tolerare possimus, & quòd

quòd tanta Domini erga nos sit bonitas ac misericordia, ut non solùm nos sustineat ac tolleret, sed & dicat: *Deliciæ meæ, esse cum filiis hominum.* Quid, ô indulgentissime Domine, in filiis hominum invenisti, ut tuas esse dicas delicias, cum iis esse & conversari?

Prov. 8. 31.

4. Hæc nimirum causa est, cur hoc sui cognitionis exercitium tam fuerit sanctis familiare, ut scilicet per hoc ad majorem Dei cognitionem, ardentioremque divinæ Majestatis, ejus amorem pervenirent! Hoc quoque erat exercitium & oratio quo D. Augustinus utebatur: *Deus semper idem, & qui nunquam mutaris, noverim me, noverim te.* Hæc quoque erat humilis S. Francisci oratio cui subinde noctes diesq; integras repetendo impendebat: *Domine quis es tu? & quis ego?* Hac item via sancti ad altissimam quamdã divinitatis cognitionem pertigerunt. Hæc omnium certissima securissimaq; eodem conducens est via: & certè quo altiùs & profundiùs in tui cognitionem descenderis, tantò in cognitione Dei, ejusque bonitatis atque infinitæ misericordiæ altiùs ascendes, & cresces; & quo vicissim plus ascenderis & creveris in cognitione Dei, hac plus in cognitione tui descendes ac proficies.

Cur SS. magni fecerint Nosse se ipsum.

l. de vita bona.

Inflammas amore divino.

5. Lumen enim cœleste omnes angulos patefacit ac detegit, & animam etiam pudere facit eorum quæ lippientis mundi oculis optima videntur. Hoc S. Bonaventura simili id declarat: Sicut radiis solaribus cubiculum collustrantibus etiam minimi apparent atomi: *Sic & cor radiis divinæ gratiæ & cognitionis Dei, qui verus justitiæ sol est, illustratum, etiam minima in sese errata videt:* ideoque id malum & imperfectum judicat, quod alter, qui tantam lucem non habet, integerrimum & perfectum esse ducit. Hæc quoque causa est, cur sancti viri tam sint humiles, & in oculis suis tam parvi: qui quo sanctiores, eo sunt humiliores, seque minoris faciunt. Quod enim copiosiore cœlitùs luce, & pleniore Dei cognitione donati sunt, hoc se ipsi perfectiùs cognoscunt, ac vident se & agro suo & se nil nisi nihilum & peccata habere. Et quantumvis exactè se ipsi cognoscant, & quantumlibet multos in se nævos deprehendant; semper tamen suspicantur, alios plures latere quos ipsi non videant, ac putant eos quos vident nonnisi minimam erratorum suorum partem esse, atque hic eorum de se sensus est & judicium. Sicut enim credunt, Deum perfectiorem esse, quam ipsi norint; ita quoque sibi persuadent, deteriores se esse, quam adsequi sua ipsi notitia possint. Ac sicuti, quantumcumque Deum cognoscamus & intelligamus, eum tamen comprehendere non possumus, sed semper in eo plura & plura usque & usque intelligenda & cognoscenda supersunt: consimili modo quantumlibet nos ipsi perspexerimus, deprimamus & humiliemus; numquam tamen ad fundum vilitatis ac defectuũ nostrorum penetrare aut pertingere poterimus. Neque verò id per hyperbolem quis dictum putet cum sit ipsissima veri-

Differẽtia inter lumen divinum & humanum.

Bonavent.

tas. Cùm enim homo ex se nihil nisi nihilum & peccata habeat; quis usque eò se humiliare & abjicere poterit, quantum duo hi tituli merentur?

Exempla illuminatorum lumine cœlesti.

6. Sanctam quandam Virginem legimus, petito à Deo lumine, ad perfectè semetipsam cognoscendã, tantam in se fœditatem & miseriam perspexisse, ut eam ferre non posset; unde Deum denuò rogavit, ut hanc sibi cognitionem parciùs largiretur, aut imminueret, alioqui se animo penitus defecturam. Refert Pater magister Avila, se hominem novisse, qui sæpiùs Deum rogaverat, ut sibi monstraret quis, qualisque esset. Aperuit huic Deus paululùm oculos; quod magno ipsi stetit: adeò enim se informem & abominabilem conspexit, ut magna voce exclamarit: *Tolle, obsecro Domine, permagnam miserationem tuam, speculum hoc ocyus ex oculis meis; figuram mei ulteriùs videre nolo.*

Tract. 5. de spir. sanct. pag. 104.

Cognitio sui ipsi parit odiũ sui.

7. Denique ex hac sui cognitione oritur in Dei servis sanctum illud sui odium & horror, de quo suprà dictum: quo enim pleniùs & abundantius immensam Dei clementiam agnoscunt, hoc se infestiùs oderunt, tanquam adversarios & juratos Dei inimicos; quo sensu dicebat Job, *Quare me posuisti contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi gravis!* deprehendunt se intra se omnium malorum radicem habere, propriam videlicet voluntatem ac sensualitatem, unde omnia peccata dimanant: quapropter per hanc cognitionem contra se ipsos odio implacabili consurgunt, seque detestantur. Quid enim? annon tibi æquum videatur, odio capitali prosequi eum, qui te tantum bonum, quantum Deus est, cùm exigua ac brevi voluptatula coegit commutare? an non fas esse tibi videatur odisse eum, qui te fecit æterna gloria excidere, & æterna inferorum supplicia promereri? Num is tibi omni odio & honore dignus videatur, qui tantum tibi malum intulit, & etiamnum inferre procurat? Hic autem tu ipse es, tu, ille adversarius & hostis Dei, tu ille juratissimus proprii boni ac salutis tuæ inimicus & proditor.

Tract. 1. c. 4.

Iob. 7. 20.

Caput X.

Suiipsius cognitio non pusillanimitatem, sed potiùs fortitudinem & vigorem causatur.

Christiana cognitio sui magnanimos efficit & magna efficientes.

1. Continetur & aliud magnum in hac sui cognitione bonum, nimirum, quòd non modò nulla ex ea pusillanimitas aut animi dejectio sequatur (ut videri fortè quibusdam possit) sed magnos potiùs ad omne bonum animos ac robur addat cujus rei ratio est, quòd cùm quis se ipsum perspectum habet, nihil se habere deprehendit cui tutò invitatur, hinc sibi ipsi diffidens, omnem fiduciam in Deo collocat, in quo se ad omnia fortem & valentem invenit. Hinc qui eò pervenerunt, sunt qui ardua & generosa aggredi audent, & feliciter ad exitum deducunt. Nam quoniam Deo attribuunt omnia, nihil sibi hinc; Deus manum operi admovet, negotium facit suum,

Alvar. to. 2. l. 4. p. 1. c. 11.

suum, illud in se recipit, ac tum magna mirandaque opera, per infirma ac debilia instrumenta vult exequi; *ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* In debilioribus vasis solet Dominus fortitudinis suæ thesauros recondere; nam sic magis ipsius virtus elucescit. Atque hoc est, quod Paulo tentationum vi quasi obruto, & opem cœlitùs inclamanti Deus respondit: *Sufficit tibi gratia mea: Nam virtus in infirmitate perficitur.* Cum enim tentationes sunt vehementiores, & debilitas & infirmitas major, tunc divina virtus se perfectiorem & valentiorem ostendit.

Rom.9.13

2.Cor. 12.9.

Declaratur, simili quo sui diffidentia addit robur.

Christiana cognitio sui magnanimos efficit & magna efficientes. Alvar. to.2.l.4. p.1.c.11.

2. Quemadmodum medicus tunc plus honoris refert & gloriæ, quo morbus & intensior & periculosior: sic quanto major in nobis erit debilitas, tanto Dei brachio illustrior laus accedet. Sic porrò locum hunc declarant SS. Augustinus & Ambrosius. Quamobrem cùm quis seipsum cognoscit, sibiq́ue diffidit, & ex adverso omnem suam fiduciam in solo constituit Deo, tunc Majestas illius succurrit, & opitulatur. Contrà verò, cùm quis sibi suisque mediis atque industriæ confidit, desertum se ac derelictum reperit.

li.de Trin.c.1. in 2. Cor. 12.

S.Basil. Cur sæpe in festis majorib. minus devotos nos sentiamus.

3. Unde notat S. Basilius, hoc ut plurimum in causa esse, cur sæpè in magnis & illustribus festivitatibus, quando melius devotioni vacare, & orationi ferventiùs intendere volumus & speramus, minùs ea pro voto succedat: quod nimirum nostris ipsi mediis, diligentiis ac præparationibus plus æquo nitebamur. Aliàs verò, cùm minùs id cogitamus, maximis dulcedinis benedictionibus prævenimur, ut noverimus nimium, id à nuda Domini gratia & misericordia proficisci, non nostræ diligentiæ aut meritis adscribendum esse. Quare, suiipsius & propriæ infirmitatis ac miseriæ cognitio non facit hominem aut animo cadere, aut desperare, sed animat magis & corroborat: facit enim eum sibi diffidere, & ex adverso omnem fiduciam suam in Deo collocare. Hoc quoque significat Apostolus, cùm dixit, *Cùm infirmor, tunc potens sum:* id est, ut id explicant SS. Augustinus & Ambrosius: cùm, me dejicio & humilio, & nihil me posse aut valere agnosco, tunc sursum evehor & exaltor: & quo infirmitatem & debilitatem meam magis agnosco & perspicio, eo, oculis in Deum conjectis, fortiorem & valentiorem ad omnia me esse deprehendo: Ipse quippe omnis fiduciæ & fortitudo mea est. Unde Jeremias, *Et eris Dominus fiducia ejus.*

2.Cor. 12.10. lib.de Trinit. Ambr. in 2 ad Corinth. 12.

Ier.17.7.

Falsa humilitas pusillanimitatem non veragignit.

4. Hinc ad oculum patebit, non esse humilitatem, nec ex humilitate nasci illud desperationis & pusillanimitatis genus, quòd nobis subinde circa profectum nostrum suboriri solet, dum nimirum nobis videmur, numquam aut ad virtutis alicujus perfectionem posse pervenire, aut malam naturam inclinationemque, quam habemus, evincere. Aliàs circa officia ac ministeria, quibus nos superior aut jam de facto applicat, aut postea applicare potest: dubitantib. nimirum nobis, an ad confessiones

audiendas, an ad missiones obeundas, aut ad alia applicandi simus. Hoc quidem humilitas esse videtur, at sæpè numero non est: sed potiùs è superbia quadam provenit: quòd homo ita seipsum intueatur, tamquam si viribus, industria, ac diligentia sua id possit perficere, cùm Deum potiùs respicere debeat, in quo solo valentes & potentes esse debemus. Vnde Psalmographus: *Dominus illuminatio mea, & salus mea quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidiabo? si consistant adversum me castra, non timebit cor meum: si exurgat adversus me prælium, in hoc ego sperabo.* Et, *si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Quanta verborum diversitate & phrasis varietate, unam & eamdem rem sanctus Propheta explicat, uti & in reliquis Psalmis! ut scilicet affectus & fiduciæ, quam is in Deo habebat, & nos habere debemus, abundantiam exprimeret. *In Deo meo*, aut alio loco, *transgrediar murum*, quantumlibet altus ille sit: duce illo nihil mihi objicietur, quin perfringam: nec erit illi difficile per locustas expugnare gigantes: in Deo meo *conculcabo leonem & draconem*, per Dei gratiam & opem nihil non exsuperabimus. *Qui docet manus meas ad prælium, & posuisti ut arcum æreum brachia mea.*

Ps. 26. 4. Psal. 22. 4. Ps. 17. 30. Ps. 17. 35.

CAPUT XI.

De aliis ingentibus bonis & commodis, quæ in exercitio propriæ cognitionis includuntur.

1. INterea media, quæ à nostra adferre parte possumus, ut iis provocatus Dominus nobis gratias concedat, singulariaque dona ac virtutes conferat, præcipuum censendum est, nos coram ipso humiliare, nostramque debilitatem ac miseriam cordi aliter agnoscere. Quòd perspectum habens Apostolus dicebat: *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut in habitet in me virtus Christi.* Et S. Ambr. in illa eiusdem Apostoli verba, *Placeo mihi in infirmitatibus*, scribens ait: *Si gloriandum est Christiano, in humilitate gloriandum est, de qua crescitur & proficitur, apud Deum.* Et ad hoc propositum adducit S. Augustinus illud Prophetæ, *Pluviam voluntariam segregabis DEVS hæreditati tuæ, & in firmata est; tu vero perfecisti eam.* Quando verò DEUM putas voluntariam & gratuitam donorum gratiarumque suarum pluviam hæreditati suæ, id est animæ, daturum? *Et infirmata est.* cùm in quam ipsa infirmitatem ac miseriam suam perspectam habebit, tunc eam perficiet, & voluntario gratuitoque charismatum suorum imbre DEUS perpluet. Quemadmodum mendici, quos hîc videmus, eo efficaciùs divites & misericordes ad pietatem ac liberalitatem movent, quo suam iis indigentiam pluribus declarant, & ulcerosas plagas magis patefaciunt: pari modo quo se quis magis demittit, & agnoscit perfectius suamque miseriam magis revelat & confitetur, divinam misericordiam valentiùs invitat & inducit, ut ipsius compassione & commiseratione tangatur, ac gratiæ suæ

Cap. 38. Suæ miseriæ agnitio provocat Deum ad dona danda. 2. Cor. 12. 9. S. Amb. in 2. Cor 12. 10. Lib. 4. de Trin. c. 11 Ps. 67. 10.

suæ dona uberiùs in eam profundat. *Qui dat lasso virtutem, & his qui non sunt fortitudinem & robur multiplicat.*

Isai.40.

2. Vt autem breviter ingentia bona & commoda, quæ hoc exercitio comprehenduntur, perstringam dico suiipsius cognitionem universale malorum omnium esse remedium. Idcirco ad omnes penè interrogationes, quæ in spiritualibus, quas habere solemus, conferentiis instituuntur, quibus v.g. petitur, undenam hic vel ille defectus ortum habeat, & quæ illi medicina adhibenda; simili responso responderi potest, nasci hoc scil. è propriæ cognitionis defectu, sed humiliatione ac cognitione sui facilè ei occurri posse. si enim perconteris, unde ortum habeat pronitas illa judicandi fratres meos? respondeo, è propriæ cognitionis defectu, si enim te ipsum considerares & intuereris, tam ibi multa consideranda, tot mala deploranda inveni- res, ut de alienis inquirendis ne hilum laborares. si roges, unde oriatur, quòd fratres meos asperis & pungentibus verbis proscindam? ex eodem propriæ cognitionis defectu nasci dicam: si enim te nosses, omniumque te minimum ac postremum duceres, & in proxime quolibet Superiorem intuereris, tam mordaciter eos compellare non auderes. si petas, è quo fonte profluent excusationes, querelæ & murmurationes, cur v.g. hoc vel illud mihi denegetur, cur taliter habeat; certum est eas ex hoc quem dico fonte profluere, si interroges unde nascatur in homine nimia illa turbatio ac tristitia; dum his illisve tentationibus impetitur; vel melancholica illa pusillanimitas & animi dejectio, dum se identidem in unum eundemque defectum videt impingere? respondeo ut antè, è propriæ cognitionis indigentia: si enim humilitate instructus esset, & cordis sui malitiam planè perspectam haberet non propterea turbaretur aut animo caderet; sed potiùs obstupesceret quòd ad graviora non tentetur, nec graviùs & damnosiùs impingat; Deumque laudaret, & gratias ageret, quòd benigna sua manu cũ sustineat ne præceps ruat in illa in quæ laberetur haud dubiè, si ab ipso non sustentaretur. diceret sibi: *Tali è sentina & vomica vitiorum quid non putoris effluet? è tali sterquilinio id genus fœtores sperandi sunt, non alii; è tali arbore tales fructus.* Ita S. Anselmus illa Psalmistæ verba, *Recordatus est quoniam pulvis sumus*, exponens, ait: *Mirum non esse pulverem à vento sustolli & raptari.* si denique petas, qua via fraternam charitatem? qua obedientiæ promptitudinem? qua insignem patientiam? qua affectum erga austeritates tibi compares? per propriam dico, cognitionem: hæc quippe præsentaneum adversus mala omnia remedium est.

Huius defectus omnium imperfectionem est causa.

Ps.102.14. lib. similis: c.61.

3. Cùm B. P. N. Franciscus de Borgia quopiam proficiscens per viã obvium haberet virum nobilem Hispanum sibi aliàs notum: & hic Patrem in sordida & attrita veste, magnisque cum incommodis luctantem aspiceret: eius vicem miseratus, rogavit, ut maiorem sui ac valetudinis

lib.4. c.11. vitæ. Exemplum.

suæ rationem haberet. Cui Franciscus, vultu ad hilaritatem composito, & ore renidenti respondit: Ne putes me, Domine, tam malè ad iter instructum esse, ac forsan tibi videor. Iter enim facienti mihi solenne est duos præmittere prodromos tamquam exploratores & structores, qui hospitium mensamque commodè mihi adornent. Interroganti dein domino, qui prodromi illi essent, replicat pari festivitate bonus Pater: *Hi sunt mei cognitio, & pœnarum quas apud inferos peccatis meis promerui, sollicita contemplatio. quo fit ut quod tandemcunque in diversorium deferar, tametsi desint omnia, in lucro deputem, & tamquam in immerentem collata beneficia interpretor, & commodiùs id instructum censeam quàm commerear.*

Aliud Exemplum. 1.p.l.3.c.4. Chr. Præd.

4. Cum B. Margareta Sanctimoniali Ordinis D. Dominici, (prout in Chronicis Eiusdem Ordinis refertur) quidam notæ sanctitatis vir Religiosus quodam tempore agebat, qui inter alia dixisse ei fertur, petiisse se identidem ferventibus à Deo precibus, ut ei illud iter monstraret, per quod prisci ævi Patres incesserant, ut sic ei complaceret, & iis, quibus ipsi, gratiis ab eo donaretur. Vnde sibi nocte quadam in somnis visum esse librum quemdam aureis litteris exaratum, voceque cuiusdam se excitatum dicentis, *surge, lege*: seque surgentem, in eo legisse parva illa, sed cælestia & divina verba: *Hæc antiquorum patrum fuit perfectio, amare Deum, seipsum contemnere, spernere neminem, neminem vel in minimo judicare.* Quo lecto, librum mox ex oculis subductum fuisse.

Caput XII.

Quàm expediat, jugiter nos in nostri ipsorum cognitione exerceri.

1. EX hactenus dictis liquidò patebit, quàm expediat nos in nostri cognitionem devenire: Thales Milesius, de septem Græciæ sapientibus unus, rogatus aliàs, ecquidnam inter omnia naturalia scitu esset difficillimũ, respondit *Nosse seipsum*: quòd amor, quo in nos ipsos ferimur, tam sit vehemens, ut hanc cognitionem nostri impediat. Atque inde natum celebre illud, & toties apud priscos decantatum dictum, *Nosce teipsum*: & illud alterius: *Tecum habita.* Verùm, missis Ethnicis & extraneis, ad domesticos fidei nostræ testes veniamus, utpote perfectiores huius scientiæ magistros. SS. Augustini & Bernardi opinio est, hanc sui cognitionis scientiam sublimissimam esse & utilissimam omnium omnino scientiarum, ab hominibus unquam inventarum & excogitatarum. Scientiam, ait Augustinus, cælestium terrestriumque rerum, item astrologicam, & cosmographicam magni æstimare homines solent, nosse item motum cælorum, ac planetarum cursus, proprietates & influentias: at longè his sublimior & utilior scientia est, nosse semetipsum, reliquæ *inflant* & vanitate hominem replent, (ut loquitur Apostolus) at hæc ædificat, & eum demissè de se sentire facit.

Laert. lib. 1. P. Manut. in apopktheg. p. 567. §. 8.

Sui cognitio scientia scientiarum est.

Lib. 4. de in proœmio. lib. de inter. domo.

1. Cor. 3.

2. Vnde

Ideo cõmendatur dyſcolis, ut ſequentur.

2. Vnde SS.Patres,& omnes ſpiritualis vitę informatores jubent,nos in oratione huic exercitio jugiter inſiſtere,eoſque graviter arguunt, qui defectuum ſuorum recognitionem nonniſi obiter) percurrunt , & levi brachio attingunt , aliis verò devotiunculis æquó diutiùs immorantur, multumque temporis impendunt , quòd magnum in iis guſtum inveniant ; at in defectibus & erroribus ſuis conſiderandis nullum : quòd grave, & moleſtum ipſis ſit ſuam fœditatem intueri,perinde ac deformis ideo ſpeculum conſulere detrectat nec audet,ne ſuam deformitatem videre cogatur. De hac ipſa re S.Bernard. in Dei perſona loquens , ait : *O homo ſi te videres* ac noſſes, ſtatim *tibi diſpliceres & mihi placeres : ſed, quia te non vides*, nec cognoſcis,*tibi places,& mihi diſplices , Veniet tempus , cum nec mihi,nec tibi placebis : mihi,quia peccaſti,tibi, quia in æternum ardebis.* Hoc ipſum expendens S. Gregorius,nonnullos eſſe ait, qui vix dum Deo ſervire , & virtutem extremis , quod aiunt,labris guſtare incipientes, mox ſtultiſſima quadam perſuaſione bonos ſe & ſanctos eſſe reputant : & modicum illud quod operantur bonum , ſic ante oculos mentis conſtituunt , ut præteritorum peccatorum ac malorũ , & ſubinde etiam præſentium,penitus obliviſcantur : nam ita in boni acti conſideratione detinentur,ut multæ ,quæ agunt, mala nec advertant,nec attendant.

Li.2.mor. c.5. & li. 34.c.16.

Boni & electi pro penſiſſime ei ſtudent.

3. At boni & electi longè ſeriùs agunt : nam cum revera pleni bonorum operum ac virtutum ſint,ſemper tamen oculos ad mala quæ habent , reflectunt,ſuoſque errores & imperfectiones nunquam non intuentur & conſiderant. Quod autem inter utroſque diſcrimen ſit,liquet. Quia enim hi mala ſua ſic identidem conſiderant,fit,ut ingentia bona & virtutes quæ habent , inviolata conſervent , ſemper intra humilitatis limites manendo : illi verò quia bona ſua jugiter reſpectant , hinc iiſdem excidunt,quod iis ſuperbiant, & evaneſcant. Adeo ut boni etiam malis ſuis proficiant, ex iiſque bonum & commodum eliciant ; mali verò etiam è bonis ipſis referunt mala , quòd iis perperam utantur.

Simile.

4. Perinde ut in cibis quotidie uſu venire videmus,qui quamvis ſapidi & ſalubres ſint,ſi quis tamen iis inordinatè & immoderatè veſcatur, in graves morbos incidet : contra verò vel ipſum viperæ venenũ certa commixtione & debita cum proportione ſumptum, antidoton ſumentibus & ſalutare eſt.

Clypeus fortis cõtra tentationes ſuperbiæ. *Lib.22. moral.c.5.*

5. Quapropter,cum cacodæmon tibi in memoriam revocabit bona quæ aliàs egiſti, ut his ſuperbias & evaneſcas,conſulit S. Gregorius , ut ei mala tua velut clypeum objicias , præterita peccata in memoriam reducendo. Sic faciebat Apoſtolus Paulus,qui ne fortè eximiarum quas poſſidebat virtutum & chariſmatum recordatione , nec non raptu ad tertium uſque cælum , & revelationum auditarum magnitudine extolleretur & evaneſceret, de ſe ingenuè confitetur , *qui prius blaſphemus fui,*

1.Tim.1.13

fui, *& persecutor* tum servorum Dei, tum nominis Christiani, *& contumeliosus : qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei :* Hoc scilicet egregium est adversus hoc tentationum genus antidoton & clypeus. S. Hieronymus super illa Archangeli Gabrielis ad Danielem verba. *Intellige fili hominis*, quod tibi sum dicturus, sic scribit: *Propheta sancti Ezechiel, Daniel, & Zacharias, quia* ob sublimes & continuas, quas cælitus accipiebant, revelationes, *inter angelos sapè esse se cernunt, ne eleventur in superbiam, & angelicæ vel naturæ vel dignitatis esse se credant, admonentur*, ab Angelo Dei nomine, *fragilitatis suæ* ac infirmitatis corporis sui, *& filii hominum nuncupantur, ut homines se esse noverint* debiles, labiles & miseros, perinde atque alii, itaque sese demittant, & tales reputent quales revera sunt. Eiusmodi exemplorum plena sunt tam sacrorum, quàm profanorum historicorum monumenta omnia, attestantium passim, viris sanctimoniæ & sanguine illustribus, Regibus, Imperatoribus, Pontificibus, quò sese demitterent, nec dignitate sanctitateque insolescerent, medium hoc usitatissimum fuisse.

1. Cor. 15. 9.

Dan. 8. 17

S. Hieron.

6. Ferunt & beatum P. Franciscum de Borgia, cùm adhuc Gandiæ Ducem ageret, à quodam eximiæ sanctitatis viro monitum, ut si in Dei obsequio insignem profectum facere vellet, vel unum sibi diem elabi non sineret, quo non aliquid mente pertractaret quod ad confusionem & despectum sui aliquatenus pertineret. Adeo autem Francisco sancti viri consilium placuit, ut, ex quo in orationis exercitium cœpit incumbere, duas quotidie horas solidas in huius cognitionis & despectus sui ipsius meditatione insumeret. in eoque ita totus erat, ut, quidquid audiret, legeret, videretvé, ei ad hunc sui demissionem & confusionem deserviret. Addebat huic exercitio aliud humilitatis concipiendæ adminiculum : nimirum manè vix è lecto egressus, in genua se provolvens, ter humum osculabatur, ut hoc pacto se recordaretur pulverem ac terram esse, & in terram convertendum. Quid verò quantumque commodi hinc ipse tulerit, satis nos edocent tam rara humilitatis & sanctitatis relicta posteris exempla.

Lib. 4. vitæ. c. 1. Exemplum.

Lib. 4. c. 4

7. Sequamur ergo & nos isthoc consilium, itaq; ipsum cordi insculpamus, ut nulla nobis abeat dies, quin aliquam meditationis partem iis impendamus considerandis, quæ ad nostri confusionem & vilipendium quadamtenus referantur: neque in hoc exercitio ullatenus tædio vel defatigatione victi segnescamus, aut quiescamus, sed semper in eo naviter pergamus, usque dum visceralem quemdam nostri ipsorum contemptum, ac despicientiam, necnon confusionem & erubescentiam coram divinæ Maiestatis oculis, è nostræ vilitatis & miseriæ consideratione ortam, cordi nostro firmiter insidere sentiamus. Et certè magnopere virtute hac indigemus : tanta quippe nostra superbia est, & à natura proveniens propensio, ut ab hominibus magni

In illam semper incumbendum.

magni æstimemur & honoremur, ut, nisi constanter & quotidiè huic exercitio insistamus, in singulas propè horas supra nos elevandi simus, ut suber super aquas: sumus quippe subere inaniores & leviores. Unde hic superbiæ tumor, qui in nobis exurgit, assiduè nobis deprimendus est, nimirum fœditatis & vilitatis nostræ pedes intuendo, ut ille vanitatis & superbiæ pavoninæ orbis hoc pacto concidat & dissolvatur. In mentem nobis veniat parabolæ illius Evangelicæ de ficu sterili, quam cum paterfamilias, quod triennio fructum nullum vidisset ex ea, excidi præcepisset, cultor obsistens ait illi, *Domine dimitte illam & hoc anno, usque dum fodiam circa illam, & mittam stercora, & siquidem fructum fecerit: sin autem, in futurum succides eam.* Ad eundem modum vos oportet circum animam vestram, sterilem illam & infructuosam ficulneam fodere, ac peccatorum & miseriarum vestrarum stercus circum secus ponere (ea quippe nimis quàm multa suppetunt) atque ita fiet ut uberem fructum ferat, & feracissima evadat.

Luc.13.6.

In illam semper incumbendum.

Erat ea magnis sanctis in usu.

8. Ut autem ad exercitii hujus usum magis animemur, nemoque ullam ejus intermittendi occasionem causamve, falsas nescio quas ob apprehensiones, prætexat, duo hic observanda sunt. Primum, nemo sibi persuadeat, exercitium hoc primùm incipientium & tironum duntaxat esse: nam & veteranorum, proficientium, quin & admodum perfectorum est, cùm & his, & Paulo Apostolo id usitatissimum fuisse videamus.

Non est melancholica.

9. Alterum est, noverimus oportet, isthoc exercitium tetricum aut melancholicum non esse, nullam turbationem aut inquietudinem homini adferre, sed magnam è contrà pacem, quietem, gaudium, & jucunditatem in anima causare, quantumlibet multos defectus & miserias quis in se notet, ac tametsi ex eo quòd se tam improbum & imperfectum cernat, liquido perspiciat, dignum esse se qui omnibus horrori & contemptui sit. Nam, cum hæc sui cognitio è vera proficiscitur humilitate, illa pœna & displicentia cum quadam venit suavitate & oblectatione, adeò ut ea homo capere nollet. Aliæ verò illæ pœnæ & anxiæ turbationes quas sentiunt nonnulli ex eo quòd tantas in se imperfectiones & defectus deprehendant, mera dæmonis sunt tentatio, qui per has aliud non spectat ex una parte, quàm ut ipsi nobis persuadeam' habere nos humilitatē, ex alia verò, si posset, simul vellet, ut de Deo diffideremus, inque ejus famulatu facti pusillanimes animo caderemus.

Sed causa majoris lætitiæ.

10. Quòd si quidem in hac infirmitatis & miseriæ nostræ cognitione sistere nos oportere, magnam certè tristandi & desolationis concipiendæ occasionem haberemus, uti & elanguendi & animum despondendi: verum in ea nobis non est sistendum, sed statim ad bonitatem, misericordiam, ac liberalitatem Dei, & quantopere ipse nos amet, & nostri causa passus sit, considerandum transi-

ire nos oportet,& in his omnem nostram fiduciam constituere. Quapropter,quod tibi pusillanimitatis & tristitiæ concipiendæ foret occasio, ad temetipsum oculos convertenti, idem,si Deum respicias,servit ad magis te animandum & excitandum, simulque majoris lætitiæ & consolationis concipiendæ tibi sit occasio. Intuetur seipsum quis, non videt nisi summam dolendi & plangendi materiam; Deum si consideret, in illius bonitate confidit, sine ullo, ne ab eo unquam deseratur metu, quantumvis multas in se imperfectiones, defectus,& miserias in se notet. Etenim ipsa bonitas ac misericordia Dei in quam is & oculos & cor suum conjecit, infinitis omnia mala nostra partibus excedit & præponderat. Atque hac consideratione semel visceribus suis insculpta & inserta, non plus sibi jam nititur, quàm arundini confractæ & quassatæ, at semper fidit & nititur Deo, juxta illud Prophetæ Danielis: *Neque enim in justificationibus*, meritis, bonis operibus *nostris prosternimus preces ante faciem tuam*, Domine, oculos sustollimus ad te, veniamque commissorum petimus, *sed in miserationibus tuis multis*.

Dan. 9. 18

CAPUT XIII.

De secundo humilitatis gradu, & in quo is consistit.

I. Grad. humilitatis tolerare contemptum.

1. SEcundum humilitatis gradum statuit S. Bonaventura desiderare ab aliis contemni ac vilipendi. *Ama*, inquit, *nesciri, & pro nihilo reputari*. Siquidem in primo humilitatis gradu multum provecti essemus, jam tum multum viæ cõfectum haberemus, ad perveniendũ ad hunc secundũ: id est, si verè nos ipsos contemneremus,& nihilo reputaremus; nullam propè difficultatem sentiremus in eo quod & alii nos pro nihilo reputarent, ac nullo in numero haberent, imo id nobis gaudium foret. Vis hoc ad oculum perspicere? inquit idem doctor. *Annon omnes naturali quadam propensione* gaudemus, quòd alii suum nostro judicium atque opinionem conforment, & sentiant idem quod sentimus? Quòd si ita sit, cur non similiter gaudemus, quod nullo nos alii in numero & pretio habeant.

proceß. 6. relig. 22. Alvar. to. 2. l. 4. p. 3. c. 6. & 7. & 8.

2. Nosti quare? quia nos ipsi ut tales non habemus: ejus opinionis non sumus. Hinc sanctus Gregorius super hæc sancti Jobi verba: *Peccavi, & verè deliqui & ut eram dignus, non recepi*: Multi, ait, ore fatentur se viles & indignos esse, sed ipsi de se ita non sentiunt: nam aliis eadem, & forsan etiam minora de ipsis dicentibus, indignantur, insurgunt, & id velut calumniam interpretantur. Tales ergo cum se malos profitentur, verè id non dicunt, quia ipsi in animo se tales esse non putant, ubi putabat sanctus Job, cum diceret, *Peccavi, & verè deliqui, & ut eram dignus* poluas *non recepi*. Dicebat id ipse verè: & ex animo; at hi, inquit sanctus Gregorius, solummodo se ore tenus & exteriùs humiliant; in corde & interiùs nulla subest humilitas: videri humiles volunt, non esse: si enim

Ficta humilitas. Iob 33. 27. Lib. 1. dial. c. 5. Lib. mor. 24. c. 12. Lib. 22. c. 14.

enim verè vellent esse humiles; non adeò, cùm ab aliis moventur & defectus alicujus reprehenduntur, ægrè monitiones acciperent, non ita se excusarent, non tam præfractè honorem suum tuerentur, ac turbarentur.

Ejus exemplũ. Collat. 18. c. 11.

3. Venit aliàs ad Abbatem Serapionem, ut narrat Joan. Cassianus, monachus, qui habitu, veste, gestibus, & vultu, magnam humilitatem, suique despicientiam præ se ferret. Hic identidem se peccatorem confiteri, & quidem tam sceleratum, ut ne usum quidem hujus communis aeris capere mereretur, quin & indignum qui terram calcaret, unde nec sedere nisi humi sustinebat, nedum permittere ut ipsi pro more lavarentur pedes Serapion, refectione fratrum peracta, de rebus spiritualibus, prout moris erat, agere cœpit, & sermone ad novum hunc hospitem converso, suasit ei magno cum amore & lenitate, ut quoniam junior erat, & viribus valebat, in cella maneret, & ad victum parandum, juxta regulæ monasticæ præscriptum, operaretur, nec otiosus per cellas aliorum discursaret. Quam commonitionem & consilium monachus ille tam impotenter tulit, ut animi indignationem corde premere non posset, sed vultu & exteriori oris compositione etiam proderet. Tum conversus ad eum Serapion, *Ecquid hoc rei est fili? Hactenus tot de te dixisti mala, tot probra, tot ignominias & infamias; & modò suavißimam, & amore ac charitate plenam monitiunculam, nullo acerbiori, nullo contumelioso verbo permixtam audiens, ita es indignatus, & eos in animo motus sensisti, ut ne quidem eos fingere & dißimulare vultu potueris. An fortasse dum te humiliabas, illam exspectabas ab ore nostro sententiam, Iustus in principio est accusator sui; volebasque audire, verè hic justus & humilis est, cùm se tantopere accuset? volebas te laudaremus, & ut sanctum ac justum susp iceremus?*

Ficta humilitas. Job 33. 27. Lib. 1. dial. c. 5. Lib. mor. 24. c. 12. Lib. 22. c. 14.

Prov. 18. 17.

Idipsum SS. PP. docent.

4. Hoc scilicet est ait sanctus Gregorius, quod sæpe hac nostra hypocrysi & ficta humilitate spectamus, tandem videlicet alienam? quodque esse videtur humilitas, non raro insignis est superbia, sæpe namque moraliter nos dejicimus & humiliamus, non aliam ob causam, quàm ut ab hominibus laudem aucupemur, ac boni & humiles habeamur. Si ita se res non habeat, rogo te, cur id ipse de te passim crepes, quod alios de te credere non vis? Si enim id ex animo dicas, & vera loquaris, velle debes, ut & alii talem te habeant & credant: id si nolis, apertè demonstras, per hoc non tam quærere & spectare te ut vilis reputeris, quàm ut ab aliis æstimeris & in pretio habearis. Atque hoc insinuant illa Ecclesiastici verba: *Est qui nequiter humiliat se, & interiora ejus plena sunt* superbia & *dolo.* Quis enim major & improbior dolus, quàm per humilitatis adminiculum ab hominibus honorari, & magni æstimari velle? quæ dari intolerabilior superbia potest quàm humilem velle haberi? unde præclarè sanctus Bernardus: *Appetere de humilitate*

Eccl. 19. 23.

Serm. 16. in Cātic.

laudem humilitatis, *non est virtus* humilitatis, *sed* illius subversio *ac destructio. Quid perversius, quidve indignius, ut inde velis videri melior, unde videris deterior?* E malo quod de te ipse dicis, videri & haberi vir bonus: quid indignius, quid rationi magis dissentaneum. Quod etiam ridet & reprehendit sanctus Ambrosius his verbis: *Multi habent humilitatis speciem, sed virtutem non habent: multi eam foris pratendunt, & intus impugnant.*

Lib. 7. ep. 44.

Quanta arte & vi nitamur ad gloriam.

5. Tanta porro nostra superbia & ambitio est, qua ab hominibus magnifieri ambimus, ut per sexcentos etiam modos & artes huc pervenire satagamus: modò quidem indirectè, modò clam, modo palam, in id unum demum collineantes, ut nomen aliquod apud homines paremus. Super bonum proprium esse ait S. Gregorius, ut, cùm aliquid dixerint vel fecerint, quod ipsorum judicio mereatur plausum, audientes videntesque interrogent, ut, quos in eo commiserunt errores, sincerè ipsis indicent, ut sic eos sui laudatores inveniant: videntur, inquit exterius seipsos humiliare, petentes ut admissos errores & defectus patefaciant; sed, non hæc; vera humilitas sed mera superbia: nam sic aliorum præconium extorquere conantur. Aliàs etiam quis factum aliquod suum carpere & sugillare incipit, in eo sibi satisfactum esse negans, ut hac ratione quid alius de eo sentiat eliciat; velletque is ipsum excusaret, dicendo, Non malè successit, sed optimè sanè dixisti vel fecisti, non est quòd hinc tibi displiceas. Atque hoc demum est quod alter ficta illa facti sui depressione spectabat. Vnde hoc humilitatis genus quidam è Patribus nostris, vir gravis & admodum spiritualis, scomatum non incongruè appellabat, quòd hac velut hamo, ex alio expiscari & elicere gestias, ut te deprædicet. Dixit, verbi gratia, quis ad populum, plena sui cum satisfactione & interiore applausu: petit interim amicè ab alio, ut in quo peccarit ac deliquerit, sincerè sibi significet. quorsum ista simulatio & hypocrisis? quia nullos ipse credis te errores commisisse, sed optimum eius successum fuisse. Aliud certè non spectas, quàm ut concionem alter dilaudet, itaque cum tuo judicium ipsius conveniat. atque hoc libentissime audis. Quod si tamen ille aliquem fortè defectum sincerè candideque aperiat, adeò non libenter eum audis ut eum etiam præfractè excuses: ac contingit etiam nonnunquam, ut liberum hunc censorem, ut hominem parum intelligentem, & parvi judicii ducas, nec in hac eum materia satis versatum credas, quòd id ceu erratum sit interpretatus, quod ipse ut optimè doctissimeq; dictum habebas. Quæ omnia mera sunt superbia, & alienæ æstimationis ambitio: atque hoc non aliud, si ficta illa humilitate spectas. Interdum quoque, cùm errorem, utpote apertum, tegere & dissimulare minimè possumus, eum ingenuè confitemur, ut, quo per errorem illum excidimus, honorem humili hac eiusdem confessione recuperemus. Aliàs etiam (ut notat sanctus Bernardus) ipsimet

Lib. 26. mor. c. 1. & S. Bonavent. de informat. Novit. c. 8.

De grad. humil. c. 9

met defectus nostros exaggeramus, & ultrà quàm sunt, amplificamus, ut alii, videntes, fieri non posse nec verisimile esse, ut error tam sit gravis nullum omnino subfuisse sibi persuadeant, omniaque à nobis nonnisi ex humilitate dici existiment quocirca hac erroris nostri exaggeratione & hyperbole id spectamus, ut qui verè fuit, error tegatur & obruatur Sexcentis ergo modis & artificiis nostrã sub prætextu humilitatis palliare, personare, & tegere superbiam conviti unt.

Humilitatis gratia elucet, quod Superbiâ se illâ palliat.

6. Atque hinc obiter, inquit idem mellifluus Doctor, colligere est, quàm excellens & pretiosum quid sit humilitas, quàm vile & propudiosum superbia. *Gloriosa res*, ait, *humilitas, qua ipsa quoque superbia palliare se* & tegere *appetit, ne vilescat.* Contra vilis & probrosa res est superbia, cùm aperto vultu foras prodire non audeat, sed nonnisi humilitatis velamine tecta & personata. Quanto, obsecro, pudore suffunderetis & erubesceres, si alter te laudari & æstimari velle, intelligeret! haberetis enim pro superbo: qui infimus est gradus, ad quam dejici posses: ideoque humilitatis signo & velamine tuã tegere arrogantiam procuras. Quorsum ergo verè vis esse quod vel videri erubescis? Quòd si erubesceres & confunderetis, quòd scirent & intelligerent alii te laudem & æstimationem alienam aucupari, cur non pudeat, id ipsum velle? In eo enim malum consistit, quod ipse id velis; non, in eo quòd id te velle norint alii. Si denique te pudeat, quòd id hominibus innotescat, cur tibi pudorem non incutit Deus, qui ipsum & intelligit & intuetur? Imperfectum meum viderent oculi tui.

Ps. 138. 16.

Cur refugiamus contemni.

7. Hæc autem omnia aliunde nõ proveniunt, quàm quòd in primo humilitatis gradu non bene fundati simus, ac proinde nimis quàm procul sumus à secundo remoti. Necesse nos est rem hanc à suo principio & fonte accersere: priùs, inquam oportet nostram cognoscamus miseriam & nihilum, atque è profunda hac nostri ipsorum cognitione nasci in nobis debet contemptissima quædam de nobis ipsis opinio atque insigne nostri vilipendium & despicientia, qui primus humilitatis est gradus: è quo ad secundum hunc debemus ascendere. Non est igitur satis, ut te ipse contemnas, nulloque in numero habeas, & male de te loquaris, esto id verè & ex animo dicas, vereque ita sentias: sed & conniti debes eatenus pertingere, ut ex animo gaudeas cum etiam alii idipsum de te sentiunt & dicunt, quod tute sentis & dicis, teque contemnant ac pro nihilo ducant. Verissime ergo Climacus eum negat humilem esse, qui se verbis dejicit, atque ore despicit: quis enim seipsum non toleret? at illum verè humilem reputat qui ab aliis despici, & nullo in pretio haberi summa cum animi pace gaudet. Bonum quidem & consultum est, abiectè semper contemptimque de seipso loqui, superbum, acedum, impatientem, incurium, negligentem, remissum se appellare: at melius foret hoc de se judicium reservaret in id tem-

De grad. humil. 9.

pus quo idem alii de ipso dicunt & sentiunt. Si quidem velis, ut alii idem de te sentiant teque ut talem habeant & existiment, hocque ex illis occasione oblata audire volupè tibi sit, jam tum ad veram humilitatem pervenisti.

Caput XIV.

Nonnulli proponuntur gradus, per quos ad secundæ huius humilitatis fastigium nobis conscendendum est.

Totum quod gravat in partes secũdum est. *Anselm. de similitudine.*

1. QVoniam verò secundus hic humilitatis gradus plus praxeos, laboris ac difficultatis continet, quàm reliqui in huius virtutis exercitio occurrentes, idcirco eum, præeuntibus nobis in hoc Patribus nonnullis, in quãtuor partes, seu gradus subalternos distinguemus, ut hac ratione paulatim, & velut per passus numeratos, ad ipsum humilitatis, quæ hoc in gradu requiritur, perfectionem pertingamus.

Prima pars 2. Gradus, est honores fugere.

2. *Primus gradus est, nolle nec desiderare ab hominibus honorari aut in pretio haberi*: sed, quidquid honorem & æstimationẽ sapit redoletvé, penitus fugere. Sic fecisse sanctos omnes, omnes libri & historiæ nullo nõ loco testantur: qui tantum abest, ut à mundo æstimari ac magnifieri vellent, ut honores, dignitates, & quidquid demum nomen illis ac plausum apud homines conciliare posset, ceu pestem detestarentur, & velut juratissimum hostem remis velisque fugerent.

Joan. 6. 16 Exemplũ Christi.

3. Primum huius rei exemplum nobis dedit Redemptor noster ac præceptor Iesus, qui tum fugit & ex oculis se subduxit, cum intellexit populum illum, post quinque hominum millia quinque panibus & duobus pisciculis refecta, venire ut ipsum in Regem assumerent: non quod ei ex assumendæ dignitatis, quantumlibet sublimis, fastigio aliquod superbiendi periculum immineret, sed tantummodò, ut suo nobis exemplo præiret. Hanc ipsam ob causam jussit Apostolos suos, cum sacratissimi corporis sui gloriam illorum tribus in sua transfiguratione manifestaret, nemini prius hanc visionem declarare, quàm ipse mortuus esset, & à mortuis resurrexisset. Adhæc cùm cœcis visum redderet, aliaque miracula patraret, mandavit illis, rem silentio premerent, nec diffamarent. Vt nimirum hoc pacto nos doceret, hominum laudes, honores, & æstimationem fugere quòd magnæ in iisdem evanescendi, superbiendi pereundique occurrant pericula.

Matt. 9. Marc. 7. 36.

p. 1. lib. 7. c. 5. Chron. Minor. Aliud B. F. Ægidii Franciscani.

4. B. Ægidius sancti Francisci socius, audiens fœdum F. Eliæ lapsum (fuerat hic olim generalis Ordinis totius Minister, magnaque vir eruditionis, sed tum, quia Frederico secundo Imperatori, qui funestum Ecclesiæ bellum movebat, adhærebat, ab ordine defecerat, & velut schismaticus Pontificiæ excommunicationis fulmine erat percussus) in terram pronum se prostravit, eamque firmiter apprehendit: causamq; roga-

rogatus, quorsum id ageret: *Quantum, inquit, possum, volo descendere, quod F. Elias, dum nimis altè cupit ascendere, pro lapsus fit.* Ad hoc propositum trahit Iohannes Gerson id quod de Anteo terræ filio fabulantur Poëtæ hic, cum Hercule confligens, quoties ab eo terræ, velut victus, allideretur, novas identidem vires recuperabat. Vnde ab eo exsuperari non potuit: quòd, advertens jam Hercules, eum in altum sustulit, itaque neci dedit. Idipsum, inquit, Gerson, spectat cacodæmon per laudes, honores & applausus humanos; scilicet iis nos in altum gestit extollere, ut jam sublatos interficiat ac turpiùs perdat atque ideo verus humilis in proprię cognitionis terram se abjicit. Adeò scilic. timet ac fugit, extolli, & ab aliis æstimari.

[Margin: ...rmon. ...humi... in cœna Domini.]

5. Secundi in humilitate gradus altera pars, teste S. Anselmo, est, *pati contemptibiliter se tractari*: ut nimirum cùm aliqua tibi, unde contemnendus & despiciendus videare, occurrerit occasio, eam gaudenter excipias. Non id jam agimus, ut injurias, probra, contumelias tibi ultrò accersas, easq; studio alicubi conquiras, iisque inventis gaudeas & exultes de qua re postea agendi locus erit (quòd res ea sit multò sublimior majorisque perfectionis.) sed ut, cùm aliquid ad tui despicientiam spectans occurrerit, id saltem feras patienter, si non possis gaudenter secundum illam sapientis doctrinam: *Omne quod tibi applicitum fuerit,* quantumvis gustui ac sensualitati repugnans, libenter *accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe.* Est hoc cumprimis utile medium ad humilitatem tum acquirendam, tum conservandam. Nam ut humani honores & æstimatio præsens superbiendi & evanescendi periculum includunt, ideoq; sancti omnes numquam non eos sunt detestati: sic vice versâ, quidquid ad nostri despicientiam & depressionem quoquomodo facit, humilitatis comparandæ, conservandæ, adaugendæq; mirabiliter deferunt. Vnde S. Laurentius Iustinianus, humilitatem torrenti cuidam assimilabat: ut enim is per hiemem multis aquis abundat, in æstate propè exarescit; sic humilitas prospero rerum successu imminuitur, adversis increscit & augetur.

[Margin: S. Ansel. ubi suprà. Secunda pars 2. Gradus est patienter despectum ferre.]

[Margin: Eccl. 2. 4.]

[Margin: S. Laurent. Iustinian.]

6. Iam multæ porro huius rei occasiones nobis quotidie occurrunt, ut si ex illis rem facere vellemus, atq; inde proficere omni studio conniteremur, amplissimus nobis humilitatis quotidie exercendę campus aperiretur. Rectè proinde de illis religiosissimus ille vir Thom. de Kempis sic philosophatur: *Quod aliis placebit pro cessum habebit: quod tibi placet, ultrà non proficiet: quod alii dicunt, audietur; quod tu dices, pro nihilo computabitur: petent alii, & accipient, tu petes, nec impetrabis: erunt alii magni in ore hominũ, de te autẽ tacebitur: aliis hoc vel illud cõmittetur; tu autẽ ad nihil utilis judicaberis. Propter hoc natura aliquando contristabitur, & magnum certamen sustinebit; sed magnũ bonũ inde consequeris, si silens portaveris.* Quisque ergo semetipsum excutiat, & singillatim occasiones omnes percurrat, quæ ei quoad hoc possint &

[Margin: Multæ sunt occasiones patiendi adversa.]

[Margin: Lib. 3. de invit. Christi cap. 54.]

solean-

solent occurrere; ac videat quomodo in illis sese habeat. Attendat, inquam, quo se modo gerat, cùm quid ei imperiosè & magistraliter imperatur: videat, quam in partem accipiat, cùm rei alicuius commonetur, aut de defectu reprehenditur: videat denique quomodo affectus sit, cùm superiorem videt se ut suspectum habere, non multum fidere, sed admodum restrictè & diffidenter procedere. Suadet proinde S. Dorotheus, ut quæcumque se nobis istarum occasionum obtulerit, illam ceu remedium & medicinā ad superbiam nostram curandam accipiamus, Deumque pro eo qui hanc nobis occasionem obtulit, & causavit, tamquam pro animarum nostrarum medico, ex caritate rogemus, firmiterque credamus, eum qui huiusmodi res oderit, ipsam quoque humilitatem odisse.

S. Doroth. in doctrina.

7. Tertia pars secundi gradus est laudibus aut applausu humano non lætari, nec oblectari. Est hoc priori paulò difficilius, ut etiam testatur S. Augustinus: *Etsi cui,* inquit, *quàm facile est laude carere,* nec honorem æstimationemque multum morari, *dum denegatur; tamen perdifficile est ea non delectari, nec applaudere, cùm offertur,* & cùm ab hominibus magni quis æstimatur & laudatur. Egregiè id ipsum pertractat S. Gregorius moraliter commentans in illa Iobi verba. *Si vidi solem cùm fulgeret, & lunam incedentem clarè, & lætatum est in abscondito cor meum.* dicitque Iobum nihil hoc loquendi modo aliud significare voluisse, quàm se hominum laudibus ac præconiis minimè gavisum, nec delectatum fuisse: Nam solem fulgentem, ac lunam in claritate cursum peragentem intueri, symbolicè est, famam & opinionem quam quis apud homines habet, nec non laudes ac præconia sua, tacitè apud semetipsum considerare, iisq; in sinu gaudere ac lætari.

Tertia pars 2. Gradus dolere quod laudemur.

Epist. 64. ad Aurelium Episc.

Iob. 31. 26. 27. lib. 21. Moral. c. 6.

8. Hoc porro inter superbos & humiles ait esse discrimen, quod illi, dum laudantur ac celebrantur, tametsi falsò, mirè lætentur & intus plaudant; quòd non attendant ad id quod reverà in se ipsis, & in oculis Divinæ majestatis sunt; nihilque spectent aliud, quàm ut ab hominibus celebrentur ac deprædicentur, & non minùs hoc ipso gaudeant & exultent, quàm qui rei ad quam ardentissimè aspirabat, jam factus est compos. At verè humilis corde, cùm se laudari, æstimari, celebrari audit se intra se colligit, magisque ad hoc præconium erubescit, illud Prophetæ consilium secutus, *Exaltatus autem humiliatus sum,* & præ confusione magis *conturbatus.* Nec immeritò: *Cauto enim,* addit S. Gregorius, *consideratione trepidat, ne aut de his in quibus laudatur, & non sunt, maius Dei judicium inveniat, aut de his, in quibus laudatur, competens præmium perdat;* dicaturq; ipsi, *Recepisti bona,* & operum tuorum mercedem *in vita tua.*

Superbus laudem quærit, humilis despectum.

Psal. 87. 16

Gregor.

Luc 16. 25

9. Ergo ex illis ipsis rebus, è quibus arrogantes & superbi intumescendi evanescendique occasionem ac materiam capiunt, è laudibus inquam hominum, inde sui confundendorum magisq; humiliandorum ansam

Caminus quo probatur humilis & superbus est Laus.

Li.22. Moral.c. 9. Prov. 17.21.

ansam arripiunt humiles. Atque hoc est, quod, teste S. Gregorio, in Proverbiis insinuat Salomon: *Quomodo probatur in conflatono argentum, & in fornace aurum, sic probatur homo ore laudantis.* Adulterium & spurium argentum vel aurum, in igne consumitur; sed probatum & bonum, redditur probatius ac depuratur, sic & homo inquit Sapiens, per laudes & encomia, qui enim laudatus & deprædicatus, superbit, evanescit, & laudibus auditis velut palpo definitur, adulterinum est aurum, non probatum, cùm à linguæ conflatorio consumatur, at, qui è sui commendatione ac deprædicatione magis se deprimendi & confundendi ansam captat, aurum est obryzũ & purum: eo quòd per encomiorũ ignem adeò nõ consumptus est, aut decoctus, ut etiã purior, defæcatior, & clarior inde evaserit, quia factus humilior & in oculis suis abjectior. Hoc ergo, tibi signum & nota sit, è quo colligas, num quem in virtute atque humilitate progressum facias, cùm id Spiritus Sanctus nobis ut tale suggerat. Vide inquam, num tibi grave ac molestum sit tuas ex aliorum ore laudes audire; an verò ad eas tibi cor præ gaudio subsultet, miramque ex iis voluptatem haurias, atque inde colliges, verumne aurum, an nonnisi auripigmentum ac spurium.

Lib. 6. vita, c. 1. Exemplum Francisci de Borgia qui suis laudibus dolebat.

10. B. N. P. Francisco de Borgia nihil accidere poterat gravius, nullaque re æque indolebat, ac, dum se pro sancto ac famulo Dei haberi cæliq; videbat, qui etiam rogatus aliquando, cur hac se re tantopere affligeret, cùm id ipse nec expeteret, nec procuraret; timere se respondit rationem, quam propterea Deo daturus erat, cùm tam longè ab ea esset opinione, quam de eo vulgus concipiebat. Quod ipsissimum est cum eo quod antè paulò è S. Gregorio adduximus. Quamobrem tam profundè nos in propria cognitione fundatos esse oportet, ut ne omnes quidem humanarum laudum atque æstimationum turbines, à nihilo nostro nos avellere, ac vel modicum dimovere possint: sed ad eas quamprimum erubescere, magisque inde confundi, scientes, hæc encomia falsa esse, neq; eam quam habere vulgò dicimur, virtutem in nobis habitare: tales denique non esse nos, quales mundus prædicat, & ipsi esse deberemus.

Caput XV.

Quarta pars secundi in Humilitate gradus est, ardenter desiderare contemni ac vilipendi, ac propterea gaudere.

Quarto contemptu gaudere.

1. QUarta pars secũdi quoad perfectionem humilitatis ascendamus, gradus est, desiderare ut nos homines despiciãt, & nullo in pretio habeant, deinde ipso dedecore, injuria, & vilipendio etiam lætari. Quam perfectionẽ S. Bernard. sic paucis definit: *Verus humilis vilis vult* ab aliis *reputari, non humilis prædicari*, sed vilis & abjectus, adhæc *gaudet de contemptu sui.* Hic, juxta primã distinctionem, secundus humilitatis est gradus, inq; eo ejusdem perfectio plane sita est.

Serm. 16. in Cãtic.

Humilitas est nardus, cur. Ser. 42. in Cantic. Cant. 1. 11.

2. Atque ideo eam ait nardo, herbæ quidem humili, sed mirè odoriferæ, juxta illud Canticorum, *Nardus mea dedit odorem suavitatis*, non incongruè comparari. Tunc quippe nardi humilitatis fragrantia & odor ad alios se diffundit, cùm non solùm teipse nullo in pretio habes, sed desideras & appetis etiam, ut & reliqui te despiciant, ac nullo in numero censeant.

Ser. 42. in Cantic. Humilitas alia intellectus alia voluntatis.

3. Ceterum, duas idem Doctor humilitatis species constituit: unam in intellectu residentem, cùm nimirum quis seipsum considerans, propriamque miseriam & abjectionem perspiciens, ab ipsa veritate ac lumine rationis convictus, se pro nihilo ducit, omnique ludibrio, infamia & contemptu dignum reputat. Alteram in voluntate, cùm etiam ab aliis contemni, atque ab omnibus vilipendi despicique desiderat.

Prior nō convenit Christo.

4. Primam intellectus humilitatem negat in Christo Redemptore nostro locum habuisse: quia ipse se non poterat ut vilem, omnique infamia atque ignominia dignum reputare: quoniam sciebat seipsum, seque verum esse Deum, Patriq; æqualem: unde Apostolus: *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Sed super eminenter fuit in ipso humilitas cordis & voluntatis: nam ex intenso, quo nos prosecutus est, amore, semetipsum voluit abjicere, auctoritate omni atque & honore exuere, & in oculis hominum vilissimus & mortalium contemptissimus haberi. Unde etiam de seipse in Evangelio testatur: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde* ac voluntate.

Philip. 2. 6.

Mat. 11. 29.

5. At in nobis, utramq; humilitatis speciē requiri, idē qui suprà Bern. docet: quia prima sine secunda falsa est, adulterina, & deceptoria. Velle enim videri & haberi alius quàm revera sis, falsitas est & impostura. Qui verè humilis est, qui verè demisse cōtemptimque de se sentit, qui seipsum ex animo vilipendit, & nullo in pretio habet, gaudere quoq; debet cùm ab aliis contemnitur ac nihili fit.

Humilitas utraque in nobis habere debelocum.

6. Atque hoc nos à Christo Domino discere oportet, utpote qui præclarum hujus nobis dedit exemplum. Videte enim, quam ex animo, quanto cum desiderio & voluntatis affectu omnem nostri causa despectum, contumeliam atque contemptum susceperit; ut satis ei non fuerit semetipsum exinanire atque annihilare, servi formam accipiendo (qui tamen cœli terræque est Dominus) sed insuper peccatoris habitum & formam assumere, unde de eo ait Apostolus. *Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati.* Non quidem assumpsit Dominus peccatum (nam illius non erat capax) peccatorum tamen signo & cauterio voluit signari: quia ut peccator voluit circumcidi, inter peccatores ac publicanos voluit baptizari, tamquam si unus de numero eorum foret; voluit & Barabbæ homini sceleratissimo postponi, eaque pejor vitaque indignior haberi. Denique tam ardens & vehemens fuit ejus, infamiā, opprobria, contemptū, improperia nostri causa patiendi desiderium, ut nimis quàm

Christus exēplar tolerandi contemptus fuit.

Rom. 8. 3.

Luc. 22. 15.

Ps. 68. 2

Thren.

quàm diu illa ei hora retardari ac differri videretur, qua, amore generis humani ebrius, posset, ad instar Noë, denudari, quò omniô sannis ac ludibrio exciperetur: *Baptismo*, inquit, *habeo baptizari*, baptismo inquã sanguinis, *& quomodo coarctor, usq; dũ perficiatur!* Et, *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum.* Ardentissimè inquã desideravi, illã toties mihi optatam horam adesse, in qua non nisi invisæ & inauditæ hactenus irrisiones, opprobria, improperia personabunt; in qua alapæ, percussiones, & colaphi mihi velut probrosissimo mancipio infringentur; in qua facies mihi ut blasphemo velabitur, alba veste ut fatuus, induar purpurea, ut rex quispiam scenicus; in qua, ut maleficos & fur flagris concidar; in qua denique medius inter latrones in crucem agar, quod mortis genus ea tempestate omnium probrosissimum & maximè infame passim reputabatur. Hoc scilicet erat, quod ardenti cum desiderio Redemptor noster Jesus identidem desiderabat. Unde in ejus nomine canit Regius Propheta: *Improperium exspectavit cor meum & miseriam:* idque tam cupidè, ac quis exspectat rem sibi gratissimam ac jucundissimam: nam circa tales versatur spes & exspectatio, uti timor circa tristes & afflictivas. Nec non Jeremias: *saturabitur opprobriis.* Exspectabat scilicet horam illam, ut in ea posset improperiis, irrisionibus, sanix & injuriis, quasi re quam summopere esuriebat, quæque & sapidissima simul & jucundissima nostri amore erat, exsaturari.

Luc. 12. 50. *Luc. 22. 15.* *Ps. 68. 21.* *Thren. 3.*

6. Quamobrem si ipsi Dei æterni filius intensè & ardenter ignominiam atque infamiam desideravit, nec minore eas cum gaudio ac voluptate nostri causa suscepit, quibus tamen nullo suo demerito dignus erat; haud sanè multum erit, si nos omni infamia & probrio dignissimi, illius causa, velimus saltem haberi id quod revera sumus, & quam commeriti sumus, infamia ac vilipendio gaudeamus. Sic se fecisse scribit Apostolus Corinthiis: *Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo.* Philippensibus quoque de sua captivitate & vinculis scribens, eos secum congaudere jubet, quòd Christi causa Romæ vinctus detineretur. Usque adeò scilicet in persecutionibus ac laboribus quos patiebatur, exultabat, ut aliquam gaudii sui partem posset in socios & amicos derivare, itaque eos ad secum exubrandum & gaudendum invitat.

Vt nos sequamur Christi exemplũ alacres. *2. Cor. 12. 10.* *Philip. 12.*

7. Hoc quoque lac est, quòd è sacratis Redemptoris Jesu uberibus Apostoli aliàs suxerunt: unde de ipsis legimus: *Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu concilii*, nempe præsidium & synagogæ, ac magnum id beneficium, delicias, ac gratiam prædicabant, *quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Horum deinde vestigiis & reliqui sancti institerunt: atque inprimis illustris ille Martyr Ignatius Antiochenus, qui dum Romam, ad martyrium subeundum, à lictoribus Imperatoriis raptaretur, & multis inju-

Exempla. *Act. 5. 41.*

riis & contumeliis per viam afficeretur, gaudens in Domino, identidem ingeminabat. *Nunc incipio Christi esse discipulus.* Hoc ipsum ut & nos imitemur, S. Parens noster Ignatius cum primis desiderat, ideoq; id verbis efficacissimis juxta & prægnantissimis seriò nobis inculcat. *Diligenter,* inquit, *advertant oportet, tam qui in Societatem recenter recipiuntur, quàm qui in ea jam degunt, magni faciendo, summique momenti id esse ducendo, in conspectu creatoris ac Domini nostri quantopere juvet & conferat ad vitæ spiritualis profectum, omnino, & non ex parte abhorrere ab omnibus quæ mundus amat & amplectitur, & admittere et & concupiscere totis viribus quidquid Christus Dominus noster amavit & amplexus est. Quemadmodum enim mundani homines, qui ea quæ mundi sunt sequuntur, diligunt & quærunt magna cum diligentia honorem, famam, magni nominis existimationem in terra, sicut mundus eos edocet: sic qui procedunt in spiritu, & serio Christum Dominum nostrum sequuntur, amant, & ardenter exoptant, quæ iis omnino contraria sunt: indui nimirum eadem veste ac insignibus Domini sui, pro ipsius amore ac reverentia: adeo ut, si sine offensione ulla divinæ Majestatis; & absque proximi peccato foret, vellent contumelias falsa testimonia & injurias pati, ac stulti haberi & existimari, nulla tamen ad id data per eos occasione, eo quod exoptant assimilari ac imitari aliquo modo Creatorem ac Dominum nostrum Iesum Christum, &c.*

Cap. 4. exa. §. 44. & regul. 11. summarii.

8. Hæc regula, brevi velut compendio complectitur, quidquid de humilitate dicere possimus. Et hoc est mundum, & quod is maximè & antè omnia spectat ipsum, inquam, honoris æstimationisque alienæ appetitum ac desiderium, vere reliquisse ac repudiasse. Hoc est, mundo verè mortuum, & verè Religiosum esse: nimirum ut, qua mundani homines honorem, famam, existimationem, contentionem & studio appetunt, iisque gaudent, ea nos infamiam, contemptum, & contumelias appetamus, iisque gaudeamus. Hoc est, verè Religiosum Societatis Iesu, & sectatorem Iesu esse: ut socii eius non solo nomine tenùs, sed & infamia, cōtemptu & despicientia simus; eiusque insignibus & veste induamur, una cum ipso & propter ipsum, à mundo contumeliam, injurias & contemptum excipiendo, ac de iisdem propter ipsum gaudeamus & exultemus.

Precatio pro humilitate.

9. Tu, Domine Iesu, publicè & coram omnibus, ut sceleratus es declaratus ac proclamatus, atque inter duos latrones, instar malefici in crucem actus; ne ergo permittas, ut ipse declarer habearque pro bono: neque enim fas est servum pluris fieri domino, nec discipulum super magistrum honorari. Itaque si te Dominum persecuti sint, & contempserunt; persequantur, contemnant, contumeliis excipiant & me, ut sic te aliquo modo imitari, tuusque discipulus & socius esse promerear. Sanctus P. Franciscus Xaverius rem esse dicebat indignam & intolerabilem, ut Christianus, qui Christo irrogata opprobria identidem animo & memoria versare debet, honoribus,

Matt. 10. 24.

lib. 1. c. 3. vitæ.

ribus, fama, humanisque laudibus delectetur.

Caput XVI.

Humilitatis, adeoque virtutum omnium perfectio in eo consistit, ut earum actus cum gustu & oblectatione quadam obeantur: quantique id ad in virtute perseverandum, referat.

Virtutis acquisitæ signum est facile & promptè eam operari.

1. Communis Philosophorum doctrina est, virtutis perfectionem in eo sitam esse, ut illius actus cum quadam animi lætitia & hilaritudine exerceantur: loquentes enim de signis, è quibus perspiciatur verène quis virtutis alicuius habitum acquisierit, illud inter reliqua ut certissimum ponunt, si virtutis illius actus *promptè, faciliter, & delectabiliter* exequatur. Quisquis artis alicuius aut scientiæ habitum jam plenè acquisivit, summa cum promptitudine ac facilitate eiusdem actus exercet. Sic videmus, musicum, quia artis musicæ habitū perfectè jam acquisivit, maxima cum facilitate & promptitudine, voce manuvé canere, nec ei præparatione præviaque cogitatione ulla opus ad hoc esse, adeò ut etiam longè alia mente agitans, non minùs scitè instrumentum suum pulset. Ad hunc igitur modum etiam virtutis actus operatur qui eiusdem habitum acquisivit. Quocirca si nosse velis, an humilitatis virtutem jam adeptus sis, vide ante omnia, ad actus illius promptè facilique negotio exequaris: si enim aliquam in oblatis illius exercendæ occasionibus difficultatem & repugnantiam sentias, signum id est, te perfectè virtutem nondum esse affecutum; ac, si ad eas prout oportet excipiendas, præventionibus ac reflexionibus te quibusdam communias necesse est, optima quidem id est ad persecutionem eius perveniendi via, certum tamen indicium, nondum eam te acquisiisse.

Simile de virtute perfecta & crescente.

2. Sicuti qui, ut citharam pulset, priùs accurate secum cogitat, quonam hunc, quonam illum digitum loco ponat, nec non præcepta magistri tunc in memoriam vocat; optimè quidem procedit, ut in arte pulsandi perfectus tandem evadat; signum tamen id est, nondum enim musices sibi habitum comparasse: quem si haberet, nihil horum ad bene pulsandum præcedere opus foret. Vnde rectè Aristoteles: *Ars perfecta non deliberat: tam sibi facilis est actus suus.* Id est, qui perfectè artis alicuius habitum sibi acquisivit, tam facilè eiusdem actus obit, ut eum necesse non sit præcogitare ac deliberare, qua ratione eos rectè obeat.

3. Physi. c. 8.

Aliud signū virtutis in statu perfecto.

3. Philosophorum quoque doctrina est, ex actibus repentinis & indeliberatis virtutem cuiuspiam optimè perspici: *In repentinis*, inquiunt, *secundum habitum operamur*. In iis quæ magna cum prælusione & deliberatione quis agit, virtus eius non agnoscitur, sed in iis quæ subitò & in præmeditato.

l. de profect. morum.

Aliud signū eius.

4. Vlteriùs etiam iidem Philosophi procedunt. Nam Plutarchus docens, quanam è re optimè perspici queat, num virtutem quis acquisierit, duodecim eius adfert signa: & horum

horum *unum* esse ait, à Zenone Philosopho aliàs traditum, somnum: si nimirũ in somnis secundùm quietẽ, nullo teprave motus, nulla fœde atq; inhonestæ imagines infestent; aut, si quidem occurrãt, nullã omnino in iis voluptatem oblectationemvẽ sentias, sed dolorem & molestiam; adhæc & interdormiendum tentationi delectationiq; non secùs resistas, quàm si vigilares; signum id est, virtutem in anima tua profundè radicatam esse, nec voluntatem solam, verùm etiam sensualitatem & imaginationem rationi subditam esse. Sicut enim equi ad currum jugati, cùm egregiè domiti sunt, & ad hoc opus longò jam usu veluti facti, etiam auriga frenos laxante, & dormiente, iter suum rectè & sine errore prosequuntur: ita qui perfectè (ait Plutarchus) virtutem adepti sunt, omnesque affectus & appetitus brutales jam edomitos & planè subactos habent, etiam dormientes in cœpto cursu procedunt, officioque funguntur suo. Eadem quoque est doctrina Sancti Augustini, dicentis: *Domine memores mandatorum tuorum, etiam in somnis resistimus.* Tanto quippè virtutis ac mandatorum divinorum adimplendorũ desiderio affectuque nonnulli Dei servi tenentur, usque adeo vilium omne detestantur, tantumque tentationibus inter vigilandum resistendi jam usum & consuetudinem contraxerunt, ut etiam in somnis eis reluctari possint.

l. 12. in Gen. ad litt. c. 15.

5. De S. P. Francisco Xaverio proditum est, eum cum impura ei species & illusio per somnium fuisset à Cacodæmone objecta, tanta ei vi restitisse, ut præ obluctationis vehementia, multa ei è naribus copia sanguinis proruperit. Atque hoc in sensu exponitur à nonnullis illud Sancti Pauli: *Sive vigilemus, sive dormiamus, simul cum Christo vivamus.* Quasi non solùm velit dicere, ut viventes & morientes semper cum Christo vivamus (quæ quidem litteralis & communis est expositio;) sed etiam ferventes Dei servos Christum semper præ oculis habere debere, non inter vigilandum solùm, sed inter dormiendum & in somnis.

l. 6. c. 6. vit.

Exemplum.

1. Thes. 5. 10.

6. Adjiciunt his etiam aliud virtutis perfectè acquisitæ signum, & conditionem (quod ordine tertium est) Philosophi: cùm nimirum eius actus quis peragit delectabiliter. Quod quidem reliquorum signorũ certissimum est, & in quo ipsa virtutis perfectio consistit. Quare, si nosse cupis, an humilitatis virtutem perfectè sis adeptus, te juxta regulam Superiori capite positam examina, vide inquam num ita gaudeas contemptu & insania, ut mundi sectatores honoribus, & illustri nominis sui celebritate.

Optimũ signũ adeptæ virtutis, eũ gaudio eam exercere.

7. Porrò præterquam quòd hoc sit ad perfectè virtutem aliquam adipiscendam necessarium, aliud in eo commodum, & quidem non exiguum, reperitur, nimirum, id omnino conferre, ut in eius colendæ proposito perduremus, & ad finem usq; perseveremus: quamdiu enim huc non pervenerimus, ut virtutum actus aliqua cum delectatione & gaudio exequa-

Vnde etiam est præsumptio de constantia.

exequamur, perdifficile erit in virtute perseverare.

8. Quam etiam S. Dorotheus communem veterum illorum Anachoretarum tradit doctrinam fuisse: *Solebant*, inquit, *Patres & majores nostri firmiter*, ceu indubitatam veritatem, *asserere, quidquid animus alacriter* & gaudenter *non admittit, diuturnum esse non posse*. Poteris quidem ad aliquod tempus servare silentium, & cum modestia & recollectis sensibus incedere; verùm, quo adusque ex intimo cordis id procedat, & longa cõsuetudine tibi fiat quodammodo naturale, itaque id cum gustu ac delectatione quadam agas, diu in eo non perdurabis: erit enim velut coactum & violentum quid: atqui nullum violentum perpetuum est: Quare permagni interest, nos ipsos identidem & omni constantia in virtutum actibus exercere, quoadusque virtutem velut imbibamus, itaq; profundè cordi ipsa insculpatur, ut, cùm aliquos eius actus exequimur, illi ex nativa indole, & ingenito cõnaturaliq; nobis habitu proficisci videantur; itaq; fiet ut eos cũ gaudio & delectatione obeamus. Hac enim ratione secum & certi aliquo modo esse poterimus, in ea nos ad finem usq; perseveraturos. Insinuare hoc Regius Propheta voluit, dum initio psalmorum suorum justo hoc elogium: *sed in lege Domini voluntas eius*; vel, ut vertunt alii, *voluptas*, gaudium & delectatio *eius*: is quippe bonorum operum in tempore suo fructus effundet, *tamquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum*.

Exemplum. Nihil diuturnum nisi quod libenter agis. 1. Thess. 10. serm. 10. Optimũ signũ adeptæ virtutis, eũ gaudio eam exercere. Vnde etiam est præsumptio de constantia. Psal. 1.

CAPUT XVII.

Planiùs declaratur perfectio ad quam in secundo hoc humilitatis gradu ascendere omni nobis studio connitendum est.

1. ALiud ad ea quæ hactenus à nobis dicta sunt, addit Ioannes Climacus; nimirum, quemadmodum superbi adeò efflictim honorem & ab aliis æstimari appetunt, ut, quò sibi maiorem honorem & nomen illustrius apud eos parent, sæpe etiam id habere se mentiãtur, & præferant exteriùs, quod revera non habeant, v.g. maiorem nobilitatem, ampliores opes, plures dotes & talenta, aliaque id genus, quàm de facto habent; ita altissimã & profundissimam humilitatem esse, si quis tam intensum cõtemptus ac vilipendii sui habeat desiderium, ut, quo eò pertingat, & contemnatur, certis in casibus eos se fingat habere, & etiam de se narret, defectus, quos de facto non habet, ut sic minoris ab audientibus pendatur.

2. Rei huius exemplum, inquit, habemus in Anachoreta Simeone: qui cum intellexisset provinciæ illius præfectum ad se, velut virum illustrẽ & sanctum, visendum excurrere; accepto mox in manus frusto panis & casei, ante cellæ fores ipsum adeò insulsè comedit, ut eo viso præfectus, eum ut fatuum despexerit. At gavisus est in sinu Simeon, quod voti, quo contemni stultusque reputari volebat, hoc pacto compos esset redditus.

cap. 25. de humil. circa finem. Humilis affingit sibi mala, uti superbi bona. Humilis affingit sibi mala quæ non habet. Exemplũ Simeonis stultum se simulantis.

redditus. Similia de aliis sanctis exempla in historiarum monumentis quàm plurima legimus; inprimis de Minorum Patriarcha Francisco, qui per viam lutum, velut pastam farrinaceam, pedibus subegit, quo honorem qui sibi passim deferebatur, & iam de nouo parabatur, hoc facto declinaret. Nec non de B. F. Iunipero, qui eandem ob causam cum pueris pueriliter in oculis omnium videre veritus non est.

1. p. l. 1. c. 72. Chro. Min.

Cur sancti mundum despexerint

3. Considerabant hi sancti, ipsum æterni Dei filium, summum illud & infinitum bonum, dum in terris ageret, maximopere à mundo despectum fuisse; ipsum præterea mundum adeò mendacem & fallacem esse, & simul tanta cæcitate laborasse, vt illustrissimã illam lucem (ipsum inquã, æternũ lumen de lumine) non cognouerit, nec honorarit eum qui ipsissimus ac verissimus erat honor; ideoq; tanto ipsum, eiusque honorem & famam odio prosequebantur, vt, quod toto is affectu complectitur, illi odio plusquam Vatiniano detestarentur: quod verò abhorret & abominatur, illi summo in pretio haberent, atque ambabus (vt aiunt) vlnis complecterentur atq; idcirco tam impensè fugiunt & honorari, magnifieri & in pretio haberi, ab eo, qui Deum ac Dominũ ipsorum tam contemptim & propudiose habuit.

Etiã despici adamaverint

4. Quin vt certissimum affectus & amoris Christi erga ipsos signum ducunt, quod vna cum ipso, & propter ipsum, à mundo despectui habeantur. Atq; hæc est causa, cur Sancti & serui Dei opprobriis, contumelia, & infamia à mundanis hominibus irrogata tantopere delectarentur, omnemque per occasionem ad hunc despectum sui pertingere allaborarit, nec ante quiescerent, quam voti sui fierent compotes.

Cautetamen Heroica quædam SS. Exempla sunt inspicienda.

5. Fateor quidem (ait Climacus,) multa horum è peculiari spiritus sancti instinctu impulsuq; facta esse, atq; ideo admiranda potiùs quam imitanda videri; tamen, etsi de facto sanctas illas fatuitates, quas ipsi subinde intermiscebant, non exerceamus, nihilominus in intenso illo amore & desiderio, quo contemni despicique quam ardentissimè desiderabant, eos vt assequamur & æmulemur, procurare omnimodis nos oportet.

l. de perfect. spirit. c. 95. Quia duplex est humilitâs Incipientium & Perfectorum.

6. Vlterius progreditur S. Diadochus, duasq; humilitatis constituit species: vnam mediocrium, perfectorum alteram. *Prima est proficientiũ* quidem assiduò, verum tamen continuo in conflictu agentium, atq; à cogitationibus superbiæ prauisq; motibus identidẽ oppugnatorum, tametsi cum Dei gratia illis resistere, & à se generosè repellere, numquam non se humiliando confundendo, comitantur. *Altera perfectorum*; cùm nimirum tantam Deus Opt. Max. homini intus lucem suiq; cognitionem infundit, vt iam ipse sibi nullatenus superbire, nec vlli superbiæ aut elationis motus in anima sua suboriri posse videantur. Et tunc anima velut naturalem humilitatem habet: quamvis. n. heroica & illustria opera varia exequatur, propterea se nec effert, nec pluris facit, sed omnium potiùs minimam reputat.

7. Atq;

Discrimen utriusque humilitatis, prior turbatur adhuc.

6. Atque hoc inter duplicem hanc humilitatem esse ait discrimen, quod *prior illa* ut plurimum dolorem, tristitiam, molestiamve aliquam comitem habeat, cùm in illis potissimum reperiatur, qui nondum perfectam de seipsis victoriam sunt consecuti, sed adhuc aliquem in se contradictionem ac rebellionem sentiunt: hanc enim unam molestiæ ac tristitiæ illius, quæ, aliquâ humiliationis & despicientiæ occasione se offerent, exsurgit causam esse; nec non efficere, ut, tametsi eam patienter excipiat, non tamen cum gaudio & alacriter: quod intus sit, nescio quid, quod aliquo modo obluctetur ac repugnet, quia scilicet passiones nondum planè edomitæ ac subactæ sunt.

Perfectè humilis nullis rebus turbatur, imo beatus est.

Altera verò nullam prosus sentit molestiam aut repugnantiam, sed magno potiùs cum gaudio, in illa confusione & opprobrio coram Domino, illaque despicientia contemptuque sui homo versatur; quod nihil in se habeat, contra obnitens ac repugnans, passionibus nimirum & vitiis in contrarium tendentibus, jam subactis & edomitis, perfectaque de seipso victoriâ relata. Hæc quoque causa est, cur qui primam illam humilitatem habent, per adversitates prosperitatesque, ac diversos vitæ hujus successus & vicissitudines perturbentur ac mutentur: at secundam habentes nec adversis turbantur, nec in prosperis elevantur, insolescunt, superbiunt, vanoque aliquo gaudio efferuntur, sed in eodem statu constanter permanent, magnaque animi pace ac tranquillitate perfruuntur, ut qui jam ad perfectionis culmen pervenerunt, omnibusque rerum successibus sunt Superiores. Cupientem nihili fieri, despectuque irrogato lætantem, nihil omnino inquietat aut affligit: nam si, quod eum aliquatenus affligere, dolorisque alicujus esse posset occasio, sui scilicet apud alios oblivio, præteriti ac contemptus, hoc ipse quàm ardentissimè concupiscat, eoque summopere gaudeat ac delectetur; quid tandem inquietem ei molestiamvè ullam inferat? si in eo, in quo eum homines aliquomodo vexare & affligere posse videntur, magnam ipse pacem sentit, nemo certè suam ei pacem poterit eripere. Unde S. Chrysostomus tales quendam paradisum & beatitudinem in terra invenisse asserit. *Anima*, inquit, *quæ sic se habet, quid potest esse beatius? quicumque talis est, in portu continuo sedet, ab omni tempestate liber, & in serenitate cogitationum oblectatur.*

Ho. 9. in Gene.

Perfectorum humilitas etiam est cuiq; possibilis.

7. Ad hanc ergo humilitatis perfectionem ut pertingamus, omni contentione anniti debemus: neque id nobis impossibile videatur: nam, Dei opitulante gratia, non sanctos solùm, sed & omnium Sanctorum Dominum, siquidem velimus, posse nos imitari, docet S. Augustinus cùm hic ipse Dominus disertè in Evangelio nos jubeat à se discere, suumque exemplum imitari: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Et S. Petrus eum nobis exemplo præivisse dicit, ut sic nos ad sui imitationem pro-

ser. 47. de sanctis.

Matt. 11. 29.

Provocaret: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* S. quoque Hieronymus super illud Salvatoris: *si vis perfectus esse*; ex his verbis manifestè ait colligi, in nostra perfectionem manu potestateque sitam esse, cùm Redemptor dicat. *Si vis. Quia si dixeris*, inquit, *vires non suppetunt, qui inspector est cordis, ipse intelligit*, & cùm norit infirmatatem nostram, dicit, posse te, si velis: ipse enim paratus est nos juvare, dummodo ipsi velimus, cùm ejus autem ope & subsidiis nihil non poterimus. Vidit, inquit idem, Jacob Patriarcha scalam à cœlis ad terram usque pertingentem, per eamque ascendentes ac descendentes Angelos, illius autem summitati & fastigio omnipotentem Deum super incumbentem, ut ascendentibus manum auxiliatricem porrigeret, suaque præsentia eis animos ad ascendendum adderet. Per hanc igitur scalam tu ascendere procura, & per eos quos hactenus exposuimus gradus: aderit ipse, manumque auxiliatrem tibi extendet, ut ad ultimum usque gradum pertingas. Si naviganti enim portus aliquis æquo altior appareat, illuc ingredi se navigio posse diffidit; at ei jam factus vicinior, viamque adapertam videns facilem ejus ingressum esse deprehendit.

1.Pet.1. 21. / Hieron. Matt. 19. 21. / Prov. 24. 12. / Gen. 28.

Caput XVIII.

Aliquot dantur media, ad secundum hunc humilitatis gradum pertingendi, atque in primis Redemptoris nostri exemplum.

1. AD virtutes morales consequendas duo communiter mediorum genera suggeri solent: *unum* sunt rationes & considerationes nonnullæ, quibus convincamur, permoveamur, & ad virtutem illam amplectendam velut impellamur: *alterum*, exercitium continuisque ejusdem actuum usus, utpote quibus ejusdem habitus paratur.

Duplicia sunt media virtutum moralium.

2. Ut ergo nos à primo ordiamur, dico, inter omnes considerationes, quibus ad humilitatem profundissimam amplectandam moveamur, admodum efficacem & notabilem, aut potiùs omnium primam & efficacissimam esse, ipsum Redemptoris ac magistri nostri Jesu Christi exemplum: de quo licet jam supra nonnulla dixerimus, semper tamen plura dicenda remanent. Omnis certè ipsius vita, perfectissimum fuit humilitatis exmplum, jam inde à tempore quo in mundum natus est, usque ad spiritus in cruce exhalationem. Verùm B. Augustinus præcipua quadam ratione quoad hanc materiam ponderat exemplum illud, quod in discipulorum pedibus feria V. in cœna Domini, cùm jam morti proximus esset, abluendis, nobis dedit. Christus, inquit, contentus non fuit totius vitæ Superioris

Inter media considerationis optimum est Vita pro Christi humilitate.

l. de S. Virginitate.

rioris exemplis, uti nec illis quæ in passione sua jamjam instante erat daturus; utpote in qua, uti prædixerat Isaias, pati debebat ut *novissimus virorum*; &, uti Propheta Regius, ut *opprobrium hominum & abjectio plebis.* Sed *sciens Iesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos, in finem dilexit eos: & cœna facta, surgit à cœna, & ponit vestimenta sua: & cum accepisset linteum præcinxit se: deinde mittit aquam in pelvim:* & ad *pedes discipulorum* etiam perfidi Judæ, provolutus, *cœpit* eos *lavare* manibus suis divinis, *& extergere linteo quo erat præcinctus.* O grande mysterium! quid hoc est Domine? quid agis? hinc exclamat, stupendam hanc humilitatem obstupescens, Petrus *Domine tu mihi lavas pedes?* Non capiebant scilicet discipuli, quid ageret, unde respondet ei Dominus: *Quid ego facio, tu nescis,* nec intelligis *modò scies autem*, & intelliges *postea*, nam id tibi declarabo: Quare resumptis vestibus *cùm recubuisset iterum*, ipsis mysterium enucleatè declaravit. *Vos vocatis me magister & Domine: & bene dicitis: sum etenim: si ergo ego me humiliavi, abjeci, & lavi pedes vestros dominus & magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes, exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Hoc, inquam mysterium est, ut vos humiliare discatis, sicut ego me humiliavi.

Isai.53.3.
Psal.21.7.
Ioan.13.1
Ioan.13.7.
Ioan.13.13.

3. Tantum scilicet ex una parte humilitatis est momentum ac necessitas, & ex altera tantam ea difficultatem involvit, ut ad eam inculcandam nobis, satis Domino non sint exempla quæ hactenus in vita sua nobis dederat, quæque tam ad manum habebat ad nobis danda: sed, quia debilitatem nostram optimè noverat, cordisque nostri pulsu explorato, perspexerat malignitatem humoris, qui hunc nobis languorem afferebat; hinc toties huic parti manum admovet, & inter testamenti sui legata tanquam ultimæ voluntatis suæ tesseram, eam nobis commendat, ut cordi nostro profunderis insculpta maneret.

Difficultas cordis humani ad humilitatem amplexandam.

4. Super priùs allata Domini verba, *Discite à me quia mitis sum & humilis corde*, sic exclamat Sanctus Augustinus. *O doctrinam salutarem! ô magistrum Dominumque mortalium, quibus mors poculo superbiæ propinata atque transfusa est! Quid ut discamus à te venimus ad te? quòd mitis sum & humilis corde*, hoc à me discatis oportet. *Huccine*, instat, *redacti sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ* Patris *absconditi in te, ut pro magno discamus à te, quoniam mitis es & humilis corde? Itane magnum est esse parvum, ut nisi à te, qui tam magnus es, disci omnino non posset?* Est, ait idem alio in loco, tam arduum ac difficile sese humiliare & parvifacere, ut, nisi se Deus humiliasset, parvique fecisset, numquam homines ad se humiliandos induci potuissent. Nihil enim cordi ipsorum insidet profundiùs, nihil

Matt. 11, 29.
l. de sancta vir. c.34.
Optimè à Christo discitur.
ser.1. Domi.2.in Quad.

visceribus adhæret tenacius, quàm honoris ac magni apud homines nominis appetitio. Vnde totum illud fieri ac præmitti debuit, vt hac ratione humilitatem disceremus: Talem superbiæ nostræ morbus medicinam exigebat; tali plagæ tale applicandum erat malagma. Quare si *hæc*, addit idem Doctor, *medicina*, quod nimirum Deus nostri causa homo factus est, & tam profundè se abiecit ac depressit, *superbiam* nostram *non curat*, quid demum *eam curet, nescio*. Sanè, si Dominum maiestatis tam despectũ, humiliatum & abiectum videre, satis per se non sit, vt nos honorem & nominis æstimationem ambire ac concupiscere pudeat, & non libenter cum illo, & pro illo, contemni, vilipendi, nullius pretij æstimari velimus; quid tandem esse satis possit, prorsus ignoro. Vnde & Guerricus Abbas, tam eminenti ac rare humilitatis exemplo obstupefactus, & conuictus, exclamat, quod & nos singulos exclamare, & hinc elicere par est: *Vicisti, Domine, vicisti superbiam meam, pedes mihi* ac manus exemplo tuo ligasti: *ecce do manus in vincula tua, accipe* me in *seruum* tuum *sempiternum*.

Guerricus.

ad finē ope S. Bernar.

5. Admiranda quoque est super hac ipsa re S. Bernardi consideratio. Vidit, inquit, Deus Opt. Max. duas creaturas nobiles, ratione præditas, & beatitudinis capaces, à se conditas, ideò perire, quòd illi esse vellent similes. fecerat enim Angelos, & ecce Lucifer quamprimùm Deo vult fieri similis, aitquè: *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis: ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altißimo.* Hæc dicens, intumuit, aliosque in partes suas pertraxit. vnde eos Altissimus quamprimùm ad inferna deturbat, & ex Angelis facti sunt cacodæmones. *Verum tamen ad infernum detraheris, ad profundum laci.* fecerat Deus & hominem &, ecce, ilicò, Satan suam eis lepram afficiat & venenum instillat, suggerens, *Eritis sicut Dij scientes bonum & malum.* Hoc audito, inescati, mandatum Dei transgressi sunt, & cacodæmoni facti sunt similes. Giezi Elisei puer, acceptis à Naaman leproso clàm muneribus, à magistro suo mox audiuit: Quia Naaman dona accepisti, *propterea adhærebit tibi & semini tuo lepra Naaman in sempiternum*, Talis fuit & in præuaricatorem hominem à Deo prolata sententia, vt nimirum quia Luciferi diuitias, superbiæ inquam culpam, sibi appetijt, etiam eiusdem lepra, pœna videlicet peccati, ei adhæresceret.

serm. 1. de Aduent.

Dæmon & homo ob superbiam periere.

Isaia 14. 13

Reparatur qui cum imitatur. *Serm. 3. super missus est. Isaia 96.*

4. Reg. 5. 27

Matth. 18. 3

6. Hinc ergo vides, deò hominem perditum, & dæmonibus similem factum esse, quia voluit similis esse Deo. *Quid ergo agat filius Altißimi*, quærit S. Bernardus, *videns pro se zelare Patrem, & nulli penitus parcere creaturæ? Ecce, inquit, occasione mei creaturas suas pater amittit: altitudinem meam primus Angelus affectauit: sed continuò Patris Zelus grauiter vindicauit in illum. Scientiam quoque, quæ nihilo minor est mea, surripere voluit homo, & ne illi quidem misertus est* Pater *omnes inuident mihi*, & mei esse similes volunt. *Ecce ergo tandem venio, & talem eis exhibeo meipsum, vt, quisquis inuidere voluerit,*

Sed hominem Fili⁹ Dei reparauit humilitate sua.

Varia sũ motiva ad Humilitatē divina & humana.

voluerit, ut, quisquis gestierit æmulari, fiat ei æmulatio ista in bonum. Propterea videlicet Dei filius *descendit de calis & homo factus est.* Benedicta igitur, super exaltata & glorificata sit tanta bonitas ac misericordia; qua Deus appetitui nostro, quo ei volebamus esse similes, ultro obsecundando condescendit: quia jam non falsò & mendaciter, (uti olim promittebat diabolus) sed verè & de facto; non in superbia & malitia, sed magnam per humilitatem & sanctitatem, DEO possumus similes esse.

[Reparatur qui eum imitatur. Serm. 3. super miss. est. Isaia 96.]

7. Vnde idem Bernardus, Illud Isaiæ, *Parvulus natus est nobis*, pro concione exponens ait: Cùm Deus tam magnus existens, se pro nobis fecerit parvulum, *studeamus effici sicut iste parvulus; discamus ab eo, quia mitis est & humilis corde, ne magnus Deus sine causa* & frustra *factus sit homo parvulus* & puer: *quia nisi efficiamini sicut parvulus iste*, & ut parvuli humiliemini, *non intrabitis in regnum cœlorum.*

[Matt. 18. 3]

CAPUT XIX.

Proponuntur & nonnullæ rationes ac considerationes humanæ, quibus ad humilitatem sectandam ipsi nos provocare debemus.

[Varia sũt motiva ad Humilitatẽ, divina & humana.]

1. IAm inde ab initio huius tractatus, varias ac multas rationes & considerationes adduximus, quæ ad hanc humilitatis virtutem capessendam & colendam non mediocriter nos possint animare, quòd nimirum ipsa sit virtutum omnium radix ac fundamentum, nec non regia ad eas perveniendi via, optimum item earum conservandarum medium; adhæc, si hanc unam habeamus, mox etiam ceteras habituri simus, & alia eiusmodi. Verumtamen, ne omnia per solam spiritus viam evincere & persuadere velle videamur; non erit profectò inutile, etiam humanas aliquot rationes & considerationes in medium adferre, utpote quæ imbecillitati nostræ magis sunt connaturales, & majorem cum ea convenientiam & analogiam habent: ut sic non modò per argumenta rationesq; spirituales ac perfectionis, sed & ab ipso naturalis rationis pondere convicti, ad honores æstimationemque mundanã vilipenda, humilitatisq; viæ insistendum, magis excitemur & afficiamur. Nam ad rem tam arduam atque hæc est, homini persuadendam omnia undequaque media & argumentorum momenta sunt accersenda. unde omnigena huc adferre, certe non absre erit.

[Consideratio, quã res vilis sit honor & humana existimatio.]

2. *Primum igitur sit*, ut maturo examine, multaque animi attentione nobiscum dispiciamus & excutiamus, quid tandem isthæc hominum opinio æstimatiove, quæ tantopere nos exagitat & infestat, itaque nos occupatos habet, in se sit, cuiusque in se valoris & ponderis, ut ita eam pro merito, dignitate, ac pro eo quod est æstimemus, ad eam contemnendam ac detestandam animemur; & ab ea fascinari inescarique tandem desinamus. Verissime sanè scripsit olim Seneca, multa à nobis grandia reputari, non tam quod verè grandia in se

[Seneca.]

 sint,

sint, quam quod ea nostra sit vilitas, animique abjectio, ut, quod parvum est, magnum; quod modicum, multum nobis appareat. Idque commonstrat exemplo ponderis quod formicæ convehunt, quod, siquidem corpusculi ipsarum exiguitatem consideremus, permagnum esse censemus. Eodem planè modo in humanis laudibus & honoribus contingit. Peto ergo à te, num, quia aliquo in pretio ab aliis haberis, ideo sis melior; aut quia despicatui duceris, deterior? Minimè verò. Aurea quoad hoc gnome est. S. August. *Nec malam conscientiam sanat præconium laudantis, nec bonam vulnerat opprobrium conviciantis*: Vti & hæc: *Senti de Augustino quidquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset.* Hæc solum ad rem facit; cetera, nonnisi vanitas: unde nec addunt, nec tollunt quidquam. Hoc item est quod sanctus ille scriptor ait: *Quantum unusquisq; est in oculis Dei, tantum est, non amplius, ait humilis S. Franciscus*; aut potius ipse Apostolus qui ait: *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.*

l.3.cont. ep. Periliani.

l.1.contra secund. div. Manit. c.1.

Thom. à Kempis l. 3 c.50.

2. Cor. 10. 18.

3. Eleganti hoc ipsum declarat idem August. similitudine: *Est*, inquit, *superbia, non magnitudo, sed tumor, & inflatio*: *Quod autem tumet, videtur magnum, sed non est sanum.* Ad eumdem modum superbi, qui ab hominibus in pretio & numero habentur, magni de foris videntur, attamen non sunt: neque enim vera magnitudo ea est, sed tumor. Sunt quidam morbidi, semiconvalescentes, qui pingues & bene sani exteriùs apparent; sed non est de bona, at malesana pinguedo, & nonnisi mera inflatio. Pari modo se res habet in mundanorum laudibus & applausu: inflare is te potest, non magnum reddere. Quod si ita est, (uti revera est) nimirum opinionem & æstimationem popularem non magnitudinem esse, sed inflationem & infirmitatem; cur adhuc, chamæleontis in morem, ore patulo ventum tam perditè captamus, à quo inflemur & morbum contrahamus? ut enim præstat sanum esse, & infirmum videri; quàm ægrum esse, & apparere sanum: ita satius est, bonum esse, etsi pro malo reputeris; quam perversum esse, & sanctum haberi. Quid enim tibi profuerit, virtute præditum & in rebus spiritus versatum virum haberi, si revera non sis? S. Hieronymus illud Sapientis de muliere forti, *Laudent eam in portis opera eius*, sic exponit: Non te coram divino tribunali laudabunt & juvabunt laudes & favores supervacui hominum, sed bona opera quæ in vita fecisti.

serm. 16. de temp. Simile, superbia similis inflato corpori.

S. Hieron. Prov. 31. 31.

4. Refert S. Gregorius, fuisse in quodam Iconii monasterio monachum, quem omnes vulgò ut sanctū suspiciebant, maximè verò austeritatis & pœnitentiæ nomine celebrem. Hic morti factus vicinus, fratres omnes ad se vocat: qui rati se ab eo insigne quoddam ad ędificationem documentum audituros, alacres accurrunt. Verum ipse toto corpore tremens & ab internis angoribus undique pressus, introrsum à Deo impulsus fuit, animæ ipsis suæ statum patefecere. Vnde palam omnibus inclamat,

l.4. dial. cap.38. Exemplū inflati, non sani.

clamat, æternæ se esse damnationi divina sententia addictum, quod omnia sua opera nonnisi mera hypocrisis & simulatio fuissent; nam, cum à fratribus jejunare, & inedia abstinentiaque sese conficere credebatur, tunc clam aliis nullo conscio, egregiè ventrem replere consueverat. Vnde, ajebat, nunc ad devorandum draconi traditus sum, qui cauda sua mea genua pedesque colligavit, caput vero suum intra meum os mittens, spiritum reum ebibens extrahit. Atque his dictis, infelicem animam suam omnium cum pavore & consternatione reddidit. Quid, obsecro, misero huic profuit sanctitatis vulgò nomen habuisse?

l. de simili c.17

Aliæ similitudines declarantes superbos.

5. S. Anselmus verò superbos & miseros gloriæ aucupes *pueris* comparat papiliones efflictim captantibus: alii vero Patres *araneis*, qua se telæ texendæ causâ eviscerant, & nonnisi ad captandas muscas: juxta illud Isaiæ Prophetæ: *Telas araneæ texuerunt*. Parimodò superbus se eviscerat, & interiora omnia & præcordia velut profundit, ut pauxillum fumi & nominis humani consequatur.

Isa. 59.5.

l.6.c.8. vitæ.

S. Franciscus Xaverius singulari semper odio & horrore hunc magnæ opinionis & æstimationis apud homines appetitum legitur aversatus, ac ipsum maximorum malorum causam, plurimorum vero bonorum impedimentum vocare consuevisse. unde subinde ab astantibus magno cum affectu & gemitu exclamare auditus est, quantum, ô hominum opinio, & vana æstimatio, malorum hactenus in mundo fecisti, & modò facis, & postmodum adhuc factura es!

Caput XX.

De aliis rationibus humanis, nobis usui futuris, ut humiles simus.

hom. 2. in epist. ad Rom. c. 12.3.

Superbus est stultus.

1. S. Iohannes Chrysost. exponens illa Apostoli verba, *Non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*; egregiè demonstrat, superbum & arrogantem hominem, non perversum modò esse & peccatorem, sed & stultum: quod illo Isaiæ Prophetæ loco comprobat: *Stultus enim fatua loquitur*, & ex ineptiis quas profert, fatuitatem eius deprehendes. Sic considera ineptias quas superbus & arrogans profert, & quàm is fatuus sit, facilè colliges. Audi quid omnium superborum primus & antesignanus Lucifer dicat. *In cælum conscendam super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Quid stultius? Capite verò decimo affert is ipse Isaias arrogantia & falsa Regis Assyriorum verba, quibus stultissimè hic se jactabat, quòd potenti dextera sua omnes in circuitu reges debellasset, suoque imperio subegisset: *Et invenit quasi nidum manus mea, fortitudinem populorum: & sicut colliguntur ova quæ derelicta sunt, sic universam terram ego congregavi, & non fuit qui moveret pennam, & aperiret os, & gänniret.* Quæ dari fingive maior, rogat Chrysostomus, stultitia potest? unde & ibidem verba aliorum superborum

Isa. 32.6.

Isai. 14.13.

Isai. 10 14.

borum vanæ oſtentationis plena adducit, in quibus ſuam illi fatuitatem ſatis evidenter produnt. Quare, ſi ſuperbi cuiuſdam verba audias, vix diſcernere poteris, hominiſve ſuperbi ea, an eius qui verè fatuus eſt, ſint: adeò ſcilicet ſtolida & inſulſa ſunt.

Alvar. de Paz. 10. 2. l. 4. p. 1. c. 9.

Hinc etiã ſuperbi ſunt ridiculi.

2. Atque ut fatui ineptiis ſuis, & ſtultis qua dictis, qua factis nobis riſum movent: ita & ſuperbi amplam ridendi explodendique, ſui materiam ſuggerunt tum per arrogantia ſua verba, quæ ad laudẽ propriam compoſita habent, tum per arrogantes geſtus affectatum & thraſonicum inceſſum, tum per opinionem quam ſui ſuarumque rerum haberi volunt, tum denique per vanam illam complacentiam quam ipſimet de iis concipiunt. Addit S. Chryſoſtomus, ſuperbi fatuitatem deteriorem, maioriq; vituperio probroque dignam videri, quàm eam quæ à natura accedit: nam nullam hæc culpam peccatumve ad nexam habet, illa ſemper aliquam. Vnde ſequitur & aliud inter ambas has fatuitates diſcrimẽ; quòd naturalis ad commiſerationem & compaſſionem excitet omnes quotquot hos fatuos vident; ſuperborum verò adeò neminem compatientem & commiſerantem habeat, ut riſu potiùs & exſibilatione omnium excipiantur.

Hom. 29. ad pop. Antioch. tom. 5.

Et cum ſuperbis, ut cum ſtultis agimus.

3. Superbi ergo ſtulti ſunt, & nõ aliter cum illis agendum, quàm cùm his: nam ſicut ad ſtulti ſenſum & dicta haud ægrè condeſcendis, ut cum illo pacem habeas, etiamſi quæ dicit, talia non ſint, nec ipſe verè ita ſentias; ideò tamen ei refragari & contradicere non audes, quia ſtultus eſt: ſic cum ſuperbis agimus. Et verò uſque adeo huiuſmodi veſania & fatuitas hodie per orbem invaluit, ut vix cum quoquam hominum ſine aſſentatione aliqua imò & mendacio, poſſimus loqui, ea illis honorificè arrogando, quæ de facto ipſis non inſunt, nec habere eos tute credis. nam ei quocum agis, adeò volupe eſt, audire ſua tam verba, quàm opera aliis placere ad bona videri, ut ad ei ſatisfaciendum, eumque tibi obſtringendum aptiorem non habeas modum, quàm eum in facie laudare & deprædicare. Atque hæc una de fatuitatibus & vanitatibus eſt, quas ſe in mundo comperiſſe ſapiens teſtatur, *Vidi impios*, inquit, *ſepultos, qui etiam cùm adhuc viverent, in loco ſancto erant, & laudabantur in civitate, quaſi juſtorum operum, ſed & hoc vanitas eſt.*

Eadem ſuperbi ſtultiores efficiuntur

Eccl. 8. 10.

Terent. in Andria.

4. Quæ dari maior & vanitas & ſtultitia poteſt, quàm ab iis hominibus laudari, qui longè aliter de te ſentiunt, ac ſæpè etiam ob perperam facta, quæque & ipſis laudatoribus huiuſmodi videntur. Hoc verò omnium maximè ridiculum, quod cũ aliis jam tum verè quid de te ſentiant, aperuerint; tibi uni, idque ſolum ut tibi ſatisfaciant ac placeant, ſubinde apertè mentiri religioni nõ ducant, ſubinde ambages & anfractus quæritent, ut te citra mendacium laudare, & id factum ceu bonum ac laudabile prædicare poſſint, quod ipſis perperam geſtum videtur. Vnde patet perinde eos tecum ac cum fatuo agere, tuæ opinioni factisq; dum ſuffra-

Superbi ſunt cauſa quod creſcat adulatio hodie in mundo.

suffragantur. Animadvertit quis, ejus te mentis & stomachi esse, ac gaudere quod eo modo habearis, nihilque tibi accidere posse gratius, quàm tibi, v. g. postquam jam concionatus es, aut simile quid peregisti, dicere, bellè te munere tuo perfunctum esse, omnibusq; abunde eo factum satis; ideò taliter tecum agit ut tibi satisfaciat, te sibi devinctum reddat, tuamque amicitiam & favorem, qua forsan opus habet, hac ratione sibi conciliet.

Eadem superbi stultiores efficiuntur.

5. Aliud porrò hinc nō consequitur, quam ut te adhuc stultiorem reddat: quia enim laudaris ob id quod malè aut dictum, aut factum à te, stimulus quodammodo tibi subjicitur ad id ipsum sic denuò dicendum, faciendum. Non audent ferè homines hodie, id quod sentiunt liberè expromere: norunt enim *veritatem odii matrem* esse; atque ut phreneticus & stultus medicinas omnes aversatur, ac medicum curare volentem conspuit, ita superbum & arrogantem rectè monentibus obstrepere & correctioni obluctari. Atque ideò fit ut nolint jam homines alteri aperire id quod norunt fore ut ei displiceat & nauseam moveat: nemo enim suo sibi ære offensam & inimicitias vult mercari: imo id ei sibi in eo placere dicunt, quod in animo improbant & sugillant. Alter verò adeò sibi in eo complaceat, ut verè se ita habere credat. Vnde simul & eadem opera patet verum esse id quod superiori capite diximus, scilicet nimis quam vanum ac fatuum esse hominū laudes magnifacere: cum hodierna die nil nisi assentationem, deceptionem, adulationem, mendacium, in hominibus passim vigere constet.

Terent. in Andria.

Superbi omnibus exosus est.

6. Accedit huc præterea, superbos omnibus (ut rectè advertit Chrys.) exosos esse. Primum Deo: Testatur id Sapiens: *Abominatio Domini est omnis arrogans.* Vnde & inter septem illa quæ detestatur Dominus, primo loco is ponit superbiam, *oculos sublimes.* Nec verò Deo solùm sed & hominibus exosi & abominabiles sunt. *Odibilis coram Deo & hominibus est superbia. Et sicut eructant præcordia fœtentium, sic & cor superborum,* Vnde hic ipse mundus, cui tantopere placere superbiendo studuerunt, debitam superbiæ illorum mercedem hac in vita ipsis persolvit, in eo ipso eos mulctans & castigans, quod tam perditè ambiebant, nam omnia ipsis alia, quam voverant, eveniunt: cupiunt enim ab omnibus magnifieri & celebrari, & ecce vice versa fatui reputantur, cupiunt omnibus placere, ab omnibus diligi, & secus omnino contingit. Omnibus siquidem superbus exosus & abominabilis est: májoribus quidem, quia iis se æquare gestit, æqualibus quoque, quod iis præcellere & supereminere; minoribus denique, quòd plus quàm ratio patiatur, ab iis requirant. Ipsi quoq; famuli Herodem arrogantiorē maledicunt & obtrectant, nec eum valent tolerare. Nam *ubi fuerit superbia,* inquit Salomon, *ibi erit & contumelia.*

Prov. 16. 5.

Prov. 6. 17.

Eccl. 10. 7

Eccl. 11. 32.

Prov. 11. 21.

Humilis contra omnibus dilectus.

7. Humilis contra, & modestè de se sentiens, ab omnibus honoratur, æstimatur, diligitur. Atque ut infantes propter infantilem suam bonita-

tem, innocentiam & simplicitatem, admodum amabiles sunt, sic & humiles, ait S. Greg. quia illa in verbis & omni agendi modo simplicitas & candor, sine fictione & duplicitate omnium corda attrahit & allicit. Humilitas ergo velut magnes est, hominum animos ad se trahens, & omnes vicissim humilem intra viscera sua condere velle videntur.

Lib. 7. mor. c. 23.

Superbia sæculi, fatuitas est.

8. Vt autem huic argumento, quo hominum laudes & existimationem ambire & procurare meram esse stultitiam, ostendimus, finem imponamus, hoc D. Bernardi dilemma, quod rem evincit, pro coronide adhibeamus: *Aut stultus fuit Dei filius, dum se adeo exinanivit atque annihilavit, probraque ludibria & opprobria sibi elegit: aut certè stulti sumus nos qui tam avidè gloriam & hominum laudes atque existimationem aucupamur: atqui id stultitia in Dei filio non fuit, necesse esse patuit, etsi, id esse mundo videretur*, uti S. Paulus testatur: *Nos autem prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.* i. Gentibus cæcis ac superbis visus est Christus in eo stultescere, fidei verò lumine collustratis summa id visum sapientia, & infinitus amor. *Si ergo hæc ejus humilitas summa fuit sapientia, nostra sanè arrogantia mera est stultitia, & stulti sumus, dum tam sollicitè hominum opinionem, honoresque mundanos, aucupamur, tantique facimus.*

Serm. de nativ.

1. Cor. 1. 23.

Caput XXI.

Vera ad hominum laudes & æstimationem sibi comparandam via est, virtutis & præsertim humilitatis, studio sese dare.

Omnino habeatur cura boni nominis & æstimationis.

1. Quod si quæ hactenus dicta sunt, minimè sufficiant ut hos ipse fumos repellas, & hanc honoris æstimationisque hominum appetentiam à te ableges; sed adhuc firmus in eo perstes, ut magnum & illustre quid esse censeas, magni ab hominibus fieri & in pretio haberi, idque ad ædificationem aliaqua non pauca permagni esse momenti, cùm præsertim sapiens nos jubeat de eo sollicitos esse; *Curam habe de bono nomine:* equidem non abnuo, quinimò consulo, ut de bono quod habes nomine conservando, utque apud homines magnifias & æstimeris, sollicitus sis. Verum dico, turpiter errare te, cùm illud eo quo tute posse putas, modo te consecuturum, speras: adhæc, ut etiam idipsum quod spectas, assequaris, hac via te & modo non consecuturum, sed ejus potius contrarium.

Eccl. 41. 15.

Hanc sola præstat humilitas.

2. Optima autem, secura & certa, qua indubiè ad hanc hominum laudem & æstimationem pertingas, via, teste Chrysostomo est, via virtutis & humilitatis. Da ergo operam ut dignam Religioso vitâ ducas, omnium sis minimus & humillimus, idque in modo tuo agendi, omnibusque quæ se offerunt occasionibus, præferas & eluceat permagni certè ab omnibus fies,

Hom. 29. ad populum.

fies,& in honore habeberis. Hic verus Religiosi qui mundum repudiavit,est honor utpote quē magis condecorāt scopa,contemptibilis vestis, officiumq; vile & abjectū,quam nobilē virū arma & generosus caballus.

Ambitio perdit.

3. Contra, velle & ambire ab hominib. reputari & in pretio haberi insignem ejus cedit ignominiam & dedecus. Ut enim infame & turpe foret, si quis deserta Religione ad sæculum rediret, & talē homines jure merito exploderent & exsibilarent, dicentes: *Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare:* ita non minus probrosum est, velle ab hominibus magni æstimari & laudem aucupari; hoc enim est animo ad sæculum reverti, quia hoc est quod maximè mundum redolet quodque ipse reliquisti ac fugisti, dum Religionem es ingressus.

Luc.14. 30.

Quia ipsa est magnus pudor.

4. Atque ut turpitudinem ac fæditatem hujus desiderii honoris & laudum humanarum adhuc clarius perspicias, in homine præsertim qui ad perfectionem aspirare videtur, demus, certè, hanc tuam cupiditatem aliis innotescere,& palam fieri, quam inde ipse confundendus, quo apud te ipsum pudore suffundendus sis, tecum dispice.

Exemplum. Luc.22. 24. Marc.9. 33.

5. Egregium rei hujus exemplum suppeditant Evangelistæ. Narrant quippe Apostolos cum Redemptore Jesu aliquo tendentes, sed in via nonnihil ab eo sejunctos, ita ut se ab ipso commodè audiri non posse existimarent, inter de disceptasse ac contendisse, *quis eorum videretur esse major.* Cum verò jam Capharnaum venissent, petiisse ex iis Dominum. *Quid in via tractabitis? at illos præ confusione, quod viderent ambitionem suam jam detectam esse, obmutuisse & tacuisse: si quidem per viam inter se disputaverant, quis eorum major esset.* Atque inde Salvatorem, occasione captata, dicere cæpisse: Carissimi, inter mundanos, quique mundi hujus leges sequuntur, *reges gentium dominantur, & qui potestatem habent super eos, benefici* & magni *vocantur. Vos autem non sic: sed qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut ministrator,* hoc in schola mea discitur: *si quis vult primus esse, erit omnium novissimus, & omnium minister.*

Religio est Christi schola Apostolica.

6. In Religione, quæ Dei domus & schola est, humiliare se & abjicere, est magnum esse, & eo ipso quòd quis se omnium minimum facit, omnium se reddit maximum & honoratissimum. Hic verus est honor, qui in Religione invenitur: alius ille, quem ex te spectas, non decus est, sed dedecus: & adeò non magni propterea sis & æstimaris, ut omnium minimus & novissimus passim reputeris: quia omnes te ut superbum & gloriosum habent, quo nihil tibi accidere potest infamius, nihil probrosius. Nulla ergo re tantam nominis jacturam facies quam si aliis innotescat, te honorem aucupari velle ab aliis reputari & in pretio haberi, honorem tuum mordicus etiam in re minima tueri, & eum qua potes, sartum tectum conservare conniti.

Cap. de vana gloria.

7. Quare rectè observavit Climacus, vanam gloriam nō raro sui ama-

Ambitio sæpe est causa ignominię.

toribus insignis ignominiæ causam exstitisse: fecit enim eos impingere in illa, in quibus vanitatem & ambitionem suam patefacientes magnam apud omnes infamiam, confusionem & opprobrium incurrerunt. Neque enim advertit superbus, quæ ipsius est cæcitas, se in iis quæ ad gloriam captandam dicit aut agit, inordinatum suum superbiæ appetitum tacitè aperire: quare, unde laudem & nominis æstimationem sibi obventuram sperabat, inde notabilem confusionem refert & infamiam.

Lib. 2. de profect. religios. c. 9.

Imo excæcat ad cavenda.

8. Addit verò S. Bonav. usque adeò hominis mentem à superbia & ambitione excæcari ut non rarò, quo maiore tumet superbia, eo ipsam minùs perspiciat: ideoque superbus, quasi cæcutiret, eiusmodi sæpè facit & dicit, ut, si ad ea re flecteret, etiamsi nec Deum, nec virtutem, sed solum hanc ipsam, quam quærit, æstimationem sui & honorem in iis spectaret, nullo pacto aut ageret, aut diceret. Quoties contingit, aliquem indignari & conqueri, quod hac illavé in re nulla sui sit habita ratio, aut alius quis sibi prælatus! ratus eam sibi deberi, in eo gravem sibi injuriam fieri, in insignem sui infamiam, ignominiam & dedecus id cessurum alios id notaturos ac vitio sibi versuros! Cumque honesto hoc titulo & colore animi sui indignationem & ambitionem prodat, fit ut revera jam magis notetur, ac minoris æstimetur; quia jam ut superbus & de honore suo quærendo nimiopere sollicitus (quæ sanè res in Religione admodum detestanda & fœda est) passim habetur, si autē hoc in casu dissimularet & nihili se faceret, ac superioribus suis liberam de se disponendi facultatem faceret, næ ille egregiè honori suo consuleret, insignem apud omnes laudem referret, magnique passim æstimaretur.

Secundū ipsas mūdi Leges Humilitas est mater gloriæ.

9. Adeò ut, etsi nullus ad profectum spiritualem, sed tantum ad prudentiæ, & judicii humani dictamen, quin vel ad ipsas mundi huius leges, respectus habeatur, certa & vera æstimationis, honoris amoris, benevolentiæ apud homines sibi comparandæ ratio ac via sit, virtuti, ac præsertim humilitati, seriò & ex animo incumbere. Vnde Agesilaus Lacedæmoniorum Rex, sapiens vulgò à suis habitus, Ethnicus licet, rogatus aliàs à Socrate, quo tandem pacto impetraret, ut bonam omnes de se opinionem ac sensum haberent, *si talis*, intulit, *esse studeas, qualis haberi vis.* Idipsum cum & alias alius ab eo rogasset, respondit: *si loquaris quæ sunt optima, & facias, quæ sunt honestissima.* Alius philosophus, nescio quis, amicum habebat, qui nullo non loco ac tempore semper optimè de ipso loquebatur: Vnde cum hic tandem ei diceret. Multis certè mihi nominibus obstructus es quod honorem tuum ubique propugnem, tuasque virtutes apud omnes deprædicem; scitè & acutè Philosophus respondit: *Næ id tibi luculente rependo, dum ita vitam instituo, ut in eorum quæ dixeris, nullo mentiri deprehendaris.*

Cicer. lib. 1. offic.

Pindarus.

Plut. in apophtheg. Laconic.

Honor fugientes sequitur fe-

10. Neque tamen hæc eo dicuntur, quasi duntaxat ad laudem & nomen apud homines nobis parandum, virtuti,

virtuti, & maximè humilitati, debeamus incumbere: esset enim id superbia, & insignis rerum perversio. Hoc solum dicimus, te, si verè & ex corde humilis esse studeas, etiam invitum & nolentem, magni ab omnibus faciendum & in honore futurum; imò quanto æstimationem alienam & honorem magis fugies, minorisque haberi voles, tanto magis te ille, quia est velut umbra, insequetur. Vnde S. Hier. S. Paulæ Romanæ virtutes describens: *fugiendo gloriam, gloriam merebatur: quæ virtutem quasi umbra sequitur, & appetitores sui deserens, appetit contemptores.* nam ut umbra, quo magis eam fugeris, eo te magis sequetur; quo verò magis insecutus fueris, hoc magis se à te subducet. ita ut incassum laborans, neutiquam eam assequi possis: sic & honor & gloria.

quentes fugit.

S. Hier. in vita S. Paulæ.

11. Hoc ipsum medium nobis Dominus in Evangelio proponit, cũ modum quo honoratissimum in accubitu nancisci locum possimus declarat: *Cum invitatus fueris ad nuptias non discumbas in primo loco, ne fortè honoratior te sit, invitatus ab illo, & veniens is qui te & illum vocavit, dicat tibi, Da huic locum; & tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere: sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco, ut cum venerit qui te invitavit, dicat tibi, Amice ascende superius: tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus*, apud quos hæc tua humilitate gloriosior evades. Idem id est cum eo, quod Spiritus S. jam ante per Salomonem nobis consuluerat: *Ne gloriosus appareas coram rege, & in loco magnorum ne steteris. melius est enim ut dicatur tibi, Ascende huc; quam ut humilieris coram principe.* Vnde parabolam suam sic concludit Dominus: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.* Hinc apparet ergo, non apud Deum solum, sed & apud homines, humilem qui locum infimum & minus honoratum deligit, magnifieri & exaltari: superbum vice versa, qui primum locum, & honoratiorem dignioremque accubitum sibi appetit, negligi, infamem reddi & minoris fieri. Vnde exclamat S. Aug. *O sancta humilitas quàm dissimilis es superbiæ! Ipsa superbia, fratres mei, Luciferum de cœlo dejecit, sed humilitas Dei filium incarnavit: Ipsa superbia Adam de paradiso expulit, sed humilitas latronem in paradisum introduxit: superbia gigantum linguas divisit & confudit, sed humilitas cunctas congregavit dispersas: superbia Nabuchodonosor in bestiam transmutavit, sed humilitas Ioseph principem Israel & Ægypti constituit: superbia Pharaonem submersit, sed humilitas Moysen exaltavit.*

Docet hoc ipsemet Dominus.

Luc. 14. 8.

Prov. 25. 6

Serm. 12. ad fratr. in eremo.

Caput XXII.

Humilitas paci interiori animæ comparandæ unicum est medium, ac sine hac nunquam ad illam pervenietur.

1. Discite à me, inquit Redemptor, *quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* Vna de præcipuis efficacissimisque, quas adferre possumus rationibus ut per eas ad honoris ac laudis humanæ contemptum amplectendum

Matth. 11. 29.

Humilitas mater pacis animi.

dum animur, & humiles esse procuremus, est illa quam nobis Redemptor noster Iesus in præpositis verbis adducit: nimirum quod humilitas unicum sit ad interiorem animæ pacem tranquillitatemque comparandam medium: quæ pax ab omnibus qui de spiritu colendo solliciti sunt, tantopere expetitur, quæque ab Apostolo inter reliquos fructus spiritus sancti enumeratur: *fructus autem spiritus pax.* Vt porro pacem illam & quietem, qua humilis gaudet, melius intelligamus, expediet, prius ipsam inquietudinem & turbines, quibus superbus introrsum concutitur, perspicere, contraria enim per contraria melius elucescunt.

Gal. 5. 22.

Non est pax impiis.

2. Plena est sacra scriptura testimoniis, è quibus nulla impios pace gaudere discimus. Isaias quippe ait: *Non est pax impiis, dicit Dominus*: Et Ierem. *Pax, pax, & non erat pax.* Regius denique Propheta: *Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt.* Nesciunt hi quid sit pace gaudere, &, quamvis subinde exterius ea gaudere videantur, non tamen illa verè pax est, quia in corde suo vehementes sentiunt conflictus, quos propria conscientia jugiter in ipsis suscitat. *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Omnes quidem impii in assidua cordis amaritudine vivunt, potissimum tamen superbi, utpote quorum vita jugi inquietudine, & assiduis turbationis procellis concutitur.

Isaia 48. 22. Ierem. 6. 14. Psal. 13. 3. Isaia 38. 17.

3. Cuius rei particularis ratio è S. Augustino colligi potest: docet hic enim è superbia statim invidiam, velut legitima ac genuinam eius filiam, nasci nec sine hac illam umquam inveniri. *Quibus duobus malis, hoc est, superbia & invidentia, diabolus, diabolus est.* Hinc ergo intelligere est, quidnam in homine duo hæc mala operentur, cum satis ea sint ut diabolum constituant diabolum. Qui enim ex una parte plenus est superbia, ambitione, honoris & laudum humanarum appetentia videtque non omnia sibi ad votum succedere: ex alia verò simul plenus invidia est, (quod hæc superbiæ sit filia, & individua eiusdē comes) cum nimirum alios magni fieri, honorari, sibiq; præferri videbit; fieri non potest quin felle amaritudinis cor repletum habiturus sit, magnaque interius inquiete & animi ægritudine torquendus. Nihil quippe magis superbum excruciat, nihil magis in corde eum convulnerat, quàm si quid horum ei occurrat.

Lib. de S. virgin. c. 35.

Invidia superbiæ est filia.

4. Egregiè hoc nobis S. Scriptura in superbo illo Aman depingit. Erat hic præ omnibus aliis regni principibus & optimatibus. Assuero Regi familiaris ac carus, multa rerum & divitiarum copiæ abundabat, ac proinde ab omnibus in honore habebatur & colebatur, nihil ut ei ultra optandum videretur: interim tantopere eum cruciabat, quod vel unus Mardochæus plebeius vilisque sortis homo, qui ad regiæ fores identidem consedebat, nulla ipsum veneratione afficeret, illi transeunti non assurgeret, nec caput denudaret, ut, quæ habebat pensi non faceret omnia, præ dolore & turbatione quam hoc è neglectu percipiebat. Quod ipsemet,

Exemplū Aman superborū speculū.

Esther. 13.

Isaia 5. 10.

ipsemet, apud amicos & uxorem expostulans, confessus est: recensitis enim opibus potentia, filiorum abundantia, & qua apud regem & reginā valeret gratia, addit: *Et cum hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Iudæum sedentem ante fores regias.* Vt hinc appareat, quanta sit superbientis hominis inquietudo, & quales illius in corde æstus, procellæ & tempestates turbationum excitentur. Vnde verè Isaias: *Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest.* Et verò tanta Amani cor inde invasit rabies & furor, ut rem hanc unam singulatim curare, & contemptum hunc impedire grave aut turpe sibi non duxerit: cognito enim Mardochæum gente Iudæum esse litteras à Rege Assuero obtinuit, quibus omnes qui in regno illius erant Iudæi, neci dari jubebantur; Mardochæo autem altissimam domi suæ paraverat crucem ut ex ea suspenderetur: quamquam longè secus atque ipse decreverat, res acciderit, etenim Iudæi sententiam mortis de capite suo latam suis in adversariis sunt executi, & Aman in eam ipsam actus est crucem quam pauperculo Mardochæo paraverat. Nec defuit ipsi alia ante mortem sat notabilis confusio & mortificatio: cum enim jam vindictam de Mardochæo sumendam sollicitè animo agitaret, & die quadam summo mane ad regiam abiisset, facultatem atrocis vindictæ suæ executioni mandandæ à rege petiturus, contigit Regem noctem illam insomnem duxisse, jussisseque afferri & prælegi sibi annales & historias rerum tempore suo gestarum; in quibus cum ad eum locum perventum esset, in quo Mardochæus coniurationem illam quam duo eunuchi & palatini in caput Regis adornarant, detexisse legebatur; petiit Assuerus, quid honoris & præmii pro insigni hac in regem fide Mardochæus retulisset; & responsum esset, Nihil omninò, statim petiit Rex: Quis magnatum est in atrio? Aman adest, respondent famuli, Hunc ergo in regium thalamum jussum introgredi interrogat Rex. *Quid fieri debet viro quem Rex honorare desiderat.* Cogitans autem in corde suo Aman, quod nullum alium nisi se Rex vellet honorare, respondit: *Homo quem Rex honorare cupit debet indui vestibus regiis, imponi super equum qui de sella regis est, & accipere regium diadema super caput suum, & primus de regiis principibus teneat equum eius per plateam civitatis incedens, clamet & dicat: Sic honorabitur, quemcumque rex voluerit honorare:* Placuit regi sententia, & ait: *festina, & sumpta stola & equo, fac ut locutus es, Mardochæo Iudæo qui sedet ante fores palatii, cave ne quidquam de his quæ locutus es, prætermittas.* Iam tecum considera, quo doloris æstu turgidum & indignabundum Amani cor tunc exagitatum fuerit, regiæ tamen sententiæ eum oportebat quam exactissimè obsequi. Non videtur sanè maior isthac superbo huic infligi mortificatio posse. Sed hanc alia longè maior excipit, cum in idem actus est patibulum quod Mardochæo destinaverat. Hæc nimirum merces est, quam suis mundus clientibus solet repen-

Invidia superbiæ est filia.

Esther. 5. 13.

Isaia 57. 10.

Exemplū Aman superborū speculū.

rependere. Vide autem undenam misero huic omne id malum advenerit: quod scil. ei prætereunti Mardochæus caput non aperiret, nec assurgeret.

Minimũ quid superbum torquet.

5. Eiusmodi nugarum vel unica satis est ad superbos homines inquietandos & turbandos, utque perpetua in animi ægritudine ac dolore vitam trahant. Quod hodierna die in sæcularibus hominibus passim videre est, idque eo magis, quo ad eminentiorem evecti sunt locum. Huiusmodi enim puncta sunt ipsis velut puncturæ, quibus animus ipsorum pungitur & transigitur: nullius enim teli aut ensis punctionem vivacius sentiunt. Nec verò umquam mundi huius superbis quidquid horum deest, quantumlibet gratia, opibus & potentia valeant: ideoque semper cor felle amarius habent, perpetuaque in turbatione, inquietudine & concussione vivunt. Idem quoque hic in Religione locum habebit, si quis superbia actus fuerit; nam etiam hic docere & indignari incipiet, quod minor sui habeatur ratio, quam aliorum, quod huic tale aut tale munus concreditum sit, ipse verò præteritus. Atque hæc aliaque id genus, tantam ei adferent inquietudinem, quantam mundanis hominibus ambitio & prætensiones honorum.

Superbia sæpè est causa tristitia.

6. E quibus & aliud, quod etiam quotidiana experientia confirmat, eruitur nimirum, tametsi verè morbus aliquis sit, quem melancholici humoris abundantia generet; sæpè tamen quod quis melancholicis aut tristis incedat, non tam ex humore melancholiæ, aut infirmitate aliqua corporali, quam humore superbiæ & languore spirituali provenire. Tristaris & melancholicus es, quod præteritum te & abjectum, nullamque tui rationem habitam putes; & quod, unde honorem & gloriam relaturum te sperabas, inde tantum abest ut eum retuleris, ut confusionem potius & ignominam collegeris. Non successit tibi res aliqua ex voto, non concio, non in publicis disputationibus argumentatio, non thesium propositarum defensio, prout optabas ac sperabas, imò multum in iis de honore te tuo perdidisse existimas, atque idcirco tristis & melancholicus incedis: & quandocumque aliorum puplicorum operum aliquod tibi obeundum est, immodicus ille timor, quo actus anxiè disquiris, quis eius sit futurus successus, & num id tibi futurum sit gloriæ aut confusioni, tristem te & melancholicum reddit. Hæc sunt sc. quæ superbum tristitia & melancholia replent. At humilis corde, qui honorem & æstimationem aliorum floccifacit, & humilem in locum retrudi gaudet, ab huiusmodi angoribus, inquietudinibus, perturbationibus liber est, magnaque animi pace & quiete gaudet, juxta Domini Iesu promissum initio capitis propositum, à quo id mutuatus Thomas de Kempis, dicere audet, *si ulla in mundo pax est, eam humilem corde possidere.* Quare etsi non aliud inde commodum, nec ulla spiritus perfectio sequeretur, quàm hoc nostrum, vera inquam cordis pax & quies, vel ob

Tract. 6. c. 4.

hanc

hanc ſolam humilitati nos ſtudere oporteret: hoc enim ſolum eſt vivere, alterum illud vivendo mori.

Exemplum. Lib.6. conf.c.6.

7. Refert hujus occaſione de ſe ſanctus Auguſtinus rem, per quam, Deo dante, cœcitatem & miſeriam, in qua tum defixus habebat, liquido cæpit perſpicere. *Cum pararem*) inquit) *recitare Imperatori laudes, quibus plura mentirer, & mentienti faveretur abſcientibus* (vide quo non mundi vanitas & ſtultitia deveniat) *eaſque curas anhelaret cor meum, & cogitationum rabificarum æſtibus æſtuaret, tranſiens per quendam vicum Mediolanenſem, animadverti pauperem mendicum, jam credo ſaturum, jocantem atque lætantem: & ingemui, & locutus ſum cum amicis, qui mecum erant, multos dolores inſaniarum noſtrarum; quia omnibus talibus conatibus noſtris, qualibus tunc laborabam, ſub ſtimulis cupiditatum trahens infelicitatis meæ ſarcinam & trahendo exaggerans, nihil vellemus aliud, niſi ad ſecuram lætitiam pervenire, quo nos mendicus jam ille præceſſerat; nunquam fortaſſe illuc venturos. Quod enim ille jam pauculis & emendicatis nummulis adeptus erat, adhoc ego tam ærumnoſis anfractibus & circuitibus ambiebam, ad lætitiam ſcilicet temporalis fœlicitatis.* Et ſtatim ſubjungit Auguſtinus: *Non habebat quidem ille verum gaudium, ſed & ego illis ambitionibus multò falſius quærebam. Et certè ille lætabatur, ego anxius eram; ſecurus ille, ego trepidus. Et ſi quiſquam percontaretur me, utrum mallem exultare, an metuere; reſponderem, exultare. Rurſus ſi interrogaret, utrum me talem mallem, qualis ille, an qualis ego tunc eſſum, meipſum curis timoribuſque confectum eligerem ſed perverſitate, nunquid veritate? Neque enim eo me præponere illi debebam, quo doctior eram; quoniam non inde gaudebam: ſed placere, inde quærebam hominibus, non ut eos docerem, ſed ut tantum placerem.* Et concludit: *Nimirum ille felicior erat, non tantum quòd hilaritate perfundebatur, cum ego curis eviſcerarer; verum etiam quod ille bene operando acquiſierat vinum, ego autem remetiendo quærebam typum.*

CAPUT XXIII.

De aliis efficacioribus humilitatis comparandæ mediis, quale eſt juge ejus exercitium.

Tranſit à ſpeculativis mediis ad practica.

1. Hactenus de primo mediorum, quæ ad virtutem aliquam acquirendam ſuggeri ſolent, genere, rationibus inquam, & conſiderationibus, tum divinis, tum humanis egimus, tanta tamen eſt naturæ noſtræ ad hos ſuperbiæ vitium inclinatio, quod illud primis noſtris parentibus à ferali ſerpente ſuggeſtum. *Eritis ſicut Dii.* Intimis cordis noſtri fibris infixum maneat, ut quæcunque adferri queunt conſiderationes, ſatis efficaces non ſint ad hanc gloriæ & æſtimationis alienæ appetentiam in nobis ſuffocandam, inanemque hunc fumum diſſipandum. In quo idem nobis viderur contingere, quod panico timore correptis, quibus quantaſvis per rationes & argumenta perſuadere coneris, non eſſe quod metuant; videre qui-

Gen.3.5.

quidem se ajunt omnia hæc esse verissima & velle non timerent, à seipsis tamen impetrare non posse, ut metum exuant & formidare desinant. Eodem modo sunt qui dicunt, *video quidem omnes quas de humanis laudibus & æstimatione flocci faciendis adduxisti rationes, esse verissimas, atque evidenter demonstrare, omnia nil esse aliud quam pugillum inanis ventuli, adduci tamen nequeo ut illas contemnam & magni non faciam. Vellem equidem, sed videntur hæ me etiam nolentem & invitum, (nescio quomodo) ad se rapere & illigare meque inquietare.*

Exercitium virtutum requiritur ad earum habitũ parandũ.

2. Itaque, quemadmodum nullæ rationes satis sunt ad omnem meticuloso metum excutiendum, sed simul ei ex re alia remedia ad hoc accommodare suggerere solemus, dicendo; *Adsis, & quæ hæc phantasmata & terricula esse putas, manu si potes, contrecta, adi quoque de nocte loca obscura & solitaria: ut hoc pacto re ipsa videas nihil subesse; sed omnia nonnisi meram esse imaginationem & apprehensione tua, itaque omnem vanum metum deponas.* Ad eundem modum ut omnem de opinionis, honoris & æstimationis mundanæ splendore imaginationem exuamus, ipsamque vilipendamus; communis est sanctorum Patrum doctrina, non sufficere argumenta & considerationes quæcumque demum suggeri possunt, sed insuper requiri opera, & ipsum exercitium humilitatis: atque hoc præcipuum & efficacissimum esse, quod quidem à parte nostra ad virtutem hanc parandam adferre possumus, remedium.

3. Docet ergo S. Basilius, quemadmodum quælibet artes & scientiæ ipso comparantur exercitio, sic & virtutes morales: ut enim quis in peritum musicum, scitum operis manualis artificem, elegantem oratorem, & doctum philosophum evadat, in illis se facultatibus priùs exerceat oportet, itaque in iisdem summus evadet. Pari modo ut habitus humilitatis, reliquarumque virtutum moralium paretur, prius necesse nos est in illarum actibus exerceri: & hoc modo tandem ipsarum habitum obtinebimus. Si quis, inquit idem Doctor, ad passiones & affectus animæ suæ componendas, & intra rationis limitem redigendas, ad virtutes sibi comparandas, putet humana argumenta, considerationes, & è sacra scriptura sanctisque Patribus deprompta documenta & monita sufficere, gravissimè errat: nam *similiter facit, ut si quis disceret ædificare, nec unquam ædificaret; quæque didicisset, ea in actum numquam educeret*, sed satis esse duceret omnia artis suæ præcepta exactè audire: certum quippe est, hujusmodi theoricum numquam bonum practicum fore. Pari modo nec humilitatem, nec ullam virtutem consequetur, qui assiduè se in illis non exercitabit. Et ad hoc ad confirmandum adducit illud Sancti Pauli ad Romanos: *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.*

In reg. bremor. reg. 198.

Omnes artes debent exerceri, ut perfectꝰ quis in iis evadat.

In reg. fusior. reg. 7

Rom. 2. 13.

buntur. Non sufficit ad hoc multa præcepta & documenta audire, sed necesse est ad opus & exercitium devenire, magisq; hoc in negotio prodest pravis & exercitatio, quam quæcumque tradi potest theoria. Et quamvis virtus omnis & bonum à divina proficisci manu debeat, nostræque vires ad hoc prorsus impares sint; vult tamen hic ipse Dominus, qui nobis id dare debet, ut ipsi à parte nostra faciamus quod in nobis est.

tract.58. in Ioann. *Ioa.13.14.* Ita etiam in arte humiliandi se, docente Christo.

4. S. Augustin. in illa Christi verba: *si ergo ego lavi pedes vestros Dominus & magister, & vos debetis alter alterius lavare pedes*, commentans, istud esse ait quod hac pedum discipulorum suorum ablutione docere nos Redemptor voluit: *hoc est beate Petre quod nesciebas, quando fieri non sinebas: hoc tibi sciendum postea, promisit, ecce ipsum est postea*: jam demum intelliges, quidnam illud? si quidem humilitatis virtutem adipisci volumus, in exterioribus ejusdem actibus priùs nos exercitemus, *exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Didicimus*, inquit, *fratres humilitatem ab Excelso; faciamus invicem humiles, quod humiliter fecit Excelsus.* Cùm ergo Altissimus & omnipotens se humiliarit, cùm Dei filius ad humilia & vilia exercitia se abjecerit iisque se applicuerit, discipulorum suorum pedes lavando, matri suæ & Josepho nutritio obsequendo, atque in omnibus quæ injungebant; se morigerum præbendo, illius nos exemplo vilibus & humilibus exercitiis insistere discamus, & hac ratione humilitatis virtutem consequemur.

Epist. 87. Exterior humiliatio est via ad humilitatem internam.

5. Idem quoque sentit Sanctus Bernardus his verbis: *Humiliatio exterior via est ad humilitatem* ducens, *sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Quamobrem si virtutem appetis humilitatis, viam & exercitia non refugias humiliationis: nam si* dicis, quòd *non possis*, aut nolis *humiliari* & dejici, *non poteris ad humilitatatem provehi.* Egregiè id probat S. Augustinus simulque rationem dat: cur hoc exterioris humiliationis exercitium ad veram cordis humilitatem comparandam ita conferat, tanti momenti sit tamque necessarium. *Cùm enim ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam in corde ipso vel exercitatur, vel, si jam inerat, confirmatur ipsius humilitatis affectus.* Ea nimirum est interioris exteriorisque hominis fraternitas, & alter ab altero sic dependet, ut corpore humiliato & dejecto, in corde nescio quis humilitatis affectus excitetur & subsultet: habetque nescio quid in latentis virtutis & energiæ prona illa ante fratrem meum corporis inclinatio, illa officiosa sedulitas, illa pedum illius exosculatio; illa pauper & grossior vestis, illud abjectum servile, & despicabile ministerium, ut tacitè humilitatem cordi inserere, si desit; confirmare & adaugere, si jam insit, videatur.

tract.58. in Ioann.

doctrina 2 de humilitate. Ratio cur humiliatio

6. Hoc demum est quod S. Dorotheus respondet ad objectionem illam, *quomodo nimirum ex abjecto indumento quod in corpore est, transire*

humilitatem animæ inducat.

transire ad animam humilitas possit: *Certum,* inquit, *est à corpore bonam vel malam in animam dispositionem derivari: sic usu quotidiano videmus, aliam animæ esse dispositionem corpore recte valente, aliam ægrotante; aliam dum satur est, aliam dum esurit. Ad eumdem modum alium anima induit affectum, homine solio regio insidente vel equo pretiosissimis phaleris instrato; alium dum humi sedet, vel in equo strigoso: aliter quoque disposita & affecta est, dum corpus splendidè indutum est, aliter autem dum paupere lacerna squallet.* Perspexit idipsum etiam Sanctus Basilius, dum ait: *Quemadmodum vestis pretiosa & elegans in mundanis hominibus animos inflat, & nescio quos vanitatis, superbiæ, propriæque æstimationis fumos in iis excitat: sic contra in Religiosis ac servis Dei abjectum & squallens indumentum affectum quendam creat humilitatis, ac despectus sui, hominemq; despicabilem & contemptibilem reddere videtur.*

in reg. fuscor. reg. 22.

Præcipue tamen vestitus humilis cōciliat humilitatē animi.

7. Additque eodem loco: *quemadmodum mundani homines ideo splendidè ac conspicue vestiri gestiunt, ut per tale indumenti genus magis populo innotescant, pluris ab aliis fiant, maioremq; nominis sui celebritatem consequantur: sic Dei servos & veros humiles ideo paupere & simplice cultu delectari, tum ut per eum despiciantur, & minori in pretio à sæcularibus habeantur, tùm verò quòd sibi hoc pacto insigne ad se in vera humilitate conservandos, in eaque crescendum, remedia invenire videantur.* Inter omnes autem humiliationes exteriores, illa, quæ circa vilem & abjectam vestem versatur, facilè prima est, ideoque etiam est à veris humilitatis sectatoribus tam serio semper observata.

8. S. Pater Franciscus Xaverius (uti in vita eius legere est) semper quoadvixit, paupere veste est usus, ut hac ratione se in humilitate conservaret, veritus, ne (ut fieri amat) unà cum veste cultiore aliqua suiipsius æstimatio præsumptiove in animum tacitè irreperet.

Exemplum. l. 6. c. 7. vit.

9. Nec minùs ex alio capite liquebit, quantum ad cordis humilitatem, aut aliam quamvis virtutem comparandam exterior eiusdem virtutis exercitatio adferat momenti; quod videlicet voluntas per hoc exercitium magis quam per ulla desideria & proposita moveatur. Certum enim, est objecto præsenti magis aliquò hominem emoveri quam absenti: sic videmus fortiùs nos impelli per ea quæ oculis subjiciuntur, quàm quæ auribus dumtaxat excipimus, atque inde ortum habet tritum illud Sermone proverbium. *Quod non videt oculus, cor non dolet.* sic externum illud quod in opus exit, quod objectum ibi præsens adsit, fortiùs voluntatem movet, quàm internæ ullæ apprehensiones & desideria, quarum objectum præsens non adest, nisi fortè in imaginatione & apprehensione. Vnde plùs tibi ad virtutem patientiæ contulerit vel unica insignis injuria egregia æquanimitate voluntatis excepta, quam quatuor solo desiderio efformata proposita, nullo opere externo accedente: illustriorem quoque humilitatis partem in anima acquires, si per unum diem vili officio obeundo insistas, & vili ac

Alia ratio cur humiliatio conciliet humilitatē.

trita

trita veste induaris, quàm si per multos dies id solùm animo proponas. Nonne quotidie experimur, magnâ nos primo die sentire repugnantiam in mortificatione aliqua earum quæ nobis ordinariè subeundæ sunt, exercenda; quam si perfregerimus, secundo die nullam in ea suscipienda sentiemus: & licet antea plura eiusdem desideria habuissemus, difficultatem tamen occurrentem evincere non potuerunt.

Societatis Iesu de ea re judiciū.

10. Hanc ob causam solenne etiam Societati est, aliquas mortificationes publicas obire & injungere, idque multorum sanctorum, exemplo. Nam si quis harum unam semel rectè obeat, suiipsius dominus ac victor exinde manet, ad alias id genus obeundas, quæ priùs ipsi nimis quàm difficiles videbantur. His accedat quod vulgo Theologi docent, actum interiorem, cum ei exterior accedit, ut plurimum intensionem & efficaciorem esse. Id ergo fixum maneat, ad virtutem humilitatis acquirendã, permultum omnimodis conferre, seipsum in rebus vilibus & abjectis exteriùs exercere.

Externo exercitio virtus nō solum paratur, sed & conservatur.

11. Quoniam verò iisdem mediis & causis virtus quæpiam conservatur & augetur, quibus acquiritur (uti exterius exercitium ad humilitatem parandam necessarium est, ita est & ad eandem conservandam & ad augendam;) hinc efficimus, hoc exercitium omnibus omnino convenire & necessarium esse, non incipientibus solùm, sed & proficientibus, & admodum perfectis & provectis: uti & mortificationem esse diximus, cùm de ea ageremus. Hinc id S. P. N. in Constitutionibus & Regulis impensè omnibus commendat. *Magnopere*, inquit, *confert devotè quoad fieri poterit, ea munera obire, in quibus magis exercetur humilitas & charitas.* *Alio verò in loco præscribit: Antevertere oportet tentationes, adhibitis earum contrariis, ut, cùm quis animadvertitur ad superbiam esse propensus, exerceri is debet in rebus abiectioribus, quæ ad humiliandum ipsum utiles futura videantur, & sic de pravis aliis animæ propensionibus.* Et alibi: *In exercendis officiis abiectis & humilibus promptiùs ea suscipi convenit, à quibus sensus magis abhorrebit: siquidem iniunctum fuerit, ut in iis se exerceat.* Concludo ergo & dico humilitatem & humiliationem se invicem juvare debere; atque ex humilitate interiori, uti est, seipsum despicere, & parvi facere, & ab aliis nihil fieri velle, exteriorem humiliationem nasci debere, ut nimirum talem se homo exhibeat de foris, qualem se reputat interiùs: hoc est; quemadmodū verus humilis suis in oculis & sibi vilescit, omnique se honore indignum censet; talis quoque sit exterior eius agendi vivendique modus, nec non exteriora quæ egerit opera: & in omnibus operibus exterioribus interior eius humilitas elucescat. Eligas ergo locum infirmum & novissimum, uti Redemptor in Evangelio faciendum consulit, nec cum parvulis & simplicibus hominibus agere dedigneris, imò officiis abjectis & despicabilibus lætare. Sic fiet, ut hæc ipsa humiliatio exterior, quæ ab interiore originem trahit, ipsum è

tract. 1. c. 17.

3. p. constit. c. 1. §. 13. & 23. regu. 14. & 19. summ.

c. 4. exam. § 18. reg. 13. summar.

quo profluit, fontem immensum exaugeat.

Caput XXIV.

Dicta superiùs exemplis quibusdam confirmantur.

Exemplum. I. l. 2. mirac. cap. 29. & Tilman. Bredenbac. colla. sacra. c. 33.

I. Fuit in Carthusiensi ordine (ut Petrus Cluniacensis refert) Religiosus vitæ sanctimonia insignis, quem Dominus tam castum, integrum & purum conservavit, ut ne in somnis quidem ullam illlusionem pateretur. Hic morti vicinus, præsentibus Religiosis omnibus simul cum Priore, jussus ab eodem dicere, in quo se magis Deo in vita placuisse putaret; respondit: Difficilem rem quæris Pater, & quam nullo modo dicerem, nisi me cogeret obedientia. Equidem à pueritia multum à diabolo affligebar & infestabar, sed *secundum multitudinem dolorum* ac tribulationum *in corde meo*, etiam anima mea multis consolationibus recreabatur, quas Christus eiusque sanctissima mater pro sua pietate mihi submittebant. Quodam ergò die, dum magna Diaboli tentatione afflictus & fatigatus essem, apparuit, mihi cæli Regina, cuius præsentiâ omnes Diaboli fugati, & tentationes repressæ, & postquam me esset consolata, & monuisset perseverare, & in perfectione progredi; mihi dixit: *Vt commodiùs hoc facias, speciatim tibi ex Filii mei thesauris tria media vel exercitia humilitatis depromere volo, in quibus si te exercueris, Deo multum placebis, & hostes superabis, suntque hæc, ut te in tribus humilies, in victu, in vestitu, & officiis, quæ facis. In victu, petes & procurabis tibi vilißimos cibos, in vestitu vilißimam vestem, in officiis abjectißimum & humillimum; magno tibi honori & lucro ducens abjectißimis, & maximè contemptis, quæque alii dedignantur & fugiunt, occupari.* Hæcque dicens disparuit, egoque cordi impressi sacratissimæ Virginis verborum virtutem & energiam, ut pòst facerem, quod ipsa jusserat, & hinc anima mea magnum profectum sensit.

Ps. 93. 19.

B. Virgò jubet humilitatē in victu, vestitu & officiis.

II. Cassia. li. 5. de insti. renun. c. 30. & 31. & colla. 20. c. 1.

Abbas Pinusius cùm in Ægypto Cœnobii cuiusdam Abbatem ageret, atque ob venerabilem canitiem, vitæque sanctimoniam ab universis monachis ut pater & vitæ spiritualis magister coleretur; talem honorem perosus, & obscuris delitescere, omnibusque ignotus & despectus esse cupiens, nocte quadam clam suo est monasterio egressus, sæcularique assumpto habitu, ad Sancti Pachomii cœnobium, quod procul à suo aberat, & ea tempestate mira vitæ austeritate & sanctitatis fervore celebre erat, contendit, ut, cùm hic ignotus esset, adinstar novitii, & nullo in pretio haberetur. Ad multos dies antè monasterii fores exspectans, magna animi demissione petiit in ordinem admitti, singulorum fratrum pedibus se advolvens, & eorum quodammodo suffragia exambiens. Hi eum data opera negligebant, & surda velut aure precantem prætenibant; quin & exprobrabant, cum utpote jam mundanis deliciis saturum, in decrepita ætate, Deo servire velle, magis è necessitate, atque ut victum

victum ibi inveniat, sibique serviatur, quàm ut ipse aliis serviat, impulsum. Post multam tamen instantiam admissus tandem est, eique horticura demandata, nec nō alius superior additus, cui ad amussim in omnibus exactè pareret. Incredibile dictu est quanta animi alacritate & submissione, tum concreditum sibi munus, tum quidquid alii præ difficultate exequi detrectabant, unus ipse explerit: quin diurno labore minimè contentus, clàm de nocte surgens, quidquid poterat operis faciebat, nec à nemine videbatur; mirantibus fratribus mane, & nescientibus quis illa obiret. Triennium his in exercitiis transegit, occasione hac laborandi & sui despectus (hoc namque spectarat) mirè exultans, cum sui Monachi talis Abbatis absentiam ægrè ferentes, ipsum per omnem regionem frustra quæsivissent, jamque eius inveniendi spem pridem abjecissent; ecce tibi unus illorum de Pinusio inveniendo ne somnians quidem, ad Pacomii monasterium divertans, sanctum senem, qui tum fortè hortum stercorabat, agnovit, ad eiusque pedes se advolvit. Obstupefacti sunt reliqui, tum verò magis cùm quis esset inaudiere; multa enim de eo, virtutibusque eius jam pridem intellexerant: unde suppliciter ab eo prioris ignominiæ veniam petiere. Senex dæmonis invidia se thesaurumque suum detectum, summopere dolebat, nec nisi invitissimus ad pristinum monasterium, summa suorum cum gratulatione reductus est. Haud tamen, quantumlibet diligens custodia eum retinere potuit, quominùs superioris latebræ abjectionisque captus dulcedine, alteram fugam (pactus clàm cum nauta quodam) adornaret, inque Palæstinam, quæ procul admodum inde dissita erat, ad monasterium Cassiani trajiceret. Domino tamen, cui curæ est humiles extollere, disponente factū, ut à monachis quibusdam suis, qui locorum sanctorū visendorum causa illuc appulerant, agnosceretur; qui ob hæc aliaq; id genus pluris ab omnibus est æstimatus.

III. *Vit. Patr.*

In Vitis Patrum legitur de monacho quodam, quem, cum ad multos annos in eremo solitarius, magnaque in vitæ austeritate, assiduoque orationis exercitio vixisset, occupavit cogitatio, quod jam perfectus esset; unde orationi se applicans his Dominum verbis rogavit: Ostende, obsecro, Domine, quid ultrà mihi ad perfectionem desit. Cuius cogitationes sublimes humiliare volens Deus intelligibilem ad aures eius vocem delabi fecit: vade ad talem (& erat hic subulcus) & quid ille faciendum præscripserit, tu exequi satage. Eodem temporis momento subulco cælitus revelatum fuit, venturum ad ipsum Anachoretam, cui proinde advenienti virgam traderet, suesque pascere juberet. Hic ad subulcum veniens, salutatione peracta, Deo, inquit, desiderio ferventissimè servire: dic ergo mihi obsecro, quid mihi facto opus sit. Petit alter, faciesne quod tibi præscribam? Senex se facturum promisit. Tum subulcus, Age igitur flagellū istuc laxe ocyùs, & por-

& porcos pasce. Paruit extemplò anachoreta, (quia Deo servire desiderabat, & quod sibi ad perfectioné deerat, acquirere) ac porcos summa cum animi demissione pascit: quotquot autem eum noverant, (erant hi permulti, quod magna esset sanctitatis ipsius in universo illo tractu fama) Vidistine senem illum, aiebant, de quo tam multa fando inaudivimus, subulcum agentem? emota haud dubiè ei mens, & luxatum cerebrum est ob frequentia jejunia & nimiam vitæ austeritatem. Ipse hæc dicteria & sannas prætereuntium nihil moratus, æquanimiter & patienter omnia toleravit; cumque ad dies aliquot ibi hæsisset, à Domino, tali patientiæ & humilitatis exemplo mirificè delectato, jussus est tandem domum remigrare.

Prat. spirit. c. 37. IV.

In Prato spirituali habetur de sancto quodam Episcopo, qui, Episcopatu eiusque insignibus abdicatis, solus Ierosolymam, contemni vilipendique desiderans abiit, quòd à nemine illic cognosceretur. Ergò hîc vilissimo operarii habitu assumpto, inter operas reliquas cæmentarias laboravit, de labore manuum suarum victitans. Interim Comes quidam Ephremius nomine, publicis operibus præfectus, vir pius simul & prudens, sæpè advertit quod sanctus hic vir humi cubaret, & columna quædam ignea ab ipso prodiens in cœlum usque pertingeret. Mirabatur hoc ille portentum, in homine tam paupere, & calce cæmentisque inquinato, neglecto insuper capillamento, & impexa barba, & in arte abjectissima operam locante. Vnde se continere ultrà non potuit, quin die quodam seorsum evocatum interrogaret, ecquis esset. Episcopus, se de pauperum operationum illius loci numero esse dixit, cumque non haberet unde viveret, hoc se labore vitam sustentare. Cum non satisfaceret Ephremio Episcopi responsum, (Deo sic disponente, ut famulum suum honoraret, eiusque humilitatem celebraret) bis tervé instanter urget, ut quis esset, sibi revelare non gravaretur. Pressus ille acrius, nec ultrà se valens abscondere, ea se lege rem omnem detecturum promisit, ut, quoad viveret, quidquã dicendorum nulli mortalium patefaceret, nec nomen suum scire vellet. Quod utrumque pollicito, fassus est se Episcopum esse, & honoris æstimationisque fugiendæ ergo illuc venisse.

V. Climac. 4. de obedientia.

Vir quidam primarius civitatis Alexandrinæ (ut à Ioanne Climaco refertur) petiit quoddam in monasterium admitti; sed cum vultu aliisque gestibus asperum nescio quid & turgidum præferret, sæculique arrogantiam redoleret, Abbas eum per securam humilitatis semitam conducere volens, siquidem, inquit, seriò Christi jugum ferre decrevisti, laboribus, obedientiæ identidem exerceatis oportet. Cui ille, ut ferrũ in manu est fabris, ut ex eo faciat quodcumque lubuerit, sic me ipse, Pater subjicio omnibus quæ de me disponere cupies. Age igitur, inquit Abbas, ad fores monasterii stans, singulorum ingredientium

tium & egredientium pedibus advolvere, magnumque te peccatorem esse dicens, omnium preces instanter exposce. Quod cum ille per septennium continuò egisset, magnumque hoc ex exercitio humilitatis fructum collegisset, Abbas eum tandem in monasterium admittere, & reliquis fratribus aggregare, quin & sacris ordinibus, (quòd hunc honorem sua humilitate optimè meritus videretur) initiari voluit. Sed ille, multos adhibens intercessores & inprimis hunc ipsum Joannem Climacum, Superiorem rogavit, ut in ea quæ hactenus egerat statione, eodemque in exercitio, vitæ curriculum se absolvere fineret, quasi innueret aut auguraretur vitæ suæ finem jam instare. Nec spes eum fefellit: quippe decem post dies vita excedens, ad Dominum migravit: quem etiam septimo pòst die janitor monasterii est secutus, utpote cui ille vivens promiserat, quòd, si contingeret illum partem aliquam cum Deo habere, ab eo impetraret, ut sibi citò in gloria sociaretur. Addit verò jā Ioan. Climacus, se ex ipso, dum adhuc in vivis hoc humilitatis exercitium obiret, percontatum subinde esse, quanam animum in eo cogitatione occuparet: respondisse verò ipsum, mea omnis occupatio est, meipsum monasterii habitatione, Patrum consortio, & eorum aspectu indignum reputare; imò ne dignum quidem qui oculos ad eos intuendos attollam.

V. *Climac. 4. de obedientia.*

VI. *Vita Patr. 2. §. 80.*

Philosophus quidam, (ut referre Joannes Abbas solebat) discipulum habebat, qui cum nescio quid commisisset. Non priùs, inquit Philosophus, errati hujus veniam à me impetrabis, quam injurias tibi à quibuslibet inferendas, triennio ipso æquanimiter pertuleris. Fecit quod imperatum erat, discipulus, & expleto præfixo tempore veniam petiturus adest. At Philosophus, nec dum, inquit, tecum in gratiam redibo, nisi altero triennio eos qui te injuriis, tu præmiis affeceris. Quòd cum præstitisset, dominumque veniam postulaturus adiisset, hic erratum ignoscens: Nunc quidē, inquit, Athenas abeas licet, sapientia operam daturus. Quo cum abiisset, & à Philosopho calumnias solito proferre in eos qui primum se indisciplinam ipsius darent, explorare volente rato num patienter calumnias & contumelias, exciperent, injuriis exciperetur, videre cœpit. Sed miranti id præceptori & petenti. Tene ridere contumelia affectum? respondit juvenis. Tribus ipsis annis etiam dona dedi me calumniantibus & injuriis afficientibus, & jam reperto qui me gratis irrideat, ridere meretur? Tunc ait Philosophus: Ingredere, ne tu aptus es ad sapientiam condiscendam. Unde efficere Joannes Abbas volebat, patientiam sapientiæ januam esse, per quam ad illam aditus pateret.

VII. *Maffejus in vita S. P. Ignatii lib. 3. c. 7.*

Cum S. Parens noster Ignatius unà cum P. Jacobo Lainio Venetiis Patavium iter haberet, domestica eaque admodum detrita lacerna indutus, pecuarius quidam puer, conspectis eminùs peregrinis, ad eos repentè propius advolat, cœpitque cachinnos tollere, & licentiùs illudere.

Cumque Ignatius vultu placido substitisset, quasi ridendum se propinans, conversus ad eum socius, Quin, ait acceleras gradum Pater, teque pueri istius petulantiæ subtrahis! Cui Pater, Imò verò cur puerum oblata sibi præter spem hac oblectatione fraudemus? Itaque data opera diutiùs in iisdem hæsit vestigiis, ac se curiosiùs intuendum ridendumque affatim protervo adolescenti præbuit: plus nimirum ex hoc qualicumque sui contemptu ac ludibrio hauriens voluptatis, quàm sæculares è vulgi plausu faustaque acclamatione percipiunt.

VIII. *lib. 4. c. 5. vitæ.*

B. P. Franciscus Borgiæ, quadam die cum P. Bustamantio socio suo iter faciens, divertit in hospitium vile, humilemque casam, in qua commodus dormiendi non erat locus, nisi angusta lecticula, & straminei quidam manipuli: in quibus tum etiã Patres decubuerunt. Bustamantius tum ob senectutem, tum quòd respirandi angustia laboraret, tota nocte tussit & spuit, dumque versus parietem se spuere putat, ignarus P. Franciscum conspuit, faciem etiam ejus non rarò fædans. At ille nihil turbatus tacitusque transegit noctem, ita sputo deformatus, vix ut agnosci posset. Ubi diluxit, comperto quod res erat, Bustamantius illa turpitudine confusus, veniam precatur. Franciscus autem ex adverso hilaris & jucundus, eum solaturus: Non est, ait Pater, quod ea re labores: nec enim usquam me dignior in cubiculo locus sputo aspergi debuit.

CAPUT XXV.

De exercitio humilitatis quod in Religione habemus.

In regulis fusior. reg. 7.

Cœnobitica vita præstat solitariæ vitæ, ob virtutum occasiones, in conversatione.

1. S. Basilius inter ceteras, ob quas vitam monasticam solitariæ & anachoreticæ anteponat, rationes, hanc inprimis consignat, quòd hæc, præterquam quòd multis sit exposita periculis, non tot ad necessarias virtutes acquirendas. Habeat subsidia, quot monastica, quòd omni earum sit usu exercitioque destituta. Quomodo enim se in humilitate exerceat is, qui vi se subjiciat neminem habet? quomodo in misericordia & charitate, qui cum nullo mortalium conversatur & tractat? quomodo denique in patientia, qui suis operibus & sententiæ qui adversetur, nullum habeat? At qui in communitate vivit Religiosus, maximam ad omnes virtutes sibi necessarias acquirendas oportunitatem habet, quod plurimæ earundem exercendarum occasiones, ibi occurrant: in humilitate quidem, quòd ibi repetiat cui se subjiciat & humiliet: in charitate, quod habeat, erga quem eam exerceat; in patientia denique, quòd cum tam multis conversanti numquam ejus exercendæ desit occasio. Ac sic de reliquis discurrere virtutibus possemus. Multum certè sumus omnes Religiosi Deo, ob eximium illud vocationis ad Religionem beneficium obstricti: eò quòd magna in ea dispositio ac media virtutis adipiscendæ inveniantur; adeò ut ipsa non imme-

immerito schola virtutum queat appellari.

Societatis homines præ aliis ad gratias pro vocatione sua Deo agendas, tenentur ob humilitatis occasiones.

2. Nos verò potissimum & peculiari quadam ratione clementissimo huic Patri obligati sumus: quòd præter media omnibus communia, alia specialia nobis dederit; ac præsertim ad humilitatem obtinendam, eaque ex ipsis regulis & constitutionibus dimanantia. Adeò ut, si regulas nostras ritè observemus, egregiè simus futuri humiles, quòd nimis quàm sufficiens humilitatis exercendæ in illis exercitium habeamus. Uti est illud, quod à nobis regula illa & constitutio, quæ tanti est ponderis & momenti in Societate, requirit; qua jubemur omnem conscientiæ nostræ statum superiori manifestare, nihil ut ejus illum celemus, patefaciendo nimirum illi omnes nostras tentationes, passiones, pravas inclinationes, omnesque defectus & imperfectiones: & esto hoc alium ob finem præscribatur (ut suo loco demonstrabimus) nemini tamen dubium est, quin insigne id humilitatis sit exercitium. Hujusmodi quoque illud est, quod alia regula præscribitur, cujus sic est tenor: *Ad majorem in spiritu profectum, & præcipuè ad majorem submissionem & humilitatem propriam, contentus esse quisque debet, ut omnes errores & defectus ipsius, & res quacumque qua notata & observata in eo fuerint, Superioribus per quemvis. Qui extra confeßionem eas acceperit, manifestentur.* Vbi ipsa notanda est ratio ob quam id fieri jubetur, *ad majorem submißionem & humilitatem*: atque hoc est, quod hîc tractamus. Si ergo veram consequi humilitatem velis, gaudebis, omnes imperfectiones & defectus tuos Superioribus patere. Vnde bonus & humilis Religiosus ultrò & per se ipse Superiori defectus aperit, proque iis injungi sibi pœnitentiam postulat, primus esse studens, per quem illi Superiori innotescant. Nec illud modò, sed & aliud longè excellentius humilitatis exercitium in Societate habemus: quòd publicè fratribus omnibus audientibus ipsi nos de culpis commissis accusare pro more habeamus, ut sic ab ipsis despiciamur & minoris fiamus: hic quippe est hujus exercitii humilitatis finis; non verò, ut pro viro humili & mortificato habeamur: hic enim non tam humilitatis, quam superbiæ actus & exercitium foret. Eodem quoque spiritu accipiendæ & desiderandæ tibi sunt omnes reprehensiones, non privatæ solùm & quæ clam aliis fiunt, sed & publicè coram aliis institutæ, &, quantum est ex parte tua, gaudere ipse debes, quòd id ea intentione fiat, quòd omnes ita de te sentiant, teque ut talem habeant. Et universum omnium exteriorum pœnitentiarum & mortificationum in Societate obiri solitarum usus & exercitium, ad veram humilitatem quà acquirendam, quà conservandam maximopere conducit, qualia sunt accumbentium pedes exosculari, sub mensa, vel humi, vel genu flexo comedere, ad januam refectorii prosterni, &c. certè si eo hæc spiritu peragantur, quo peragi debent,

In regulis fusior. reg. 7. Cœnobitica vita præstat solitariæ vitæ, ob virtutum occasiones, in conversatione.

3. p. Constitut. c. 1. §. 12. & regul. 40. & 41. Summar. 3. p. constit. c. 1 §. 12. & regul. 40. & 41. summ.

3. p. tract. 7.

Reg. 9. summar. & c. 4. examin.

plurimum ad veræ humilitatis acquisitionem & conservationem momenti conferent.

Exercenda humilitas interior, dum exercetur exterior.

3. Quando ergo humi cibum sumes, id facias oportet cum interiore tuiipsius cognitione, indignum scilicet te reputando, qui unà cum fratribus communi mensæ accumbas: quando eorum osculaberis pedes, cogitabis, non mereri te qui terram quã ipsi calcarint, exosculeris; quando te in solo prosternes, mereri, ut omniũ pedibus premaris & conculceris. Quin & velle & desiderare debes, ut omnes idipsum de te sentiant. Expediret quoque ut, dum quis has exteriores mortificationes subit, interiùs in his se considerationibus exerceret; uti exercebat sanctus ille monachus septennio toto ad monasterii januam perstans, de quo Superiori capite locuti sumus: hoc enim pacto erunt illæ utilissimæ, & humilitatem in corde producent. At si sine ullo spiritu & dumtaxat exteriore forma suscipiantur, vix quidquam proderunt: quia, teste Apostolo, *corporalis exercitatio ad modicum utilis est.* Tunc quippe rem pro forma & è consuetudine peragis, cùm solùm exterius sine spiritu eam exequeris, nec finem, qui per eam spectatur, consequi studes. Si enim postquam fratrum pedes osculatus es, teque in terram prostrati omnium pedibus conculcandum, mox asperiùs & præfractè eos alloquaris; te tibi dissimilem præbes, & quòd priùs peregisti contrario facto revocare ac damnare velle videris, signum ergò est, id inani ex ostentatione & hypocrisi te fecisse.

1. Tim. 4. 8.

In sui Instituti humiliandi modis se quisque teneat Religiosus. *tract. 1. c. 7.*

4. Hæc interna juxta & externa humilitatis exercitia in Societate habemus per regulam & constitutiones præscripta, quorum memoriæ causa tantum hic obiter meminisse volui, cùm suprà ea alium ob finem pluribus deducta sint: ut in illa oculos identidem conjiciamus, & circa illa humilitatem potissimũ exerceamus: nam in eo potissimum Religiosus virtutem ostendere & mortificare se debet, quod ad regulas & constitutiones Religionis suæ rectè observandas requiritur: in hoc enim omnis noster profectus & perfectio sita sint. Certè si sat virtutis non habeas ad illa humilitatis & mortificationis opera obeunda, ad quæ Regula & institutum tuum te obligat, non est quod ob reliqua quæ habes, te circumspicias.

Christianus in observandis mandatis.

5. Quod ipsum & de quolibet Christiano dicere possumus, ideo potissimum humilitate & mortificatione eum opus habere, ut earum adminiculo legis divinæ mandata observet. ad quod si eas non habeat, parum aut certè nihil illi proderunt. Si enim humilitatem & mortificationem non habeat, ad peccatum aliquod probrosum in confessione aperiendum, sed ipsum præ pudore, aut potiùs superbia subticet, itaque tam necessarium mandatum sacrilegè transgreditur; quid ei profuerit, quidquid demum habuerit, vel egerit? Nam vel ob solum condemnabitur.

6. Idem

Religiosus in observandis regulis suis.

6. Idem suo modo & de Religioso dicere possumus: si inquam eam humilitatem non habeas, ut Superiori conscientiam tuam relegas, & tanti momenti regulæ satisfacias; quo tibi tandem vel quorsum humilitas & mortificatio? si ne quidem ferre potes, ut alius quislibet erratum tuum Superiori apperiat, quo is remedium adhibeat, ubi tua humilitas est? si humilitatem non habeas ad reprehensionem & pœnitentiam iniunctam æquo animo excipiendam, ad vile & abjectum aliquod officium obeundum, ad gradum, ad quem te cooptare Societas volet, admittendum; cui quæso usui humilitas & indifferentia, & quorsum eam Superiores tam impensè requirunt? Sic se Religiosus quislibet, cuiuscumque demum sit Ordinis, in iis quæ speciatim instituti sui sunt; & quivis Christianus, in iis quæ status & officii sui, potest excutere.

Caput XXVI.

Cavendum studiose à verbis quæ in nostri laudem possent cedere.

Basil. ser. de exer. mona. SS. PP. monent abstinere à jactantia in cõmuni.

1. Vitæ spiritualis magistri & formatores Basilius, Gregorius, Bernardus, & alii jubent, ut quàm diligentissimè ea proferre in communi colloquio caveamus, quæ in laudem & æstimationem propriam possent redundare, juxta illud pii Tobiæ ad filium suum monitum: *superbiã nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas.* Quam in rem notat & expendit Sanctus Bernardus illud Apostoli: *Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut aliquid audit ex me.* O Grandia & illustria quædam in sui commendationem dixerat Apostolus, quod ad audientium utilitatem, maioremque Dei gloriam ita expedire videbatur; aliaque his illustriora adjungere potuisset, quia jam tum ad tertium usq; cœlum raptus fuerat, ubi inaudierat & intellexit ea quæ non licet homini loqui, quæque omni humano sermone eminentiora sunt; sed parcere se & omittere illa fatetur, ne quis plura se habere existimaret, quàm revera haberet, aut in se videretur. Vnde Sanctus Bernardus ait: *Quam pulchrè dixit, Parco. Non parcit sibi arrogans, non parcit sibi superbus, non cupidus vanæ gloriæ, & jactator actuum suorum, qui vel sibi arrogat quod est, vel mentitur quod non est,* ut sic pluris fiat, majoriq; in honore habeatur: *Solus qui vere humilis est, parcit animæ suæ, qui ne putetur quod non est, semper quantum in se est, vult nesciri quod est.* Et ad specialiora descendens, alibi sic habet: *Loquens nihil dicas unde multum eruditus, multumve religiosus,* aut multum orationi deditus, *possis putari:* id est in genere id omne, quod ullatenus aut quoquo modo in laudem tuam possit cedere, cave proferas: est enim id in primis periculosum: nam esto idipse verè possis dicere, & eius auditione sint alii non parum ædificandi, atq; adeò id aliorum bonum & commodum dicere tibi Videaris, ad ipsum reticendum satis est, quod tuum sit. semper ergo in hoc quàm cautissimè procedas oportet, ne quod

2. Cor. 12. 16.

Epist. 87.

in Specul. Monachi.

Tob. 4. 14.

Bb 3 quod

In sui Instituti humiliandi modis se quisque temetat Religiosus. tract. 1. c. 7.

Christianus in observandis mandatis.

quod in eo egisti, boni hac ratione jacturam facias.

in specul. discipl. p. 3. c. 3. Specialiter ne de scientia te jactes. 2. Sanctus Bonaventura verò consulit: *Numquam de scientia vel de saculi statu te jacta.* Id est, Nihil præferas umquam, è quo te colligant alii esse vel scientem, vel peritum, vel aliquibus ingenii dotibus & particularibus talentis instructum; nihil quoque agas, unde aliàs magnus in sæculo fuisse appareas. Turpe certè & indecens est, in Religione se ob parentum & maiorum nobilitatem dignitatemq; arroganter jactare: quid enim illustria stemmata & dignitates sunt aliud, quàm pauxillum venti? vel, ut alius ille scitè dicebat, ad nihil omnino prodest nobilitas, quã ut condemnatur & nihili fiat. Sola virtus & humilitas quam habebis, ibi magni fit, eius solius ibi habetur ratio. quidquid enim in sæculo fuisti, aut non fuisti, mera vanitas est & fumus: unde qui se in Religione ob hæc ipsa circumspicit, eaque magni pendit, egregiè vanitatem & exiguũ spiritũ suum prodit: nam talis mundum nec deseruit, nec contempsit, quare egregiè S. Basilius: *Qui natus est ex spiritu juxta Domini vocem, & spiritualem ac divinam cum Deo consanguinitatem contraxit, & potestatem accepit fieri filius Dei; eum cognationis secundũ carnem pudet*, & oblivio capitur. Omnes quidem qui in propriam laudem tendentia loquuntur, se ridendos propinant, & infames reddunt; juxta commune illud tritumque sermone proverbium, *Propria laus vilescit in ore.* vel illud Sapientis monitum: *Laudet te alienus, & non os tuum extraneus, & non labia tua.* At Religiosum laus & commendatio propria dedecent quàm maximè, quod professioni eius è diametro adversentur. unde per quæ se quis commendandum & laudandum sperat, per ea maximè contemnitur ac despectui habetur. S. Ambrosius super illa Prophetæ verba: *Vide humilitatem meam & eripe me*, ait: Quantumvis infirmus, pauper, vilisque conditionis quis sit, si non superbiat, nec ulli se præferre velit, sua se humilitate commendat, & omnibus amabilem & laudabilem reddit. Hæc quippe quidquid deest, illi supplet. Contrà; sit licet opibus, nobilitate, potentia, litteris eminens, multasque alias dotes & talenta qua naturæ, qua fortunæ habeat, si iisdem insolescat, superbiat ac se jactet; insolentiâ sibi vilis est, minorisque penditur, nec quo deberetur loco habetur, quòd superbus audiat & reputetur.

in regul. brevic. 90.

Prov. 27. K.

serm. 20. Ps. 118. 153

Exempla. *Surius in vita.* S. *Arsenii humilitas*

3. Abbas Arsenius, tametsi in sæculo vir eximius litterisque egregiè cultus fuisset, utpote in Imperat. Theodosii filiorum Arcadii & Honorii, post etiam Imperatorum, præceptorem electus; ex quo tamen monachus factus est, nullum unquã verbum protulit, quod antiquum sæculi decus saperet, aut è quo doctrina qua pollebat, colligi posset; sed tanta cum reliquis monachis humilitate ac simplicitate conversabatur, ac si litterarum omnino fuisset ignarus, imò è simplicissimis quibusque monachis res ad spiritus profectum spectantes percunctari non gravabatur, in altissima hac scientia ne discipulum quidem

dem eorum appellari mereri se dicti- tans. S. Hieronymus quoque, esto illustri esset genere progenitus, in omnibus tamen quos scripsit libris nullum eius rei vel minimum judicium reperire est.

Item S. Hieron.

4. Vnde S. Bonaventura hanc egregiam, cur laus reticeri proprio debeat, dat rationem: *Certum est*, inquit, *vix quidquam boni laudeve digni in te esse posse, quin id statim in aliorum oculos incurrat, ab iisque notetur: quod ipsum si tute abscondas ac silentio premas, magis eo placebis ac prædicatione dignior videberis, tum ob ipsam virtutem, tum quòd eam non divulges. at si illam in apertum proferas ac velut ostentes, exsibilaberis; & ob quod priùs benè ædificabantur, teque in pretio habebant, jam te despicient & ludibrio dignum censebunt.*

Iactantia sui nō est opus, cū bonum emicet.

5. Etenim virtus velut mustum est, quod quo magis absconditur, eo se magis odore suo prodit; at si apertum gestetur, mox fragrantiam omnem amittet.

Cur de virtute jactantia non sapiat.

6. Abbas Eleutherius, ut S. Gregorius litteris prodidit, die quadam iter faciens, facto vespere, cum diversorium esset; in monasterio Virginum est hospitatus. Hæ enim in illa domus parte requiescere jubent, in qua puer erat quem malignus spiritus noctibus singulis vexare solebat: hunc igitur vir sanctus nocte illa lecti socium habuit. facto autem mane rogarunt eum sanctimoniales, num puero nocte superiore quid insolitum accidisset. Negavit ille. Tum illæ, per singulas noctes eum à maligno spiritu infestari solitum dixere, summopere postulantes, ut illum secum ad monasterium tolleret. Consensit senex, puerumque ad monasterium duxit. Qui cum ibi multo tempore egisset, atque antiquus hostis ad eum accedere minimè præsumpsisset, eiusdem senis animus de salute pueri immoderatius lætari cœpit. Nā apud suos agens, dixit: Fratres, diabolus sibi cum illis sororibus locabatur, at verò postquam ad servos Dei puer hic venit, ad eum ulteriùs accedere non est ausus. Vix hæc erat elocutus, cum subitò corā omnibus diabolo invadente vexari cœpit, quo viso Abbas se protinus in lamentum dedit, vanam gloriationem suam subitæ huius invasionis causam esse dictitans. Quem dum fratres consolari vellent, ait, Nullus vestrum hodie quidquam cibi degustet, usque dum puer à dæmonio liberetur. Nec mora. Vniversi simul in preces incubuerunt, nec prius ab oratione surrexere, quàm puer à vexatione liberaretur. Atque hinc patebit quantum Deo displiceant quæ in propriam cōmendationem quidam aliquatenus faciunt, tametsi nonnisi à jocante & nihil mali intendente proferantur, ut Abbas ille sua protulit.

Exemplum. l.3. dial. c.33.

Caput XXVII.

Quomodo secundus hic humilitatis gradus in oratione sit exercendus.

Magna perfectio humilitatis præscripta à S. Ignatio.

1. S. Parens noster Ignatius in Cōstitutionibus hanc, quàm jam suprà attulimus, regulam, quæ certè permagni momenti & summæ perfe-

ctionis

Cap 4 examin. §. 44. & 45. cap. 5.

ctionis est, nobis assignat. *Quemadmodũ mundani homines, qui ea quæ mũdi sunt, sequuntur, diligunt & quærunt magna cum diligentia honores, famam, magni nominis existimationem in terra, sicut mundus eos edocet: sic qui procedunt in spiritu, & seriò Christum Dominum sequuntur, amant & ardenter exoptant quæ iis omnino contraria sunt, indui nimirum eadem veste ac insignibus Domini sui pro ipsius amore & reverentia: adeò ut, si sine offensione ulla divinæ maiestatis & absq; ullo peccato proximi foret, vellent contumelias, falsa testimonia, & injurias pati, ac stulti haberi & existimari (nulla tamen ad id per eos data occasione) eo quod exoptant aßimilari ac imitari aliquo modo Creatorem ac Dominum nostrum IesumChristum, eiusque insignibus indui.* Præcipit verò ulteriùs, & quotquot in societatem cooptari volunt, prius *interrogentur, an huiusmodi desideria in se sentiant.* Durum sanè videtur, novitium, qui recenter è sæculo prodit, & ipsum adhuc penè circumfert, circa tam arduam tantæque perfectionis regulam examinari. At vel hinc perfectionis, quam institutum nostrum exigit, magnitudinem, perspicere possimus. Requirit nimirum homines prorsus à se ipsis egressos, mundoq; penitus mortuos.

Si hæc nõ attingatur statim re ipsa desiderio salt em potest attingi.

2. Verum quia hoc per arduum minimeque vulgaris est perfectionis, subjungit S. Pater: *Quod si quis propter humanam nostram debilitatem ac miseriam in se tam inflammata desideria non sentiret, interrogetur an certè desiderium sentiat; huiusmodi desideria sentiendi: & an decreverit paratusque sit huiusmodi injurias, illusiones & opprobria admittere, & cum gratia Dei ferre.* Hæc enim bona est ad quidpiam discendum profectumq; aliquem faciendũ dispositio; sufficitq; ut tiro intensum adferat desiderium artis quã scire avet, addiscendæ, & cum hoc ei se applicet: sic enim fore ut illam perfectè addiscat. Religio, virtutis & perfectionis est schola: hoc tu cum desiderio illam intra, & quod spectas consequêris.

Si & hoc desit desiderandum bonum desiderium desiderii boni.

3. Agedum ergo, hac ex parte exercitium hoc exordiamur, in ipsoque paulatim & per partes progrediamur. Dicis non sentire te in animo desiderium, quod despici & parui duci optes, sentire tamen desiderium tale quid in te sentiendi; hac ergo ex parte te incipe quoad hanc humilitatis virtutem in oratione exercere, ac dicito cum Propheta: *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore.*

Psal. 118, 20.

Praxis talis desiderii.

4. *Ah, Domine, quàm absum procul ab incensis, & vivis illis desideriis quibus illustres illi sancti veriq; humiles imus in animo flagrabant, ut ab universis hominibus despectui haberentur! Vellem equidem vel illuc saltem pertingere possem, vellem desiderium haberem tale quid in me sentiendi, & ipsum summopere exopto.* Macte animo, rectam insistis viam: bona hæc via & dispositio est ad ipsum obtinendum: tu tantùm identidem in oratione id petere non cesses, Dominumque roga ut cor tibi emolliat, & ad aliquot dies in eo persiste: sunt enim Deo huiusmodi desideria longè gratissima, eaque exaudit libentissimè. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus: præparationem*

Psa. 9. 38.

nem cordis eorum audivit auris tua. Statim enim inspirabit tibi desiderium aliquid pro ejus nomine patiendi, & alicujus pro peccatis tuis austeritatis subeundæ: quod dum suggereret, in quo id, quæso, meliùs exerceas; in quo pœnitentiam majorem facias, quàm ut illius causa & nomine contemnaris, & nullo innumero habearis? idque in peccatorum admissorum expiationem. Sic faciebat David Rex, cum à Semei malediceretur & contumeliis proscinderetur: *Dimitte eum*, ait suis, *ut maledicat mihi, si forte respiciat Dominus afflictionem meam, in expiationem scelerum à me commissorum, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.* Cùm ergo hanc tibi Dominus gratiam præstabit, ut despectus & contemptus subeundi, quo Christo similis aliquatenus efficiaris, in te desiderium sentias, minimè tibi cogitandum est, totum confectum jam esse negotium, & humilitatis te virtutem jam tam assecutum; quin imò tunc tibi persuadeas oportet, eam de novo in animo te inserere & plantare debere.

Si & hoc desit desiderandum bonum desiderium desiderii boni.

2. Reg. 19. 11.

Ps. 118, 20.

Praxis talis desiderii.

3. Quare non sunt tibi hujusmodi desideria levi manu pertranseunda, sed iisdem diutius insistendum, & longo ea tempore in oratione excellenda, usquedum efficacia reddantur, ut in opus prorumpant & executioni mandentur. Cùm verò jam eò perveneris, ut oblatas despectionis occasiones tibi æquo animo admittere videaris; in ipso quoque opere tibi multi sunt gradus ascendendi, ut tandem ad humilitatis perfectionem pertingas.

Desideria humilitatis despicienda, sed non sola sectanda

Psa. 9. 38.

6. *Ante omnia* enim opus est, ut omnes, quæ ad tui despectum vilipensionemque quoquo modo facere videbuntur, occasiones æquanimiter & cum patientia ferre continuo exercitio consuescas. In quo satis quod agas ad aliquod tempus, & forsan etiā ad longum invenies. *Deinde ulteriùs* tibi progrediendum, necantè quiescendum, nec elanguendum quoadusque in despectu & infamia irrogata gaudeas, tantumque è contumeliis & injuriis voluptatis capias, quantum mundani ex omnibus quos dare mundus potest honoribus, opibus & deliciis: secundum illud Psalmographi: *In via testimoniorum tuorum delectatus sum sicut in omnibus divitiis.* Cùm rem quampiam seriò & intima cordis cum intensione desideramus, naturaliter ea jam adepta, gaudemus; etsi quidem multum eam desideravimus, multū quoque gaudemus; sin parum, parum. Hoc ergo tibi signum sit, unde colligas an verè contemni despiciq; velis, & nunc quem in humilitate profectū facias. Atque hæc eadem in reliquis virtutibus regula servanda est.

Ad praxin denique est veniendum per gradus.

Ps. 118. 14.

Cap. 16. tract. 3.

7. Vt autem hoc orationis adminiculo magis proficiamus, atque eius præsidio virtus animo nostro profundius insculpatur, ad casus particulares magisque difficiles, qui possunt occurrere, in ea nobis descendendum est, ad eosdem nos disponendo, itaque in iis nos gerendo, ac si de facto nobis occurrerent; ac tam diu in iis insistendum,

Exercitia humilitatis in oratione imaginādo effingenda.

1. p. tract. 5. c. 16.

dum, usque dum nihil quod nos remoretur, occurrat, sed omnia ex superata & pervia esse videantur: hoc enim pacto & vitium evellitur, & virtus simul animo imprimitur & insculpitur, magisque perficitur.

Simile elegans.

7. Apta id similitudine ab auri fabris petita declaratur; solent hi aurum depuraturi, primum illud igne liquefacere, liquefacto dein granum Chrysocollæ, vel sublimati injicere: cujus vi aurum magna vi effervescens & bulliens tamdiu agitatur, usque dum omnis Chrysocolla decoquatur qua decoctâ, quiescit & subsidit aurum, cui si dein aurifaber alterum chrysocollæ granum injiciat, aurum quidem denuo effervescit, non tanto tamen impetu quanto priùs: quâ iterum decoctâ & consumptâ, iterum subsidit: tertiò eâdem & decoctâ injectâ idem in auro tertiò sequitur effectus, sed semper minùs intensus: at si quartò tantundem sublimati imponatur, aurum sine ullo motu strepituve stat, nec magis communetur, quam si nihil admistum esset, eò quòd jam depuratum & planè expurgatum sit, hæcque quies ejus purificati signum vulgò habetur. Hoc ergo & nos in oratione facere oportet, granum inquam aliquod chrysocollæ intermiscere, cogitare nimirum offerre se tibi jam occasionem mortificationis & despicientiæ; qua occurrente, si nonnihil commovearis & turberis, persta, quoadusque orationis calore chrysocolla decoquatur, tu insurgentem ex adversum tentationem repellas, & tuus ad quietem & serenitatem animus componatur. Sequenti die rursus chrysocollæ tantumdem intermisce, cogitando, aliam rem æquè arduam, multæque mortificationis & humiliationis tibi occurrere: ad cujus incursum si natura more suo effervescat & turbetur, tu nihil territus quiesce, donec evincas & in hoc conquiescas. Idem fac tertiò & quartò: ac si tum nullum in te motum chrysocolla turbationemve causet, sed, quacumque etiam re & occurrente pacem nihilominus & tranquillitatem mentis habeas, aurum tunc demum defæcatum & probum est: idque argumento est, jam te ad perfectionem & fastigium virtutis pertigisse.

Caput XXVIII.

Quomodo particulare examen circa virtutem humilitatis instituendum sit.

1.p. tract. 7. cap. 4. & 5. Humilitatis exercitia sunt per partes dividenda.

1. Examen particulare, uti suo diximus loco, semper de una re singulari est instituendum: hoc enim pacto efficacius id est, majorisq; energiæ, quam si multas res simul junctas complecterentur: atque id eò particulare vocatur, quod de una re sola instituatur. Tanti porro id momenti est, ut in eo vitium aut virtus aliqua specialis, etiam sæpè, imò dicam se plerumque, per partes sit distribuenda, & paulatim proponenda, ut sic quod spectat, examinans, faciliùs consequatur. Eodem modo se res habet in hac virtute: si inquam speciale examen instituere velis ad superbiam animo evellen-

lendam, humilitatemque ejus loco illi inserendam, non erit ea in genere capienda: (superbia enim & humilitas multa nimis complectitur: unde si eam in genere & conglobatim accipias, videlicet, nolle te esse superbum, sed humilem esse velle; latè parens id examen erit, imò latiùs, quàm si duabus tribusve de rebus simul institueretur, itaque nihil effeceris, & actum egeris) sed ipsum minutim & per partes accipiendum. Vide ergo in quo præcipuè tibi humilitatem deesse, & prævalere superbiam sentias; & ab hoc evellendo incipe: quod ubi perviceris, aliam partem aggredere, exinde rursus aliam: itaque paulatim superbiæ vitium ex animo evelles, & humilitatem ei inseres. Hæc ergo membra præsenti in capite minutim subdividemus, & per partes distinguemus, ut circa virtutem hanc tam necessariam particulare examen meliùs majorique cum fructu obire possimus.

Cavendum ne loquamur de reb' honorificis nobis.

2. *Primum* sit ergo, nihil proferre quod in nostram laudem, commendationem, existimationemque cedere queat. Nam quoniam honoris & æstimationis appetitus adeò nobis ingenitus & naturalis est, cordique nostro tam profundè insculptus, hinc penè etiam non advertentibus, sentientibus ac reflectentibus nobis, lingua quædam effundit, quæ in laudem nostri quà directè, quà indirectè redundent. *Ex abundantia enim cordis os loquitur.* Mox ergo ut rei alicus honorificæ mentio incidit, statim ejus partem aliquam in nos cuperemus derivatam, decimusque, v.g. Præsens ei fui: causa quoque exstiti, ut sic ea perageretur: nisi per me fuisset, sic peracta non fuisset, &c. Jam tum à principio id ita futurum mihi videbatur, ideoque ab eo me subduxi: spondeo tibi, nisi id ita confecissem, quòd tametsi id ipse per te aggressus esses, eique te immiscuisses, in eo conficiendo defecisses. Hujusmodi sunt alia sexcenta, & tam latentia, ut non ante ea advertamus, quam cum jam prolata sunt. Quamobrem consultum est, speciale examen circa hoc instituere, ut per bonam hanc reflexionem & consuetudinem, alia illa mala, nobis propemodum à natura insita eradicetur.

Matt. 12. 34. Luc. 6. 45.

3. *Secundum* est, (quod nos monet S. Basilius, nec non S. Hieronymus, Augustinus, Bernardus) ut inviti, & averso animo audiamus cum ab alio quopiam laudamur vel commendamur: quòd magni res sit periculi laudes suas ex ore alieno audire. Docet S. Ambrosius, dæmonem viso, se tentatione ad pusillanimitatem ac desperationem nobis prævalere non posse, per superbiam ac præsumptionem nos expugnare conari: dumque infamia dedecore irrogato supplantare nos nequit, operam dare, ut ab aliis honoremur & laudemur, ut hac ex parte saltem, in ruinam pertrahat.

Serm. de exercit. monast.

Laudem propriã inviti audiamus.

S. Ambr.

4. Sanctus Pachomius consueverat, (ut scribit Sanctus Hieronymus) procul à suo monasterio orationis causa ad loca remotiora descendere, qui cum inde reverteretur immundi

In vita S. Pachomii.

 spiri-

ſpiritus illudentes frequenter eum facto velut ordine præcedebant, exhortantes alter alterum, quaſi ante ducem directis agminibus, ac dicentes: *Date locum homini Dei, date locum homini Dei*, hac enim via ad ſuperbiendum, & altum quid de ſe præſumendum inducere ſatagantes: ſed ipſe his omnibus major, viciſſim eos exſibilabat, nec laudes has morabatur. Hoc ergo te par eſt imitari cum te vel audies ab alio quopiam laudari, vel intus propria tui ipſius exiſtimatio ne titillaberis, Cogita, inquã, audire te dæmonem hæc tibi occinentem: proinde irride & exſibila ipſum, itaq; ab hac tentatione expedieris.

Cap. 21. Dęmon homines ad ſuperbiam inducere ſatagit acutis inventis.

5. Notabile prorſus eſt quod hoc in genere ſcribit Joannes Climacus. Diabolus, inquit, monacho cuidam cogitationes malas, quibus alium infeſtabat, aperuit, idquę non alia intentione, quàm ut, dum tentatus ex alio mentis ſuæ cogitatio audiret, eum ut prophetam haberet, atque ut ſanctum laudaret ac deprædicaret: ut hac ille laude audita magnum quid de ſe præſumere. Unde patet, quanti faciat diabolus, ut hæc ſuperbia & vana complacentia in animos noſtros irrepat, cum tot technis tamque multiplici machina ad eam hominem pellicere ſtudeat. Vnde S. Hieronymus: *Nos ergo ad patriam feſtinantes, mortiferos ſirenarum cantus ſurda debemus aure pertranſire.* Cave has illices peſtes, quę homines incantant, & judicium ac mentem omnem eis faſcinando eripiunt. Laudum ſanè & præconiorum humanorum tam ſuave eſt melos, tamque auribus noſtris accidit gratum, ut haud ſciam; an ulla ſit Siren, quæ nos ita dementet, & judicio privet: ad illius ergo illicia cantumque obſurdeſcere nos, quin & aures obturare oportet. Rectè proinde ſuadet Climacus, ut, cum nos alii deprædicant & celebrant, ipſi ex adverſum peccata noſtra ante oculos ponamus: ita fiet, ut primò oblatis laudibus indignos nos cenſeamus; deinde aliquam ex iis magis nos humiliandi & confundendi materiam hauriamus. Hoc ergo ſecundum eſſe poteſt punctum, circa quod inſtitui particulare examen poteſt, ut nimirum non lęteris cum ab alio laudaris, aut commendaris. His addi poteſt, ut læteris cum contrà alius quis laudatur aut commendatur, quæ alia non exigui momenti particularitas eſt. Vnde cum aliquem invidiæ ſenſum motum ne in te ſenties auditis laudibus & præconiis alienis, aut complacentiam vanamve delectationem auditis propriis, ipſum pro defectu reputa.

S. Hieron.

Bona propria ſunt occultãda.

6. *Tertium* particulari examine excutiendum, eſt nihil agere ut ab hominibus videamur & magnifiamus, monente videlicet nos Redemptore Jeſu: *Attendite ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Excuſſio hujus rei imprimis eſt utilis, multaſque in partes dividi poteſt. Primò enim inſtitui poteſt, ne quid ob reſpectus aliquos humanos faciamus: deinde ut purè propter Deum id fiat; ad hæc ut rectè perfecteque opera faciamus, quia

Matt. 6. 1.

in Dei omnia cernentis oculis ea facimus, & quia Deo in iis servimus non hominibus: donec eo pertingamus, ut in iis magis amare quam operari videamur: uti fusius ostendimus, cum de rectitudine & puritate intentionis, quam in operibus præferre nos oportet, ageremus.

Nos non debemus excusare.

7. *Quartum*, de quo examen particulare potest institui, est, ut numquam cum deliquimus, nos excusemus: etenim non minus è superbia nascitur, dum errorem committimus, vel eius commonemur, statim eum velle excusare: adeò ut etiam, non advertentibus nobis, excusationem unam excipiat alia, & hoc ipsum quod nos excusaverimus, quam primum nova excusare velimus excusatione. *At excusandas excusationes in peccatis.* S. Gregorius Pontifex illud Iobi: *Si abscondi quasi homo peccatum meum, & celavi in sinu meo iniquitatem meam*, exponens, enucleatiùs pensat illud *quasi homo*, aitque: *Usitatum humani generis vitium est, & latendo peccatum committere, & commissum negando abscondere, & convictum defendendo multiplicare. Ex illo quippe lapsu primi hominis hæc augmenta nequitiæ ducimus, ex quo ipsam radicem traximus culpæ. Sic namq; ille, dum lignum vetitum contigisset, abscondit se à facie Domini inter ligna paradisi. Et cum argueretur à Domino, quod de ligno vetito contigisset, ilico respondit: Mulier, quam dedisti mihi sociam, mihi dedit de ligno, & comedi. Ipsa quoq; mulier inquisita respondit, dicens: Serpens decepit me, & comedi. Ad hoc quippe requisiti à Deo fuerant, ut peccatum, quod transgrediendo commiserant, confitendo delerent. Unde & serpens ille persuasor, qui non erat revocandus ad veniam, non est de culpa requisitus. Interrogatus itaq; homo est, ubi esset, ut perpetratam culpam respiceret, & confitendo cognosceret. Cumq; excusare peccatum voluit vir per mulierem; mulier per serpentem, auxerunt culpam, quam tueri conati sunt: obliquè Adam Dominum tangens, quod ipse peccati eorum auctor extiterit, qui mulierem fecit, quasi diceret. Si eam mihi sociam non dedisset, nihil horum contigisset: & Eva culpam ad Dominum referens, qui serpentem in paradiso posuisset, quasi dixisset: si serpentem in paradisum ingredi non permisisses, ipsa non peccassem. Qui enim ore diaboli fallentis audierant: Eritis sicut dii; quia Deo esse similes in divinitate nequiverunt, ad erroris sui cumulum, Deum sibi facere similem in culpa conati sunt. Sic ergo reatum suum dum defendere moliuntur, addiderunt, ut culpa eorum atrocior discussa fieret, quam fuerat perpetrata: Unde nunc quoq; humani generis rami ex hac adhuc radice amaritudinem trahunt: ut cùm de vitio suo quisque arguitur, sub defensionum verba, quasi sub quadam se arborum folia abscondat, & velut ad quædam excusationis suæ opaca secreta faciem conditoris fugiat, dum non vult cognosci, quod fecit.*

Psal. 140. 4.

Lib. 22. mor. c. 9.

Bona propria sunt occultãda.

Matt. 6. 1.

Multo minus alios culpare. B. Petr. Damian.

8. Aliquando etiam satis homini non est, ut se ipse excuset, nisi & in alium culpam omnem transcribat. Unde scitè sanctus quidam Doctor hos sui defensores & excusatores similes facit erinaceo, qui dum à venatore se capiendum vel tangendum sentit, quàm celerrimè caput & pe-

des introrsum contrahit, & toto corpore spinis exhorrescens in globum convolvitur, ut, nisi ab aculeis prius compungi velit, eum comprehendere & capere nequeat, &, ut sanctus scriptor ille ait, *prius sanguinem suum, quam corpus ipsius videat.* Tales sunt, inquit, excusatores sui ipsorum: nam si quidem eos tangere & quos commisere defectus, exprobrare velis, quamprimum se, ad instar ericii defendunt: quin erit, cum & te cruentabunt & pungent, dicentes, te eius quod sugillas, quoque reum esse: alias dicent, regula vetitum esse, nequis fratrem delinquentem per se reprehendat: aliàs oggerent, ab aliis sanè longè peccari gravius, in illorum tamen peccata superiores bellè connivere. Tange inquam erinacium, & videbis num te pungat.

Vnde proveniant illis excusationes & culpationes aliorum ex superbia utiq;.

9. Hoc autem omne à nimia, quam habemus, nascitur superbia: qua nollemus defectus nostros innotescere, & pro imperfectis & peccatoribus haberi: & peius nos habet, quod defectus nostri ad aliorum notitiam deveniant, & jacturam boni nominis quod habebamus, faciamus, quam quod eos commiserimus: unde quanto possumus studio eos tegere & excusare studemus, sunt quoque nonnulli hoc in genere tam malè mortificati, ut etiam ante, quam quid iis objiciatur, reprehendentem præveniant, seque excusent, & quod forsan objici posset, id aliqua ratione colorata tueri & propugnare conentur: dicentes v. gr. *siquidem hoc fecerim, ideo feci: si illud; ea de causa feci.* Dic obsecro, quis hic te pungit, ut ita exsilias? superbiæ, quàm animo & visceribus inclusam tenent, stimulus & aculeus, eos concitat & exilire cogit, & quidem ante tempus.

Quomodo ista superbia exscindatur? Examine particulari.

10. Quamobrem qui hoc vitium pravamque consuetudinem in se sentiet, particulare examen tamdiu suadeo circa hoc instituat, donec nulla tibi vitium occultandi libido ampliùs oboriatur, sed gaudeas potiùs, quandoquidem jam commissum est, quòd imperfectus habearis, idque in commissi expiationem & satisfactionem. Quin, etiamsi nulla à te culpa admissa sit, & nihilominus ob eam reprehendaris, ne te excuses: nam si superior causam & rationem cur id ita feceris, scire velit, illam per se ipse facile inquirere poterit; & jam tum forsan eam novit, sed humilitatis tuæ sic vult periculum facere, ac videre quo sis animo reprehensionem & admonitionem ipsius excepturus.

Cogitationes superbæ repellendę.

11. *Quintum* dicti examinis objectum erit, superbia cogitationes præcidere & resecare. Erit enim quis adeò arrogans & vanus, ut etiam multæ cogitationes vanæ & jactabundæ ipsi occurrant, animo fingendo se ad tale aut tale mun⁹ ministeriumve assumptũ esse: nunc, verbi gratia, imaginãdo in patria tua te magno cũ popularium applausu conciones habere; multumque inter eos animorum fructum facere: modò summa cum adstantium congratulatione & fausto murmure in scholis lectionem habere, & conclusiones aut tuas propugnare aut aliorum impugnare: vel aliis id genus functionibus intendere. Quæ omnia à nimia, quam habemus, superbia

ſuperbia ortum habent, quæ in eiuſmodi cogitationib. repullulat & exoritur. Quare conſultum erit, particulare examen circa tales cogitationes inſtituere, ut eæ videl. quamprimùm reſecentur & ſuccidantur: uti & eæ, quæ caſtitati contrariæ ſunt, & quæ circa temeraria judicia, aut aliud quodcumque vitium, quod te infeſtabit, verſantur.

Omnes ut ſuperiores habendi. 3. p. conſtit. c. 1. §. 4. & reg. 29. ſummarii. Phil. 2. 3. Rom. 12. 10.

12. *Sexta* examinis materia erit, omnes omnino fratres pro ſuperioribus habere, prout nobis regula noſtra præſcribit: *Cum vera humilitate interna procurando in omnibus atque optando potiores partes aliis deferre, omnes in animo* noſtro *tamquam* nobis *ſuperiores ducendo, & exterius honorem ac reverentiam, quam exigit cuiuſq; ſtatus, cum ſimplicitate ac moderatione religioſa exhibendo.* quæ doctrina eadem eſt cum illa quam neophytis præſcripſit Apoſt. Ac licet exterius quoddam eſſe debeat diſcrimen pro perſonarum & ſtatus cuiuſcunque ratione: vult tamen S.P.N. quantum ad veram & interiorem animæ humilitatem ſpectat, ut, quemadmodum ipſe ſocietatem hanc & religionem *minimam* nominavit, ita unumquodque eiuſdem membrum in oculis ſuis ſe pro omnium minimo reputet, omneſque ut ſibi ſuperiores & meliores ducat. Erit ergo hoc admodum bonum & utile examen, dummodo ita fiat, ut non nuda ſolum ſit ſpeculatio, ſed in praxi ipſoque exercitio tali cum omnibus & ſingulis agere procures humilitate ac reſpectu ac ſi verè ſuperiores tui eſſent. Si enim alium quempiam ut ſuperiorem habeas, liberiùs aut præfractius eum nõ alloquêris, multo minùs verbis mordacibus, aut nonnihil mortificantibus proſcindes, non tam facilè eum judicabis, nec graviter feres quòd hoc illové modo is te tractet aut alloquatur. Hæc proindè omnia tanquam defectus & imperfectiones, in examine particulari, annotanda & ſignanda ſunt.

Humilitatis occaſiones in bonã partem accipiendæ.

13. *Septimum*, circa quod utiliter examen particulare hac in materia inſtituetur, eſt, ut omnes humilitatis exercendæ occaſiones quæcumque occurrent, æquanimiter & bonam in partem accipias. Soles verbi gratia graviter ferre, ſi quis verbulum aliquod acerbius tibi dixerit, vel ſi quid imperativè & reſolutè tibi mandetur vel denique cum non te tanta, quanti forſan alii fieri putes. Examen ergo perage, ut has, & alias id genus, occaſiones, quibus aliquid de honore tuo putes decedere, cum occurrerint, æquo animo accipere conſueſcas. Certe ad humilitatis virtutem obtinendam, nullum iſto magis propriũ aut utilius examen habere poſſumus. Nam præterquam quòd hoc modo præmuniamur contra quidquid nobis occurrere poteſt, & per diem opus habemus; poſſumus per illud mirè proficere, & per tres illos virtutis quos aſſignamus, gradus ad eius faſtigium pertingere. Primum ut illa omnia patiēter, deinde promptè ac facilè feramus, donec eo pertingamus, ut nullam amplius in iis difficultatem ſentiamus: demum, ut gaudenter & hilariter quidquid occurrerit, excipiamus, noſtrique deſpe-

Cap. præced.

despectione & contemptu lætemur. In quo diximus humilitates perfectionem consistere.

14. *Octavum*, in quo utiliter versari particulare examen potest, tam in hac materia, quàm in aliis similibus, est, ut aliquot humilitatis alteriusve virtutis circa quam examen peragitur, actus & exercitia, tam internos quam externos, obeamus, tot vicibus in ea manè, tot postprandium ipsam exercendo: incipientes à paucioribus, semperque plures addendo, usque dum quidam eius virtutis habitus & consuetudo contrahatur: Adversariis ergo hac ratione disiunctis ac separatis, & uno singillatim ad debellandum selecto, hic ipse melius faciliusque subigetur, & compendiosiore via id quod intendimus, consequemur.

Caput XXIX.

Quomodo simul cum humilitate consistat, ab hominibus æstimari magnique fieri velle.

Humilitatis studium & cura honestæ famæ bene cōsistunt.

1. SOlet non rarò circa humilitatem dubium quoddam occurrere, cuius solutio certè permagni nostra interest, ut sciamus videlicet, quomodo hac in re nos gerere oporteat. Etenim dum ex communi sanctorum Patrum doctrina docemus, debere nos desiderare, contemni, despici, nullo in pretio ac numero haberi; statim ex alia parte nobis occurrit, quomodo ergo in proximis, si ab illis contemnamur, aliquem fructum faciemus? Ad hoc enim necesse est aliqua apud illos auctoritate & æstimatione pollere, bonamque ipsos de nobis opinionem habere: Ac proinde non inutile, imò perutile futurum videri, ab hominibus reputari atque in pretio haberi velle. Huic difficultati egregiè respondent SS. Basilius, Gregorius & Bernardus, docentque, quod, licet mundanorum honorem & æstimationem omnimodis fugere nos oporteat, ob summum ac multiplex in iis periculum, & quantum est ex parte nostra, semper desiderare debeamus contemni & vilipendi; ob aliquem tamen bonum finem, maiorem inquam Dei gloriam & obsequium, licitè sanctéque eum desiderare possimus. Vnde ait Bernardus, etsi ex parte nostra velle debeamus, ut alii de nobis sentiant & norint id quod de nobis ipsi sentimus, ut ita nos eo in numero habeant, quo nos ipsi habemus; sæpè tamen non expedit alios nosse omnia quæ nos scimus de nobis: unde subinde licitè sanctéque possumus velle, ut aliis defectus nostri non innotescant, ne quod inde iis detrimentum accedat, itaq; spiritualis aliquis profectus in ipsis impediatur.

In reg. brevior. reg. 185. Lib. 22. mor. c. 9. Serm. 41. in Cantic.

Sed difficulter ab hoc vel illo conectuntur.

2. Verum necesse est bene rem hanc intelligamus, & circumspectè magnoque cum spiritu in ea procedamus: etenim huiuscemodi veritates, solent sub veri specie in quibusdam non parum nocere, quod iis prout oportet uti nesciant. Iidem porro Doctores egregiè nobis hanc rem declarant, ne quam ex ea errandi occasionem capiamus. Vnde S. Gregorius: *Nonnunquam etiam sancti viri*

viri de bona sua opinione gaudent, sed cum per hanc ad meliora proficere audientes pensant. Nec jam, inquit, *de opinione sua, sed de proximorum gaudent utilitate: quia aliud est favores quærere, & aliud de profectibus exultare.* Aliud quippe est, honorem & æstimationem humanam propter ipsammet, appetere & diligere, in eaque ob proprium respectum & delectationem sistere, ut nimirum quis magnus habeatur, & apud homines in honore sit: hoc enim malum est, aliud verò cùm hæc existimatio ad aliquem finem bonum intenditur, puta commodum proximi, & ut aliquis in sæcularibus animarum fructus colligatur. Et hoc non malum, sed bonum est. Atque hoc pacto fas nos est mundanorum honorem & æstimationem appetere, &, ut bonam hi de nobis opinionem habeant, procurare, ad majorem scilicet Dei gloriam, quodque ipsum ad proximi ædificationem, & fructum in illo faciendum sit necessarium, hoc enim non tam est sui honore & æstimatione, quam proximi bono & commodo, majorique Dei gloria gaudere. Vti dum quis sanitatis recuperandæ causa medicinam purgantem, quam naturaliter exhorret, sumit, ipsam sumendo, verè sanitatem suam amat, sic dum quis honorem humanum, quem alioquin fugit & despicit, eatenus solum quærit, quatenus is isthoc in casu necessarium aut utile medium est, ad Dei obsequium promovendum, & bonum animarum adaugendum; verè dici potest, non hunc, sed Dei tantummodo gloriam velle.

In reg. brevin. rib. reg. 185. Lib. 11. mo. c. 9. Serm. 41. in Cantic.

Sed difficulter ab hoc vel illo connectuntur.

3. Verum jam penitius dispiciamus, undenam dignoscatur, num quis honore & æstimatione ab hominibus accedente purè propter Dei gloriam & bonum proximi, an verò suiipsius causa tantū, & ob proprium respectum, atque honoris proprii intuitu, gaudeat. Etenim res hæc valdè subtilis est, in eaque omnis difficultatis cardo vertitur. Cui dubio optimè respondet idem qui supra Gregor. *Quam in re,* inquit, *necesse est, ut, cum audientium utilitati, & Dei gloriæ adaugendæ non proficit, mentem nostram fama laudabilis non elevet, sed fatiget.* Adeò ut affectus & desiderium nostrum, quantum est ex parte nostra, semper ad despicientiam ac vilipendium vergere & propendere debeat: unde, si quando aliqua ejus se nobis offerret occasio, ex corde eam amplecti, eaque gaudere debeamus, perinde ac solet qui id quod impense petiit, jam consecutus est. Non aliter autem honorem, & æstimationem hominum desiderare, eoque gaudere debemus, nisi quatenus is est ad proximi ædificationem, & fructum aliquem in iis faciendum, nec non ad majorem Dei honorem & gloriam necessarius.

Signum an honos Dei, an proprius quæratur.

4. Sic S.P.N. Ignatium dicere solitum accepimus, se, si quidem desiderio & fervori proprio indulgeret, nudum, plurimis contectum, & luto oblitum per plateas palàm incessuum fuisse, ut hoc pacto velut insanus haberetur; sed immensum hunc erga humilitatem affectum à caritate & proximis succurrendi desiderio in se cohiberi & retineri, utpote quod ipsum

l. 5. c. 3. vita. Exemplum.

ipsum cogeret eam, quam officium & personæ dignitatis requirebat, auctoritatem & decorem palàm præ se ferre. Propensio verò & desiderium ipsius erat, contemni & vilipendi: hinc, quotiescumque aliqua despectus & humiliandi sui occasio occurrebat, eam cupidissimè amplectebatur, imò non oblata, ex animo ultrò quæritabat.

Modus explorādi an quæras Dei an tuum honorem.

5. Hinc ergo colliges, an honore & æstimatione humana ob solutum animarum bonum & Dei gloriam, an verò tui ipsius causa, & ob proprium honorem & auctoritatem tantum delecteris, si nimirum occurrente aliqua humiliationis & despectus occasione, eam sincerè & ex animo complectaris, eademque summopere gaudeas: hoc quippe argumento fuerit, te, cum aut concio aut alia res quælibet optatum successum habuit, ac propterea ipse ab aliis celebraris & commendaris, non tam ob tuum honorem & æstimationem, quàm purè propter Dei gloriam, & proximi qui inde sequitur, profectum lætari. At, si oblatam humilitatis despectus & vilipensionis occasionem declines, nec benignè eam admittas: &, ubi ad proximi utilitatem id directè necessarium non est, humanis tamen laudibus & æstimatione delectaris, quin & easdem exambis; signum id est, etiam in reliquis rebus, nonnisi propter temetipsum, & ob honorem & celebritatem propriam, non verò purè proter Dei gloriam, & plurimorum bonum, iis te lætari.

6. Humana ergo laus, honor & æstimatio non est mala, sed bona, dummodo rectè ea utamur: unde etiam licitè sanctèque potest appeti. Sic P. N. *Franciscus Xaverius* magno cum hominum comitatu, & insigni pompa ad Regem Bungensem primum accessit. Sic & seipsum rectè sanctæque quis laudare potest, si ritè debiteque fiat: *uti Apostolum Paulum* facere videmus in secunda ad Corinthios, in qua seipsum laudare & commendare, ac magna quædam illustriaque de se commemorare incipit; gratias quas à Domino acceperat, referendo, tum etiam quod cæteris Apostolis plus & abundantius laborasset, nec non ad visiones, & revelationes & raptus, quibus ad tertium usque cælum evectus fuerat, descendendo; Verùm non alia de causa ad hanc narrationem delabitur, quàm quòd ita tunc ad Dei honorem, & eorum quibus scribebat, utilitatem expedire & necessarium esse censebat, ut sic illi eum pro Apostolo Christi haberent & æstimarent, ejusque doctrinam admitterent, ex eaque fructum aliquem caperent.

Laus hóminis nó est mala, sed malus usus humanæ laudis.

Exēpla. *Lib.* 4. c. 10. *viii.* 2. *Cor.* 4. 15. & 19.

7. Scribebat autem hæc animo non solum honoris omnis contemptore, sed & contumeliarum contemptusque sui pro Christo appetitore. Cùm, enim id ad proximi bonum necessarium non erat; egregiè is se norat abjicere & contemnere, uti, cum indignum se esse scribit, qui Apostolus vocaretur, quod Ecclesiam Dei fuisset persecutus; cum se blasphemum, contumeliosum, abortivum, & omnium peccatorum primum vocet: hinc cum ei, vel infamia

Quo sēsu se S. Paulus laudaverit.

1. *Cor.* 15. 9. 1. *Tim.* 1. 13.

Cur san[cti] fuge[rint] honorem.

Exem[plum.] 1. *p. li.* 7. *Chr[on.]* *Minor.*

famia & contumelia, vel opprobria occurrebant, ea summo animi cum gaudio & voluptate excipiebat. His ergo qui sic comparati sunt, permitti tutò potest ut honorem aliquem accipiant, & subinde nonnulla de se ipsi depromant, quæ ad ipsum parandum aliquatenus faciant: numquam enim hujusmodi quid facient, nisi cum ad gloriam Dei spectare & necessarium esse videbitur; atque etiam tam circumspectè & restrictè tunc id agũt, nihil sibi inde arrogantes, ac si prorsus non agerent: quia non tam proprium, quam Dei honorem, & unicum animarum commodum sincerè spectant.

Cur sancti fugerint honorem.

8. At, quoniam admodum difficile est, honore affici, & eo non superbire, nec vanæ alicujus delectationis & complacentiæ titillationem sentire; idcirco veri servi Dei, summum quod in honore & æstimatione hominum, nec non in dignitatibus locisq; eminentibus, latet, periculum veriti, omni qua poterant contentione & studio, hæc omnia declinabant, illaque adibant loca, in quibus ignoti delitescerent, nulloque in prætio haberentur; & circa vilissima quæque ministeria se occupabant; quòd hoc ad profectum & majus bonum suum; & ad se in humilitate conservandos magis facere, hancque viam sibi securiorem esse arbitrarentur.

Exemplum. 1.p.li.1.c. 7.Chron. Minor.

9. Hujus rei præclaram S. Franciscus rationem dare solebat. *Non sum*, inquit, *verè Religiosus, nisi eadem vultus animique hilaritate dedecus ac decus infamiam & honores accipiam: si enim delato ab aliis honore, eo quod ipsis prosum, cum scilicet iis prædico, aut aliud quodpiam bonum iis præsto, gaudeam, itaque animam peririculo evanescendi exponam, multo mihi magis est de meo ipsius bono, animæque meæ salute, quæ tum securior est cùm vituperor & contemnor, lætandum.*

Quare de sui vilipendio citra causam datã gaudendum.

10. Certum est, magis nos de proprio bono & commodo gaudere teneri, quam de bono proximi: nam bene ordinata charitas incipit à se ipsa. Si ergo de proximi bono gaudeas, cum secundus concionis aut alterius cujuspiam negotii à te gesti fuit successus, & ob ipsum de prædicaris & celebraris; quorsum non gaudes de proprio, cum præstito quod in te est, nihilominùs contemneris & vilipenderis? hoc namque tibi & melius & securius est. Si cùm præclarum à Deo ad illustria aliqua obeunda talentum accepisti ob proximi salutem & bonum, gaudes; cur non æque gaudes, illo ad eadem non accepto, ob proprium commodum, tuamque humilitatem? si lætaris ob firmam robustamque valetudinem, ad strenuè pro aliis laborandũ, & ipsorum salutem mirificè promovendam: cur non æquè lætaris, cùm te debilem, languidum, & ob infirmam valetudinem ad nihil idoneum, sed ad res quaslibet gerendas inutilem & neglectum Deus esse cupit? hoc enim in rem tuam cedit, & ad humilitatem comparandam maximopere conducet: quin imò magis per hoc Deo placebis, quam si eximius & ce-

lebris esses concionator, quòd hæc eius sit voluntas ac beneplacitum.

Non est honor ambiendus, ut inde proximus magis juvetur.

11. Hinc perspicuum fit, quàm graviter errent illi, qui honorem & celebrationem mundi eo prætextu ambiunt & spectant, quod is sit ad in proximo fructum faciendum necessarius hocque etiam nomine & colore honorifica officia, gradus & loca sublimiora, & quidquid demum auctoritatem conciliat, ambiunt, & vice versa quidquid vile, abiectum, humile subterfugiunt, rati huiusmodi functionibus ac rebus autoritatem se suam amissuros. In quo & alius æque gravis error latet, quod sc. quo auctoritatem quis parare se existimat, eo ipsam deperdat; & quo amittendam, eo conservet & pariat. Suspicantur v. g. nonnulli per tritam vestem, humile officium, vilem & abjectam functionem, opinionem se & æstimationem, quæ ad proximo commodandum necessaria est, amissuros; sed fascinat ac decipit eos superbia: quia potius eam per hoc ipsum sibi comparabunt, & per alterum illud quod spectabant, deperdent.

Exempla. Lib. 5. c. 3. vitæ. S. Ignatius suos humilitati voluit nomen parare.

12. Præclarè hoc intellexit ac docuit S. Parens noster Ignatius, cũ veræ humilitatis affectum magis ad animarum salutem ac conversionem conferre dixit, quàm quamlibet auctoritatis quę mundum sapiat, ostentationem. Atque hoc ipse non in se solum, sed & in iis quos ad laborandum in vinea Domini emittebat, observare solitus erat, utpote quibus suadebat, ut si res arduas &, magnas exsuperare & perfringere vellent, nõ aliam viam insisterent, quam humilitatis & contemptus proprii: tunc enim opus solidum & securum fore, si super humilitatem bene sit fundatum: &, quod hac via & ratione Deus magna & ardua solet efficere. Atque ideo cùm Patres Franciscum Xaverium & Simonem Rodericium in Lusitaniam mitteret, in mandatis dedit ut victum sibi ostiatim emendicarent, perque contemptionem ac despicientiam sui ad cætera aditum sibi patefacerent. Alfonsum quoque Salmeronem & Paschasium Broëtium in Hiberniam ut nuntios Apostolicæ Sedis proficiscentes pueris rudibusque populis doctrinæ Christianæ rudimenta tradere jussit: Et hunc ipsum Salmeronem & Patrem Iacobum Lainium, cum prima vice ad Concilium Tridentinum à Paulo III. Pontifice, ut Theologi Pontificii, destinarentur, ita instruxit, ut, priusquam suam in illo Patrum consessu sententiam proponerent; Xenodochia obirent, miseris hominibus ægrotantibus ibidem ministrarent, pueros Christianæ fidei institutis imbuerent; & his præjactis fundamentis dein alia maiora aggrederentur, & sententiam in Cõcilio proferrent. Sic enim fore ut bonum ea res successum haberet, fructumque amplissimum adferret: qualem etiam eum Deo dante fuisse constat.

Quare humilitatis prę paramẽto magnæ res e[...]geat.

Pudor est Patrum suorum bonis vestigiis nolle insistere.

13. Et nos per humanam nostram prudentiam dispiciemus, timebimus, & explorabimus, num huiusmodi in speciem abiectioribus functionibus aliquod sit auctoritas nostra captura detrimentum? Non est quòd

quòd timeas, ne, quòd doctrinæ Christianæ rudimenta pueris & rudibus proponas, in compitis ad vulgus, in nosocomiis ad ægros, in carceribus ad vinctos verba facias, de auctoritate quam publicis concionibus pararas, quidquam deperdas: Ne, quòd pauperculorum & simplicis turbæ confessionibus excipiendis vaces, aut in paupere qui Religiosum decet, vestitu incedas, apud viros alicuius nominis & optimates auctoritas & nomen tuum jacturam faciant: quin imò hoc ipso auctoritatem acquires, & quam habes, fama & nomen evadet illustrior, maioremque animorum quæstum facies. humiles enim exaltat Deus, & ipsorum operâ magna operari consuevit.

Quare humilitatis præparaméto magnæ res egeat.

14. Atque ut hanc rationem, quæ tamen potissima & præcipua est, missam faciamus, & humana etiam prudentia & rationibus rem hanc examinemus; nullum certè, ad auctoritatem & nomen apud proximos parandam, plurimumque in animabus ipsorum fructum faciendum, adferri medium potest efficacius, quam his occupari rebus quæ in speciem viles & abjectæ videntur; & eo maiorem quo te ampliùs iis applicueris, maioraque talenta habueris. Cuius rei ratio est, quòd apud sæculi huius filios tanto honor æstimatio, super eminentia & dignitas in pretio est, ut nihil magis mirentur, quam cum ista hæc ab ullo pro nihilo duci, & eum qui sublimia & honorabilia consectari poterat, jam humilibus, postremis, & abjectis delectari vident: unde eos qui eiusmodi sunt, mirè suspiciunt, ut sanctos habent, bonam de iis opinionem concipiunt, eorumq; doctrinam ut cælo delapsam venerantur & excipiunt.

Pudor est Patrum suorum bonis vestigiis nolle insistere.

Lib. 1. c. 12. vitæ. Exemplum. S. Xaverii humilitas.

15. S. P. Franciscus Xaverius in Indiam navigaturus, nihil omnino rerum ad iter tam longinquum necessariarum voluit admittere: unde cùm Comes de Castagneda (cui tum classi Indicæ prospiciendi cura concredita erat) instanter eum rogaret, ut saltem puerum necessariis in rebus in mari ministraturum secum duceret: (etenim eius apud illos quos edocturus erat, auctoritatem imminuendam videri, si suis ipse manibus in navis lateribus vestes lineas inter promiscuam vulgi turbam lavare, & cibum suum coquere conspiceretur) respondit Franciscus: *Talibus adminiculis quæ narras, Domine, auctoritatem & nomen parare velle causa fuit, cur Ecclesia Dei, & prælati eiusdem ad eas redacti sint miserias, quas hodie eheu! cum lacrymis videmus: verus, ergo eius comparandæ modus, mihi crede, est, hosce pannos lavare, cibum suis manibus parare, operam alienam nulla in re requirere.* Quo Xaverii responso Comes audito, ita captus & obstupefactus est, ut quod replicaret non haberet. Hoc ergo modo, hacque humilitate & veritate, paranda auctoritas est; & ea præeunte maior in proximo fructus colligetur. Qualem inter Indos Franciscum hunc collegisse constat, primò doctrinæ Christianæ præcepta pueris tradendo, dein vias plateasq; de nocte cum tintinnabulo pro animabus in purgatorio igne detentis circumeundo, ægros denique quibus

posset modis consolando & ministrando, & id genus alia abjecta officia obeundo. Vnde tantum auctoritatis & nominis apud unumquemque habuit, ut animos omnium ad se tacitè attraheret, corda raperet, vulgoque Pater Sanctus vocaretur. Hæc scilicet est auctoritas quę ad fructum in animabus proximorum colligendum necessaria est, nimirum, ut humiles, sancti, & prædicatores Evangelici vulgò habeantur & æstimentur. Atque hæc est auctoritas, quam nos procurare oportet. etenim aliæ illæ auctoritates & æstimationes, quæ mundum redolent, potiùs proximis magnopere nocent & offendunt, tam domesticis quam externis.

Ioan. 8.50
Deo curę est honor noster.

16. Scitè quidam Doctor ad illa S. Ioannis verba: *Ego autem non quæro gloriam meam, est qui quærat & judicet*, ait, Si Patri nostro cœlesti gloria & honor noster curæ est, nos de ea nullatenus attinet laborare. Tibi curæ sit te humiliare, & esse velle qui debes, æstimationis autem & auctoritatis tuæ, is hac ratione maiorem in proximo fructum facias, curã committe & relinque Deo: nam qua ex parte tu tè magis humiliabis & abjicies, ex ea te ille magis exaltabit: idque alia quadam æstimatione, longè differenti ab ea quam aliis illis mediis & prudentia humana ipse posses nancisci.

Religionis nomen per opera humilia cõservatur.

17. Neque etiam est quòd ipse Religionis tuæ te honor & auctoritas sollicitum habeat, quæ alia interdum larva est, qua imperfectionem & immortificationem nostram palliamus & coloramus. Equidem inquis, non propter me, sed propter Religionis meæ auctoritatem id facio, cuius habenda certè ratio est. Sed hos, amabo, respectus omitte; etenim plus Religioni tuæ accedet, si ipse te humilem præstiteris: nam in hoc illius auctoritas & æstimatio consistit, si eiusdem membra & sectatores humilitatem colant, mortificatione præstent, & ab omni eo quod mundum redolet, maximè sint alieni.

Exemplum. *Maffeius histor. Indic. lib.* 14

18. Concionanti cuidam de nostris, ut solebat, Firandi in Iaponia Gentilis quidam nescio quis prætериens illusit, & quæ tradebat risu accepit, quin & longiùs progressus, attracta præpingui saliva repentè in mediam inspuit faciem. Ille sine perturbatione ulla sputum linteolo abstergit, ac ne verbulo quidem reddito cæptam orationem eodem prorsus tenore vultuque prosequitur. Id contemplatus ex auditoribus quidam, haud imperitus rerum æstimator, nec non egregiam viri patientiam & humilitatem cogitare cœpit apud se, profectò nobilissimum atq; adeò divinum philosophiæ genus esse, quod homines ad tantam æquitatem animi constantiamque perduceret. Tantumque apud illum hæc ratio potuit, ut fidei ipse nostræ statuerit accedere: unde concione dimissa concionatorem adit, ab eoque præcipua fidei capita edoceri, sacroque tingi fonte expetiit.

CAPUT XXX.

De tertio humilitatis gradu.

Tertius humilitatis gradus, in animo se non efferre.

Alvar. to. 2. lib. 4. p. 1. c. 20.

1. TErtius deniquè humilitatis gradus est, quando quis excellentibus virtutibus ac charismatis cælestibus ornatus, magno insuper in honore, & æstimatione populari positus, in animo se propterea non effert, ac nihil horum sibi arrogat, sed omnia ad ipsum fontem, qui Deus est, & à quo omne bonum & omne donum perfectum descendit, refert. Gradus hic, teste S. Bonaventura, magnorum & perfectorum virorum est, qui quo maiores sunt, eo se in omnibus magis humiliant. Neque enim multum est, ut quis qui imperfectus & defectibus plenus est, se ut talem habeat: est quidem id bonum & laude dignum, verum admirationem non meretur: sicut mirum non est, rustici filium pro regis filio haberi nolle, & pauperem se reputare pro paupere, ægrum pro ægro, & tales ab aliis haberi velle: at quod dives se reddat pauperem, magnus ad infima se dejiciat, & abjectionibus æquet parvum se efficiendo, hoc demum laudis & admirationis habet plurimum. Ita inquit Sanctus ille Doctor, mirum non est, malum & imperfectum, se ut talem habere; sed esset, si, cùm malus foret, se ut bonũ & perfectum duceret: prorsus ac si quis lepra respersus, se sanum reputaret. At verò cum, qui multum in virtute profectus, plurimisque Dei donis præditus, vereque in oculis Dei magnus est, se parvum reputat; id verò raram & non vulgarem humilitatem sapit, & admiratione dignum est. *Magna & rara*, inquit Bernardus, *virtus profectò est, cum magna opereris, magnum te nescire: cum omnibus nota sit sanctitas tua, te solum lateat: cum omnibus mirabilis appareas, tibi soli vilescas. Hoc ego ipsis virtutibus mirabilius judico.*

Process. 6. religion. c. 22. & Bernard. ser. 45. in Cantic.

Alvar. p. 3. lib. 4. c. 10. 11. 13. tom. 2.

Serm. 13. in Cantic.

Exemplum. *Maffeius histor. Indic. lib. 14.*

2. Humilitas hæc quàm eminentissimè & perfectissime in sacratissima Angelorum Regina eluxit: quæ tametsi se nosset, electam esse ut mater esset Dei, profundissima quadam humilitate se ancillam vocat? *Ecce ancilla Domini*; &, ut idem Bernardus ait: *Mater Dei eligitur, & ancillam se nominat*: cumque à cognata Elisabeth celebraretur, *& benedicta inter omnes mulieres* diceretur, nullam sibi è tantæ celsitudinis quam habebat amplitudine gloriam asscripsit, sed omnemque inde resultantem laudem uni Deo acceptam refert, illum propterea exaltans, se verò intra profundissimæ humilitatis nihilum integrã conservans. *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo, quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Hæc omnino cœlestis humilitas est: nam in cœlis Beati talem habent.

Exemplum.

Luc. 1. 38. hom. 4. super missus est.

Luc. 1. 46.

3. Atque hoc est, teste S. Gregorio, quod Sanctus Ioannes notare voluit in viginti quatuor illis senioribus, qui ante Dei thronum prostrati eum adorabant, coronas capitibus suis detrahentes, & ante pedes eius submittentes. Nam, inquit, *coronas capiti detractas ante Dei thronum mittere,*

Figura. *Lib. 22. Moral. c. 15.* *Apoc. 4. 4. & 10.*

tere, nihil est aliud quàm certaminum victorias non sibi tribuere, sed authori Deo, ut ad illum referatur gloria laudis, qui vires dedit ad vincendum, omnemq; rei gestæ honorem illi uni attribuere, dicendo: *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam & honorem & virtutem,* & ut coronas capiti nostro detractas ante pedes tuos deponamus: *quia* tua sunt omnia, *tu creasti omnia, & propter voluntatem erant, & creata sunt,* & si quid boni habemus, nonnisi te volente habemus. Tertius igitur humilitatis gradus est, ob accepta à Deo dona & gratias non se extollere, nec illa sibi arrogare, sed omnia ad Deum velut omnis boni auctorem & largitorem, referre, eique attribuere.

An omnes sint humiles, qui agnoscunt bona esse à Deo.

4. At dicat aliquis: siquidem in hoc sita humilitas, nemo non humilis est: quis est enim qui ignoret, omne bonum à Deo descendere, à nobis ipsis verò nil nisi peccata & miserias nos habere? quis non dicat, si suam Deus à me manum subtraheret, omnium mortalium forem nequissimus? *Perditio tua Israel,* ajebat Osee Propheta; *tantummodo in me auxilium tuum.* (*Osee 13.9.*) A parte nostra præter culpam & perditionem nihil habemus: omne verò bonum, gratia, favor, à munifica Dei manu in nos derivetur necesse est. Hoc Catholica docet fides: Vnde quotquot sumus humilitatem habere videmur: omnes enim hanc veritatem, quæ toties in sacris litteris est inculcata, firmiter credimus. S. Iacobus quippe in Canonica sua scribit: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.* (*Iac. 1, 17.*) Et Paulus Doctor Gentium: *Quid habes quod non accepisti?* (*1. Cor 4, 7.*) *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* (*2. Cor. 3, 5.*) *Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.* (*Phil. 2, 13.*) Adeò ut nec operari, nec desiderare, nec cogitare, nec incipere, nec consummare boni aliquid aut salutiferi nos posse dicat sine Deo, à quo quidquid demum possumus procedit: Qua autē aptiore nobis id similitudine declarari potuit quàm ea quam Redemptor ipse in Evangelio deprompsit: Videre, inquit, vultis, quàm parum sine me possitis: *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me & ego in eo hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.* (*Ioan. 15, 4.*) Quid palmite viti coniuncto fertilius est? quid eodem ab ea dissecto inutilius? quis eius usus? Petit ex Ezechiele Deus: *fili hominū quid fiet de ligno vitis? numquid fiet de eo opus, aut fabricabitur de eo paxillus, ut dependeat in eo quodcumque vas?* (*Ezech. 15, 2.*) Sarmenta quippe vitis ad nihil prosunt, quàm ut igni injiciantur. Ad eumdem modum nos, si Christo qui vera vitis est, non simus conjuncti. *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* (*Ioan. 15, 6.*) Nonnisi ignis pabulum sumus; & si quid simus, per gratiam Dei id sumus; ut de se testatur Apostolus: *Gratia Dei sum id quod sum.* (*1. Cor. 15, 10.*) Omnes igitur hac in veritate, quod omne bonum nostrum à Deo descen-

Resolutio quæstionis.

Collat. 2 de castit 17. inter collationes.

Nihil sibi attribuere, difficile est.

1. Cor. 3, 9.

descendat, à nobis ipsis verò nil nisi peccatum habeamus, nullumque bonum nobis, sed omnia Deo, cui omnium honor & gloria debetur, sint ascribenda, satis videmur esse fundati. Neque videtur credenti & fideli admodum difficile, id pro summo & perfectissimo humilitatis gradu ducere, cùm id tam aperta fidei Christianæ sit veritas.

Resolutio quæstionis.

5. Ita quidem fateor, prima facie videtur; siquidem superficie tenus & deforis rem intueamur, admodum ea facilis apparet, sed in recessu & intus summam difficultatem includit. Docet Cassianus, incipientibus facillimum quidem videri, nihil omnino sibi attribuere, neque propria fidere industriæ aut prudentiæ, sed uni Deo omnia ascribere, & accepta ferre: Sed rem esse oppidò difficilem. Nam quoniam aliquid opis ad opera bona ipsi à parte nostra conferimus; *Dei enim adjutores sumus*, ait Apostolus: quoniam, inquam, ipsi quoque operamur, & unà cum Deo concurrimus; hinc statim tacitè, & vi advertentes, nobis ipsis nitimur & confidimus, & furtiva quadam præsumptione & secreta superbia irrepente, ipsi nobis persuademus, nostra hoc illudne industria diligentiave confectum esse: atque ideo statim iis quæ facimus operibus ita inflamur, evanescimus, & extollimur, quasi nostris ea viribus fecissemus, & à nobis solis profecta essent: Non est autem res hæc tam facilis ac proclivis ac quidem vulgò videtur. Satis est hunc à Sanctis Patribus supremum & perfectissimum humilitatis gradum statui, & eos docere hanc grandium & perfectorum humilitatem esse, ut majoris eam difficultatis & perfectionis quàm vulgò appareat, esse noverimus. Etenim magna & singularia à Deo dona accepisse, eminentiaque opera patrare, horum tamen gloriam Deo, prout oportet, ascribere nosse, nihil autem inde sibi attribuere, nec vanè sibi applaudere velle, maxima res est perfectionis. Ut sanctum honorari & celebrari, non magis verò laude aut existimatione hac evanescere ac titillari, quàm si nihil omnino contigisset, rarissimum quid & difficillimum est, & ad quòd quàm paucissimi pertingunt: & insignis quædam ad hoc virtus requiritur.

Collat. 2. de castit. 17. inter collationes.

Nihil sibi attribuere, difficile est.

1. Cor. 3. 9.

Simile.

6. Vnde S. Chrysostomus præclarus istarum rerum æstimator, inter honores esse, nec horum quidquam ad animum transmittere, nec iis evanescere, perinde esse ait, atque inter speciosas versari mulieres, nec eas lascivo oculo vel minimum contueri. Est hoc quippe cumprimis arduum & periculosum, & summa ad hoc virtute opus est. Alta & sublimia loca conscendere, nec vertigine capitis corripi, non est cujusvis, sed corroborati admodum cerebri: paucissimi certè sat forte cerebrum habent, ut alta petant: ne Angeli quidem in cœlo habuere, non Lucifer, non asseclæ ejus: nam evanescentes & ad alta aspirantes, ad imam tartari voraginem præcipitarunt.

Exemplum. Quare evanue-

7. Hoc enim Angelorum peccatum fuisse, plurimorum est opinio: quòd, cùm eos Deus tam pulchros & per-

rint diaboli in cælo.

& perfectos, totque donis partim naturalibus, partim supernaturalibus cumulatos creasset, *in veritate* quæ Deus est, *non steterint*, nec ad illum horum gloriam retulerint; sed sibi omnia arrogarint: non quod hæc crederent se à seipsis habere (norant enim omnia à Deo proficisci, seque ab eo dependere; cum scirent esse se nonnisi creaturas) sed (ut Ezechiel de rege Tori ait: *Elevatum est cor tuum in decore tuo, perdidisti sapientiam tuam in decore tuo*) pulchritudine & donis à Deo datore acceptis superbierunt, in iisque sibi perinde complacuerũt, ac si à seipsis ea habuissent: Deo illa accepta non retulerunt, nec adscripserunt horum ei gloriam & honorem attribuendo, sed evanuerunt vanè sibi in semetipsis complacendo, tamquam si à seipsis bonum suum haberent. Ut, quamvis intellectu nossent, horum, Deo gloriam deberi, voluntate tamen eam sibi surriperent, & arrogarent.

Ezech. 28, 17.

Conclusio de difficultate tertii grad⁹.

8. Unde patet, non tam esse facilem hunc humilitatis gradum ac prima fronte præ se ferat, cum & Angelis ipsis tam fuerit difficilis, ut altitudine, in qua à Deo erant constituti, exciderint, quòd in eo se conservare nescirent. Si ergo nec Angelis quidem tam validum fuerint cerebrum, ut per altum incedere possent, sed evanuerunt, velut vertigine quadam correpti, & turpiter ceciderunt: multò magis nobis timendum est, ne in sublime evecti, & in excelso positi, evanescamus: quia tam miseri, teste Propheta Regio, sumus, ut ad instar fumi mox deficiamus & evanescamus. *Mox ut honorificati fuerint & exaltati deficientes, quemadmodum fumus deficient.* Quemadmodum enim fumus, quo altiùs abripitur, eo magis dispergitur & disperit: sic miser homo, quo plus exaltatur, & majoribus honoribus afficitur, hoc plus evanescit.

Ps. 36, 20

l. de salut. mon. ad comit. quadam c. 18.

Adhortatio Christi ad tertiũ gradum.

9. Quàm ergo meritò rei nos hujus Redemptor Jesus commonefecit! eum enim septuaginta duos discipulos prædicatum misisset, illique sua è missione domum redeuntes, quasi re præclarè gesta, gloriabundi, & sibi plaudẽtes dicerent. Quàm mira Domine opera fecimus, *etiam dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo.* Ipse verbis paulò acerbioribus ipsos corripuit, & ait, *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* quasi diceret, Cavete vobis à vana illa complacentia; cùm ob eam Lucifer loco exciderit: etenim dum in eminenti illo statu, in quo conditus est, vanè sibi complacuit, nec non in donis ac charismatibus acceptis, adeoq; gloriam & honorem eorum Deo, (uti quidem oportebat) non dedit, ut & eam sibi arrogavit, iisq; superbierit, cœlo deturbatus est. Videte ergo ne vobis idem contingat, charissimi: non est quòd mirabilibus, & rebus magnis, quas in nomine meo patratis, stolidè evanescatis, gloriemini aut vanè ob ea vobis complaceatis. Cogitemus idem nobis à Redemptore oggeri: *Videte ne extollamini, quod opera & ope vestra magnus in proximo fructus fiat, multæque animæ ad bonam frugem transeant: videte, ne hominum applausus & opinio, & quòd aliquo in pretio habea-*

Luc. 10. 18.

SS. PP. doctrina de tertii gradus humilitatis natura.

Phil. 2, 13

habeamini, animum vestrum vanè titillet: videte ne ulla re efferamini, & honor æstimatioque popularis vos transversos abripiat: hoc quippe Luciferianæ ruinæ causa fuit, hoc eum ex Angelo fecit cacodæmonem. Hinc, inquit Sanctus Augustinus, videre est, quantum sit malum *superbia*, cum *ex Angelis facit dæmones*; & quantum econtra bonum *humilitas*, cum *homines sanctis Angelis similes efficiat.*

l. de salut. mon. ad comit. quedam c. 18.

Caput XXXI.

Declaratur in quo tertius humilitatis gradus consistat.

SS.PP. doctrina de tertii gradus humilitatis natura.

1. QVia nondum declaravimus, in quo tertius hic humilitatis gradus situs sit, hinc operæ facturi pretium sumus, si paulò id uberius exponamus, quo meliùs id opere exequamur. Hic enim scopus est noster. Docent igitur Sancti Patres, illum consistere in eo, ut divinorum donorum & beneficiorum aurum à miseria & luto humanitatis nostræ noverimus distinguere, & unicuique quod suum est, attribuamus: Deo inquam demus, quod Dei est; nobis, quod nostrum est, idque ad praxin accommodatè. In quo & tertius cardo vertitur. Quare non in eo sita humilitas est, ut speculativè noverimus, nos à nobis ipsis nihil posse, nihil esse, sed à Deo omnia bona nobis provenire debere, ipsumque esse qui in nobis operatur & velle, & incipere, & perficere, *pro bona* (ut loquitur Apostolus) *voluntate sua*. (facile namque est speculativè id nosse, quòd fides id dictet, & nemo non Christianus nôrit & credat.) sed in eo, ut practicè id noverimus & exerceamus, ac tam exploratum & fixum ipsum nobis sit, ac si oculis nostris coram perspiceremus, & manibus tangeremus.

Phil. 2, 13.

Testimonia ex sacra scriptura

2. Quod, Sancto Ambrosio teste, singulare Dei donum & insignis est gratia. Ad quod comprobandum adducit illud Apostoli: *Nos autem non spiritũ hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* scire ergò & agnoscere dona, quæ à Deo accepimus, tamquam gratuita, & à munifica ejus manu & misericordia descendentia, speciale quoddam ejus munus & gratia est: quam & Sapiens summam esse dicit sapientiam, dum ait: *Et ut scivi, quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det; & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum:* vel, ut alia versio præfert, *& hoc summa erat sapientia*, q.d. Practicè nosse, continentiam non esse rem quam nostris possimus viribus assequi, nullamque nostram industriam aut laborem ad hoc satis esse; sed à Deo eam dari solere, ejusque donum esse, summa sapientia est. In hoc ergo, quod Apostolus particularem Dei esse dicit gratiam, & Sapiens supremam sapientiam, hic humilitatis gradus consistit. *Quid habes*, ait idem Apostostolus, *quod non accepisti? si autẽ accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* quidquid habamus, alienum & ab alio donatum est; à nobis ipsis nihil omnino habemus: non ergo eo

epist. 84. ad Demetria. 1. Cor. 2. 12.

Sap. 8. 21

1. Cor. 4. 7

tamquam proprio nobis gloriandum est.

Hic gradus proprius est SS.

3. Hæc videlicet sanctorum humilitas erat: qui tametsi plurimis donis & gratiis divinis dotati, & ad ipsum perfectionis fastigium à supremo Numine evecti essent, quin & magno in pretio ab hominibus haberentur; suis tamen in oculis adeò se reputabant viles, animaque ipsorum suam intra humilitatem & abjectionem tam integram se continebat, ac si horum donorum nihil omnino possiderent. Nulla prorsus cordi ipsorum vanitatis fuligo, nulli ex honore & æstimatione illa mundana pulvisculi adhærescebant: norant enim internoscere quid esset alienum, quid proprium, unde omnia dona, honores, & laudes ut alienum quid, & à Deo collatum, considerabant, & quæcumq; inde resultabat, gloriam & laudem, illi acceptam referebant, ipsis interim inconcussè suam intra abiectionem se continentibus, & nihil boni à seipsis se habere, nec facere posse considerantibus. Hinc fiebat, ut, quamvis à toto mundo celebrarentur & plausum acciperent, nequidquam tamen inde extollerentur, nec pluris se propterea facerent, ac nihil admodum horum animis adhæreret; sed sibi persuaderent, non sibi, nec de se, illa præconia depromi, sed de alio, ad quem ea propriè spectarent; de Deo inquam: unde in illo solo, eiusque gloria, suum gaudium ac delectationem collocabant.

Cur hæc humilitas sit magnorum virorum.

4. Non iniuria igitur hanc humilitatem esse dicunt magnorum & perfectorum virorum. *Primò*, quia magnas virtutes & dona Dei præsupponit: hæc enim sola quempiam magnum in oculis eius reddunt. *Secundò*, quia magnæ & mirabilis perfectionis est, quòd quis in oculis Dei verè magnus sit, in virtutum & perfectionis via insignem progressum fecerit, ac propterea tum à Deo, tum ab hominibus magni fiat & æstimetur, ipse interim parvum & abiectum in oculis suis se reputet. Atque hoc est quod SS. Chrysostomus & Bernardus in Apostolis & aliis illustribus sanctis demirantur: quod nimirum, cum vitæ sanctimonia & donorum divinorum copia tam excellenter præstarent, &, divina Maiestate concurrente, tot tamque illustria opera patrarent, adeò ut etiam mortuos ad vitam resuscitarent, eoque nomine, velut divini quidam viri, passim suspicerentur ac colerentur; ipsi nihilominùs quàm humillimè & abjectissimè de se sentirent, perinde ac si nihil horum habuissent, alius quislibet, non ipsi, opera hæc patrasset, totus denique ille honor, æstimatio & præconium alteri cuipiam, non sibi, exhiberentur. *Non est magnum*, ait Bernardus, *esse humilem in abiectione* & vili statu; hic quippe naturâ suâ ad seipsum cognoscendum, & pro ea ac meretur reputandum, confert: *magna prorsus & rara virtus*, & summæ perfectionis argumentum, *humilitas honorata*; id est, ab omnibus honorari, pro sancto & admirabili viro duci,

Chrysost. Bernard.

ho. 4. super missus est.

duci, nihilominùs adeò se vilem & abjectũ in animo reputare, ac suum nihil agnoscere, tamquam si nihil horum in se exstaret.

Encomium taliũ humiliũ. serm. 13. in Cantica. Matt. 5. 16

5. In his (addit idem Bernardus) juxta Redemptoris in Evangelio monitionem, *lux* ipsorum *lucet* & splendet *coram hominibus ut glorificent* non seipsos, sed *Patrem* suum *qui in cœlis est.* Sunt hi quoque veri imitatores Apost. Pauli virorumque Apostolicorum, qui nõ semetipsos, sed Iesum Christum prædicabant. sunt hi denique *servi boni & fideles*, non quæ sua sunt quærentes, nulla se re efferentes, nihil quoque sibi arrogantes, sed Deo fideliter omnia transscribentes, & ei soli omnem gloriam acceptam ferentes: unde etiam ex ipsius ore verba illa ad fidelem servum à Domino dicta, audient: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam.*

2. Cor. 4. 5. 2. Cor. 12. 14. Matt. 25. 21.

CAPUT XXXII.

Prædicta fusius deducuntur.

In quo consistat 3. gr. humilitatis.

1. DIximus, in eo tertium humilitatis gradum consistere, quòd quis illustribus virtutibus & divinis charismatis ornatus, adhæc in magno honore & æstimatione positus, nullo horum evanescat, nihil sibi attribuat, sed omnia ad ipsum fontem, qui Deus est, referat, seque intra suam vilitatem & abjectionem integrum contineat, tamquam si nihil haberet, aut faceret. Non hinc tamen efficere & inferre volumus, nos nihil hic operari, nec ullam in bonis quæ agimus operibus partem habere, quod sentire erroneum & stupidum foret. Certum est enim, nos & liberum nostrum arbitrium unà cum Deo ad opera bona concurrere & cooperari; homo quippè liberè in illa consentit. Ideoque operatur: quia quod vult & operatur, è propria & libera voluntate vult, & operatur, adeò ut in manus eius sit non operari.

Vnde humilitas hæc tam difficilis reddatur.

2. Imo hoc ipsum est quod hunc humilitatis gradum adeò reddit difficilem. Nam una ex parte omnis nobis adhibenda industria, & quæcumque possumus media advocanda sunt, ut virtutem consequamur, & tentationes in contrarium occurrentes propulsemus, recteque negotium nobis propositum succedat: tamquam si sine illis omnino res confici non posset. Ex alia verò, postquam jam hæc omnia adminicula adhibuerimus, ita illis omnibus nos diffidere oportet, quasi si nihil penitus fecissemus, nos velut servos inutiles reputare, atque fiduciam & spem omnem in solo Deo collocare. sic quippe nos Christus in Evangelio facere jubet: *Cum feceritis omnia* (notetur, *omnia*, nec dici aliqua) *quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus.* Vt autem hoc rectè fiat, virtute, & quidem non modica, opus est. Certè, si Cassiano credimus, quisquis perfectè cognoverit; esse se servum inutilem, omniaque quæ ad bonum aliquod consequendum adhibere possit media & diligentiam, cassa & evanida esse, sed gratuito ipsum à Deo dari debere;

Luc. 17. 10. Cassian.

ille, cùm quid jam consecutus fuerit, minimè se efferet aut superbiet: intelliget enim, non tam diligentia id se sua, quàm Dei gratia & misericordia adeptum esse: quod demum est illud Apostoli: *Quid habes quod non accepisti?*

1. Cor. 4. 7

S. August.

3. Quare rectè Sanctus Augustinus, nos sine Dei gratia esse censet, sicuti corpus sine anima: quemadmodum enim corpus exanime se mouere, nec dirigere vllo pacto potest, sic neque nos diuina gratia destituti; possumus opera vitalia, quæque vllius apud Deum meriti sint, operari. Sicut ergo stultum foret corpus, quod vitam, motum, impulsumque sibi, non animæ quæ in ipso est, ipsumque vegetat & animat, attribuet: pari modo miserè cæcutiret anima, quæ bona opera quæ agit, sibi, non Deo, à quo spiritus vitæ (id est gratia) vt illa patrare posset, ipsi est infusus, asscriberet. Alibi verò dicit: *Sicut oculus corporis, etiam plenißimè sanus, nisi candore lucis adiutus, non potest cernere: sic homo etiam perfectißimè iustificatus, nisi æterna luce iustitiæ adiuuetur, rectè non potest viuere.* Nam rectè Psalmista, *nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Exclamat proinde idem Augustinus: *O si cognoscant se omnes homines, & qui gloriantur in Domino glorientur!* Vtinam talem nobis cælitus Deus lucem det, qua, omnibus tenebris iam depulsis, plenè intelligamus & perspiciamus, nullum in vlla re creata bonum, nullum esse aut nullum robur reperiri, vltra quod ei Dominus è gratuita voluntate sua dare voluit, etiam conseruare vult!

A Deo recipimus vitam gratiæ, & sine eo nihil habemus.

l. de natur & gra. c. 26.

psal. 126. 1

l. 9 confes. cap. 13.

4. In hoc ergo tertius humilitatis gradus consistit. sed verba nostra nimis quàm insufficientia & imparia sunt ad summam eiusdem profunditatem & perfectionem pro dignitate exprimendam, quantumcumque etiam de ea dicatur, & nunc hoc modò, nunc isto: neque enim praxis solùm, sed & theoria illius perquam difficilis est. Hæc quippe illa sui est annihilatio, à vitæ spiritualis magistris adeò inculcata, tam sæpè decantata, & tam impensè commẽdata. Hæc item est illa humilis sui depressio, qua quis indignum & ad omnia inutilem se reputat & confitetur: in quo Sanctus Benedictus & alij Sancti Patres perfectissimum humilitatis gradum cõstituunt. Hæc quoque est illa sui diffidentia, & à solo Deo dependentia, in sacris litteris toties commendata. Hæc denique est, illa sui vilipensio & despicientia, quam singulis propè momentis vel inculcari ab alijs audimus, vel alijs inculcamus: sed vtinam illam in corde tam perfectè sentiremus! verè, inquam, & practicè intelligeremus; ac comprehenderemus, quasi oculis videndo, & manibus palpando, nihil nos à parte nostra aliud habere, aut posse præter perditionem & peccatum; &, quodcumque bonum aut habeamus, aut operamur, non id à nobis ipsis nos habere, vel operari, sed à solo Deo, & huic omnium gloriam esse asscribendum.

Difficilis 3. Gradus Humilitatis variis descriptionibus tentatur.

S. Lauren. Iustinian.

Sancti perfecte humiles se maximè humiliarunt.

5. Quod si ne iam quidem huius gradus humilitatis perfectionem percipis, non est sanè quod mireris: est enim sublimis quædam Theologia: vnde mirum non est si tam facili negotio

Quare 3. Gradus hic adeo reconditus a paucissimis intelligatur.

negotio non intelligatur. ſcitè, meo iudicio, doctor quidam dixit, in qualibet arte & ſcientia id uſu venire, ut trita & communia illius præcepta quilibet norit & intelligat; at ſubtiliora & arcana non omnibus æquè pateant, ſed dumtaxat in illa eminentibus & verſatioribus. Ad eumdem modum communia & ordinaria virtutis præcepta quilibet haud difficulter capit, ſed ſpecialia, eminentiora & recondita eiuſdem myſteria nemo, niſi in eadem excellentes & eximii intelligit. Atque hoc in ſenſu Laurentius Iuſtinianus, neminem perfectè quid humilitas ſit, noſſe dixit, niſi cui à Deo datum eſt ut ſit humilis.

S. Lauren. Iuſtinian.

6. Hinc quoque fit, quod ſancti, utpote profundiſſima humilitate prædìti, talia ſubinde de ſe ſentiebant & dicebant, ut nos, qui ad talem humilitatem non pertingimus, ea neutiquam intelligamus, & ea nobis nonniſi exaggerativé & hyperbolicè dicta videantur: ut, cum ſe maximos totius mundi peccatores, & id genus alia, de quibus mox, profiterentur. Quòd verò hæc ipſi nec dicere, nec ſentire, imo nec intelligere poſſimus, inde fit, quòd ad tantam, quantam illi, humilitatem non pervenimus, ac proinde ſubtiliora & eminentiora artis huius præcepta non percipimus. Tu da operam ut ſis humilis, & in hac ſcientia in dies magis magiſque proficias, ac tum demum intelliges, quomodo hæc verè de ſe quis dicere queat.

Sancti perfectè humiles ſe maximè humiliarunt.

❧(o)❧

CAPUT XXXIII.

Tertius humilitatis gradus perfectius declaratur: atque inde fieri, quod verè humilis ſe omnium minimum reputet.

1. VT autem meliùs tertium hunc gradum intelligamus, inque eo ſolidè fundemur, conſultum fuerit rem altiori à principio arceſcere. Quemadmodum ſupra cap. 6. oſtendimus, totum eſſe noſtrum naturale, omnes item operationes naturales, à Deo nos habere; quia antequam conderemur, merum nihil eramus, nec ullæ tunc ad nos movendum, videndum, audiendum, guſtandum, intelligendum, aut quidquam volendum, nobis facultates ſuppetebant; ſed Deus, cùm Eſſe nobis dedit, ſimul etiam has potentias & facultates adiunxit: unde ei ſolitam Eſſe, quam operationes has naturales aſſcribamus oportet. Conſimili modo, ac potiori jure de Eſſe ſupernaturali, & operibus gratiæ loqui poſſumus; eoque magis, quo illa ampliora, maiora & eminentiora ſunt. Supernaturale igitur Eſſe noſtrum non habemus à nobis, ſed à Deo: eſt enim merum Eſſe gratiæ: unde & nomen ſortitum eſt, quod ad Eſſe naturale gratis omnino ſuperadditum ſit. *Eramus* enim *natura filii iræ*, nati in peccato, inimici Dei, qui è mera gratia ſua ex hiſce tenebris nos *vocavit in admirabile lumen ſuum*, ut loquitur Apoſtolus: & ex inimicis amicos è mancipiis filios è nullius valoris

Alius hunc gradum explicandi modus tentatur.

A Deo eſt Eſſe naturale & ſupernaturale.

Epheſ. 2. 3.

1. Pet. 2. 9.

valoris & propudiosa re, suis oculis gratissimos nos fecit.

Prima causa utriusque Esse in nobis.

2. Causa autem eximii huius beneficii, non fuere ulla præcedentia in nobis merita, non obsequiorum postea à nobis accipiendorum intuitus; sed unica ipsius bonitas & misericordia, nec non merita Iesu Christi unici mediatoris nostri, testante Sancto Paulo, *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu.* Sicut ergo per nos ipsi è nihilo illo, quod prius eramus, ad Esse naturale quod modò habemus, exire non poteramus, uti nec operationes vitales operari, non videre, non audire, non sentire, sed hæc omnia, ceu gratuita dona, uni debentur Deo, nihil ut horum nobis arrogare, aut aliquam inde gloriam in nos transscribere possimus. ita nec marte nostro, è peccati, in quo agebamus, & concepti natique fuimus, tenebris exire poteramus, nisi inde nos Deus ex infinita bonitate & misericordia sua eduxisset: nec ulla vitæ opera facere, nisi suam ipse ad hoc gratiam nobis esset elargitus. Operibus quippè non inde valor & meritum accedit, quod nostra sint, sed quod à Dei gratia profecta: quemadmodum pecunia valorem non ex seipsa, sed è superscriptione, quã præfert, obtinet. Quamobrem nullam nobis ipsi hinc attribuere gloriam debemus, sed omnem Deo, cuius donum sunt tam naturale Esse quam supernaturale; semper illud Apostoli, *Gratia Dei sum, id quod sum*, in ore & corde habentes.

1. Cor. 15. 10.

Deus nos perpetuo sustentat & conservat, in utroque Esse.

3. Porrò sicut ibi dicebamus, Deum non solùm nos è nihilo eduxisse, & Esse nobis dedisse; sed &, postquam jam conditi sumus, & Esse accepimus, nos id in nobis non habere; sed à potenti Dei manu identidem nos sustentari, foveri & conservari, ne in profundam nihili abyssum, è qua priùs nos eduxit, relaberemur: ad eumdem modum se in Esse supernaturali res habet: neque enim satis Deo fuit, è peccatorum tenebris, in quibus agebamus, eductos in admirabile gratiæ lumen nos vocare; sed & potenti manu sua jugiter nos conservat & sustentat, ne recidivam patiamur: adeò quidem, ut, si vel ad momentum suam ille manum subtraheret, & custodire nos desineret, dæmonique plenam nos tentandi facultatem faceret, & frænos velut laxaret, ad præterita, quin & graviora, peccata revolveremur. Quare non immeritò cecinit Vates regius: *Quoniam à dextris est, mihi ne commovear.* quasi diceret; Tu semper Domine lateri adstas, me sustentando, ne concidam: tuum est, quod è culpa educti simus, tuum quoque est, quòd in eamdem non simus relapsi: si semel surrexerim id eò factum quòd mihi manum porrexeris; si etiam modo stem, tibi adscribam oportet, quia me, ne relabar, sustentas. Sicut ergo ibi dicebamus, satis ad nos ipsos annihilandos esse, quòd à nobis nihilũ sumus & fuimus, & nihilum essemus, nisi nos Deus perpetuo conservaret: pari modò satis est ut nos semper ut peccatores & scelestos reputemus, quòd (quantum est ex parte nostra) peccatores sumus, & fuimus, & adhuc essemus, nisi sua nos

Psal. 15.

Deus Opt. Max. manu perpetim sustentaret.

Tract. de veris virtutib. c. 2.

4. Confirmat hoc ipsum calculo suo Albertus Magnus: *Amans humilitatem*, inquit, *debet radicem humilitatis in corde plantare, hoc est propriam fragilitatem agnoscere, ut se reputet non solùm quàm vilis est, sed etiam quàm vilis esse potest, imò quàm vilis esset hodie, & quàm vilis fieret, nisi Deus illum violenter à peccatis retraxisset, & nisi ei tentationes subtraheret*, occasiones peccandi tolleret, & in tentationibus auxiliarem manum porrigeret.

Hinc bene dicitur: Cognitio sui radix humilitatis

Ah! in quot prolapsus essem peccata, nisi, tu Domine infinita misericordia me liberasses? quot peccandi occasiones à me amovisti, quæ mihi subvertendo sufficissent, cùm etiam David iis oblatis tam fœdè prolapsus sit, nisi tu, cui mea fragilitas nota est, eas esses amolitus? quoties cacodæmoni manus velut alligasti, ne, prout quidem volebat, me tentaret; vel, si tentabat, de me triumpharet! quoties ergo possem cum Propheta exclamare: *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea!* Quoties sum *impulsus & eversus ut caderem*, sed tu Domine *me suscepisti*, tenuisti, lentemque ac potentem manum tuam subjecisti, ne quam noxam ac læsuram acciperem! si tibi dicebam, *Motus est pes meus*: statim *misericordia tua adjuvabat me.* Quoties jam æternum periissemus, nisi Deus ex infinita bonitate & misericordia nos conservasset! Sic ergo de nobis sentire ipsi debemus: hoc quippe à parte nostra sumus & habemus, hoc fuimus, & etiamnum essemus, si suam Deus manum & custodiam à nobis submoveret.

Ps. 93, 17.

Ps. 117. 13

Ps. 93. 18.

5. Hæc cùm sancti ad animum revocarent, ita confundebantur, erubescebant, & usque adeò se despiciebant & abjiciebant, satis ut illis non esset, seipsos parvifacere ac peccatores & scelestos reputare, sed insuper omnium minimos se, & scelestorum omnium scelestissimos ducerent. Omnium ad instar nobis unus sit Franciscus: qui, tametsi adeò esset à Deo exaltatus, ut socius ejus inter orandum sedem illi inter Seraphinos paratam viderit, fulgentissimis gemmis, & mira lapidum variegatura insignem; interrogatus ab eo deinde, quid de seipse sentiret, respondit: *Credo equidem nullum me majorem in mundo peccatorem vivere.* Idem de se sentit Apostolus Timotheo subscribens: *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* Qua vilitatis suæ professione nos tacitè monet, ut hanc demum humilitatem pertingere procuremus, qua nos omnium infimos, vilissimos, minimos, alios verò omnes nobis Superiores, digniores, & meliores reputemus. Vndè Sanctus Augustinus: *Non fallit nos Apostolus, nec adulatione uti jubet cum ad Philippenses secundo dicit, In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes, & ad Romanos duodecimo: Honore invicem prævenientes.* Sancti namque non mentiendo, nec è ficta humilitate, sed verè, se maximos omnium peccatores appellabant, quòd talem de seipsis opinionem haberent: unde etiam

Cur Sancti ita se humiliarint, ut Francisc⁹, Paulus, &c.

1. p. l. 1. c. 68. chro. Min.

1. Tim. 1. 15.

Lib. 83. quæst. q. 71. & lib. de Sanct. Virgin. c. 46.

Phil. 2. 3.

Rom. 12. 10.

etiam nos de nobis citra simulationem & fictionem sentire & dicere jubent.

Quid sit novissimo loco recumbere.
Serm. 37. in Cãtic.
Luc. 14. 10.

6. Egregiè ad hanc rem ponderat S. Bernardus illa Christi in Evangelio verba: *Cùm vocatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco*: aitque: *Non mediocrem, non vel penultimum, non ipsum saltem inter novissimos eligere locum nos voluit Christus: sed, Recumbe, inquit, in novissimo loco, ut solus videlicet omnium novissimus sedeas, non dico præponas, sed nec comparatè præsumas*: ita ut nemini te in vilitate æques, sed omnium maximum & indignissimum peccatorem censeas.

Nullum in humilitate periculum.

7. Quid ita? *Quia non est periculum, quantumcunque te humiles, quantumcunque minorem reputes, quàm sis: est autem grande malum horrendumque periculum, si vel uni in tua te cogitatione præferas.* Idque obvia similitudine declarat. *Quemadmodum enim si per ostium transeas, cujus superliminare nimium bassum sit, non nocet quantumcunque inclinaveris: nocet autem, si vel transversi digiti spatio plus quàm ostii mensura patitur, erexeris, ita ut impingas, & capite quassato collidaris: sic in anima non est timenda quantalibet humiliatio: horrenda autem nimiumque pavenda vel minima temerè præsumpta erectio. Quamobrem noli te, ô homo, comparare majoribus, noli minori, noli aliquibus, noli uni. Quid scis enim, ô homo, si unus ille, quem omnium vilissimum atque miserrimum reputas, cujus vitam sceleratissimam, ac singulariter fœdissimam horres, & propterea putas illum spernendum, non modò præ te (qui fortè jam sobriè, & justè, & piè vivere confidis,) sed etiam præ cæteris omnibus sceleratis, tanquam omnium sceleratissimum; quid scis, inquam, si melior & te & illis, mutatione dexteræ, excelsi in se quidem futurus sit, in Deo verò jam sit?*

Gen. 48. 14.
Iudicia Dei, abyssus multa.
Eccl. 11. 23.
Matt. 3. 9.
Luc. 7. 39.
S. Bened. in reg.
S. Thom.
A Kempis.

8. Quis scit, an non etiam Deus, ut quondam Jacob impositis decussatim manibus, sortes commutaturus sit, altero assumpto, te relicto? quid scis, quid in illius corde, jam inde ab hesterna die, vel etiam hoc momento, Deus sit operatus? *Facile est enim in oculis Dei subitò honestare pauperem*: Vno instanti potest Deus è Publicano & Ecclesiæ persecutore facere Apostolos, uti in Matthæo & paulo patuit. *Potens* denique *est de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ*, id est, è peccatoribus adamante durioribus creare filios Dei. Quàm animi falsus fuit Pharisæus ille qui Magdalenam ut peccatricem sugillabat: & quàm eum meritò Redemptor Jesus propterea reprehendit, simul tacitè innuens longè ipso meliorem esse eam, quæ ut publica & infames peccatrix ab ipso traducebatur. Vnde SS. Benedictus, Thomas Aquinas, & alii Patres, hunc inter duodecim humilitatis gradus innumerant, *Credere & pronunciare se omnibus viliorem*. Neque verò satis est id ore profiteri, sed & in animo ita sentire oportet. *Non reputes*; ait Thomas de Kempis, *te aliquid profecisse, nisi in omnibus inferiorem* & deteriorem *te esse sentias*.

CAP.

Caput XXXIV.

Quomodo boni & Sancti viri verè ſe omnibus viliores reputare, maximoſque totius mundi peccatores vocare poßint.

Cauſæ variæ ſunt cur SS. ſe humiliaverint, infra omnes.

1. NOn curioſa ſed inprimis utilis, tractatio erit, oſtendere, quomodo boni ſanctique homines verè ſe omnium minimos ducere, ac maximos totius mundi & ſceleſtiſſimos peccatores poſſint appellare? diximus quippe nos huc ut pertingam°, omnimodis conniti debere. Ad hanc quæſtionem nonnulli ſancti reſpondere nolunt, ſatis eſſe rati quod ſic ipſi in corde de ſe ſentiant. Refert S. Dorotheus Abbatem Zoſimum, cum die quadam de humilitate apud ſuos ageret, & hoc de quo hic loquimur, de ſeſe palàm profiteretur, à Sophiſta illic fortè præſente interpellatum, & rogatum : Ecquo modo te tantum peccatorem eſſe aſſeris, cùm te ſcias mandata Dei obſervare? reſpondiſſe: *ſcio id quod dico, verum eſſe, & hoc de me ſentio: nec ultrà me interroges.* Verum S. Auguſtinus, S. Thomas, & alii quæſtioni huic reſpondent, ſed diverſimodè. Duo priores quidem cenſent, quemvis noſtrum, cùm hinc oculos in peccata defectus, quos ſe habere novit, conjicit, & illinc occulta quæ proximus à Deo accepit, aut adhuc accipere poteſt, chariſmata, conſiderat; verè ſe mortalium omnium viliſſimum, abjectiſſimum, & peccatorem maximum profiteri poſſe. Novi quippe ego defectus meos, occulta autem quæ ille à Deo accepit, chariſmata prorſus ignoro. Et dato, plurima illum committere peccata, quæ ipſe non committo; qui ſcis ecquid Deus exinde in corde ejus ſit operatus? Vnico inſtanti poteſt is occultè aliquod Dei donum & gratiam recepiſſe, qua fiat ut longo jam te intervallo præcurrat : uti contigit illi Phariſæo & Publicano, quos Evangeliſta refert in templum orationis cauſa aſcendiſſe, de quorum poſtremo profitetur Redemptor: *Deſcendit hic* (puta Publicanus, qui vulgò inſignis peccator habebatur) *juſtificatus in domum ſuam ab illo*, qui ſe juſtum reputabat, nihilominus reprobatus erat. Quæ ſanè ſententia ad exemplum ſatis nobis eſſe debebat, & ut nulli nos anteponere, imò ne conferre quidem cum aliquo præſumamus, ſed in noviſſimo & infimo loco, utpote ſecuriſſimo ſoli & neglecti maneamus.

Doctrin. 2 de humilitate.

Lib. de Sanct. Virgin. c.46.47. S.Th.2.2. q.16.1. art.6. ad 1. & art.3

Luc. 18. 14.

2. Ei qui ex animo & verè humilis eſt, admodum facile eſt, omnium viliſſimum & minimum ſe reputare: conſiderat enim in aliis virtutes & bonum quod habent, in ſe verò attendit defectus ſuos, adeoq; iiſdē & cognoſcendis & exſtirpandis occupatur, ut ad aliena peccata conſiderāda ne oculos quidem attollere ſuſtineat, affatim ſibi negotii eſſe ratus, ut propria prout merentur deploret, ita fit, ut omnes æſtimet eſſe bonos, ſe unū malū & peccatorē. Quo autē quis ſanctior eſt, eo hoc illi faciliùs redditur: nā ſicut in reliquis virtutib. in dies creſcit, ita & in humilitate, ſuiq;

Quo quis humilior, eo fit humilior.

cognitione & despectu: sunt quippe hæc invicem coniuncta, & quo clariorem divinæ bonitatis & majestatis lucem ac cognitionem habet, eo profundiùs in propriæ miseriæ & nihil sui cognitionem penetrat scilicet *abyssus abyssum invocat.* Abyssus, inquam, cognitionis bonitatis & magnitudinis Dei miseriæ nostræ abyssum profunditatemque spectandam dat, & infinitos imperfectionum atomos ac pulvisculos apparere facit. Quare si nos ipsi aliquo in pretio habeamus, id eo fit, quod exiguam Dei cognitionem & modicam de cœlo lucem habeamus. Nondum scilicet per animæ nostræ januam solis justitiæ radii sese insinuarunt; unde fit, ut non solum atomos (id est, minores imperfectiones, & culpas leviores) non perspiciamus, sed & oculi ita nobis caligent, aut (veriùs ut loquar) cæcutiant, ut ne graviores etiam lapsus videre possimus.

Psal. 41. 8.

Deus dona sua in servis suis tegit, ad humilitatē conservandā.

3. Huc accedit, tantopere Deo humilitatem placere & gratum esse quod seipsum quis despiciat, nulloque in pretio habeat, in eoque perseveret, ut vel hac solùm de causa sæpenumero, in singularibus servis suis, quibus beneficia & gratias plurimas confert, dona sua ita tegere, tamque secretè & abscondite communicare soleat, ut etiam illa recipiens id non percipiat, nihilque omnino se habere credat. Sicut enim, ut S. Hieronymus docet, *tota illa tabernaculi pulchritudo pellibus tegebatur & ciliciis:* sic Deus Opt. Max. virtutum, donorumq; suorum ac charismatū splendorem ac decus variis solet tentationum, ac subinde etiam defectum & imperfectionum nonnullarum, quas permittit velamentis obtegere, ut hoc illæ pacto meliùs conserventur, ceu favillæ sub cineribus. Vnde Ioannes Climacus asserit, quemadmodum diabolus ex ingenti nobis nocendi libidine nostras nobis virtutes recteque facta numquam non ob oculos objectare consuevit; ut iisdem vanè intumescamus; ita vicissim Deum, quia nobis quàm optimè vult, maiusque bonum nostrum desiderat, particulare quoddam servis suis lumen, suppeditare solere, ut hoc illustrati errata & imperfectiones suas perspiciant; ex altera verò parte dona sua ita celare, & velut involucris obtegere, ut nec ille qui accipit ea persentiscat. Atque hæc communis Sanctorum Patrum doctrina est. S. Bernardi inprimis, dum ait: *Nimirum conservandæ humilitatis in servis suis gratia, divina solet pietas ordinare, ut, quanto quis plus profecit, eo minùs se reputet profecisse: nam & usque ad supremum exercitii spiritualis gradum, si quis usque eò pervenerit, aliquid ei deprimi gradus imperfectione relinquitur, ut vix sibi primum videatur adeptus.* Idem quoque multis in locis asserit D. Gregorius.

In prologo Galea.

Serm. de quatuor orandi modis.

Lib. 34. Moral. c. 15. in pastorat. p. 4. lib. 4. dial. c. 14.

Humilitas similis est soli, in tegendo splendere stellarum.

4. Quare non inscitè nonnulli humilitatem ita se dicunt ad reliquas virtutes habere, uti sol ad reliquas stellas: ut enim, illo exoriente, hæ quamprimum se subducunt & disparent: sic, postquam humilitas animam occupavit, reliquæ virtutes occultantur, nec apparent, adeò ut humilis nullam sibi habere videatur,

Pene

Lib. 22. Moral. c. 5. *Pene soli*, inquit S. Gregorius, *bona sua non vident, qui in se videnda omnibus ad exemplum præbent.* Moyses, ut in Exodo legimus, à Dei colloquio digressus, faciem radiantem prætulit, lucisque radios evibrabat, quos quidem filii Israel videbant, ipse verò minimè. *Ignorabat quod cornuta esset facies sua, ex consortio sermonis Dei.* Ad eundem modum nullam in se humilis virtutem observat: quidquid autem videt peccata esse putat & imperfectiones: quin imo credit, eam, quam videt, minimam malorũ suorum partem esse, multoque plura intus delitescere, quæ ipse ignoret. Hinc fit ut nullo negotio se omnium novissimum & vilissimum, ac peccatorum universorum deterrimum ducat.

Exod. 34. 29.

Dona sua Deus subinde electis patefacit.

Serm. de quatuor orandi modis.

5. Vt autem quidquid dicendum est, dicamus, quoniam multæ & variæ sunt viæ, per quas electos suos Dominus conducit, quamquam non paucos illorum ea quam exposuimus via deducat, ut nimirum sua eos dona ita celet, ut ne ipsi quidem ea videant, nec habere se existiment, aliis tamen eadem manifestat & patefacit, nimirum ut ea magnifaciant, gratosque se datori præbeant. Hoc spiritu motus de se prædicat Apostolus: *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ à Deo donata sunt nobis.* Noverat quoque Deipara Virgo Maria eximia illa dona & privilegia quibus cælitus donata erat: Vnde in Cantico suo apertè profitetur: *Magnificat anima mea Dominum, quia fecit mihi magna qui potens est.* Atque hoc tantum abest, ut cum humilitate ac perfectione pugnet, ut etiam tam altam & sublimem humilitatem adnexam habeat, ut propterea hæc à SS. Patribus perfectorum & magnorum appellari soleat.

Lib. 34. Moral. c. 15. in pa... lorat. p. 4. lib. 4. dial. c. 14. Humilitas simi... is est ...i, in te... endo ...plende... e stella... um.

1. Cor. 2. 12.

Luc. 1. 49.

Alta de se sentire periculosum.

5. Verumtamen non mediocre hic subest periculum & error, quod nos SS. Patres cavere jubent, nimirum, quod nonnulli plura se habere dona Dei existiment quam revera habent. Hoc errore laborabat miser ille, cui in Apocalypsi denuntiari jubet Deus: *Dicis, Dives sum & locupletatus, & nullius egeo; & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Eodem in errore hærebat Pharisæus ille Evangelicus, qui gratias Deo agebat, *quod non esset sicut ceteri hominum*, id habere se ratus quod revera non habebat, adeoque se propterea aliis meliorem esse. Hęcque superbia nonnumquam tam occultè & furtim se nobis insinuat, ut etiam penè non sentientes, nec advertentes, nos amoris proprii & æstimationis nostri ipsorum plenos esse deprehendamus. Huic malo nullum aptius remedium est, quàm apertos semper oculos ad virtutes alienas, clausos verò ad proprias intuendas habere: ac in sancto quodam timore itenditem vivere, utpote per quem dona Dei securiora sunt, & minori exposita periculo.

Apoc 3. 17

Luc. 18. 11.

Non tamen omnibus sua dona Deus celat, & tamen in humilita conservet.

6. Vt autem hæc ita sint, quoniam tamen Deus huic uni viæ non est alligatus, suosque diversimodè conducit, interdum, (ut Apostolus loquitur) vult servis suis specialem hanc gratiam conferre, *ut sciant quæ à Deo ipsis*

ipsis donata sunt. ac tum quidem ea quam proposui, quæstio plus habere difficultatis videtur, quo nimirum pacto Sancti & spirituales viri, qui sublimia, quæ divinitus accepere, gratiarum charismata optimè vident & perspecta habent, verè se omnium minimos ducere, & omnium peccatorum maximos vocare queant? Fateor, cum per aliam illam viam hominem Deus deducit, qua nimirum dona sua ei non manifestat, nec ullam is in se virtutem notat; sed præter peccata & imperfectiones nihil deprehendit; tantam res hæc difficultatem non habet: Sed in aliis illis, quibus Deus suas gratias manifestat, quomodo id fieri possit? merito disputatur. Veruntamen optime nam esto humilis adinstar S. Francisci, & quo id modo fieri possit, facilè intelliges. Cum enim socius eius F. Rufinus interrogando apud eum instaret, quomodo verè, se maximum peccatorem esse, posset & sentire, & dicere: respondit. *Credo equidem, si latroni vel alii cuipiam flagitiosissimo homini eas Deus gratias, misericordias, & beneficia præstitisset, quas præstitit mihi, longè illum me meliorem gratioremque erga benefactorem futurum fuisse ad hæc, credo & cognosco, si suam Dominus manum à me subduceret, meq; non sustentaret, enormiora me in scelera prolapsurum quam prolabitur ullus, & proinde illis omnibus deteriorem futurum. Idcirco*, inquit, *frater me sceleratorũ omnium sceleratissimum & ingratissimum dico.*

1. p. lib. 3. cap. 68. Chronic. Minor.

Quomodo SS, sua dona scientes

7. Optima sanè hæc est responsio, profundissima humilitas, & verè admirabilis doctrina. Hæc quoque cognitio & consideratio sanctos homines cogebat subtus terræ abyssum se recondere, infra omnium pedes se abjicere, ac verè se maximos totius mundi peccatores reputare. Habebant quippe humilitatis radicem, propriæ inquam debilitatis & miseriæ cognitionem, cordi suo profundè insitam, & firmiter radicatam: optimeque penetrare & ponderare norant, quid à se ipsis essent & haberent: & per hoc credebant, se, suam Deo manum subtrahente, nec continuò ipsos conservante, maximos ac deterrimos totius universi peccatores futuros: unde etiam se ut tales existimabant. Dona verò & beneficia à Deo accepta, non ceu propriũ peculium, sed ut rem alienam, mutuoque datam, intuebantur. Hæcq; consideratio adeò nõ impedimento illis erat, ut in vilitate & abjectione sua integri permanerent, seq; omniũ minimos ducerent, ut etiam non mediocri illis ad hoc esset subsidio; quòd illis se, non prout quidem oporteret, proficere crederent. Quare, quamcumque demum in partem oculos convertamus, tam ad ea quæ à nobis ipsis habemus, quàm ad ea quæ à divina munificentia accepimus, uberrima certè nos humiliandi, atque infra omnes abjiciendi, seges nobis sit occursura.

in humilitate servati sint.

8. Huius rei occasione ponderat S. Gregorius verba illa Davidis, quæ is Sauli, postquam illum in spelunca (quam ad requisita naturæ ingressus erat) commodè & impunè de medio tollere potuerit, indemnem tamen abire sinit, nec manum in eum misit, jam

Lib. 34. Moral. c. 16. Exemplum.

jam abeunti à tergo inclamavit : *Quem persequeris rex Israel? quem persequeris? canem mortuum persequeris, & pulicem unum?* Dicit ergo Gregorius: *Certè jam unctus in Regem David fuerat, jam exorante Samuele, & cornu olei super se fundente didicerat, quod eum divina gratia, Saule reprobato, ad regni gubernacula possidenda servabat: & tamen persequenti adversario mente humilis se substernebat, cui divino judicio prælatum & incomparabiliter meliorem se esse noverat. Discamus hinc ergo, quomodo humiliari proximis debeamus, qui adhuc quo loco apud Deum habeantur, nescimus.*

1. Reg. 24.

Caput XXXV.

Tertius hic humilitatis gradus præsentissimum est, omnigenas tentationes vincendi, & virtutum omnium perfectionem assequendi, medium.

Lib. 12. de spir. superb. c. 13.

Fundamentum perfectionis est notitia dependentiæ suæ à Deo affectuosa.

1. FVit hæc priscis Patribus, Cassiano teste, communis velut traditio, ac primum vitæ spiritualis principium, non posse ad cordis puritatem virtutumque perfectionem quempiam pertingere, nisi priùs universum laborem, industriam & conatum suum ad tantæ perfectionis finem noverit non posse sufficere, nec eam nisi miseratione & adjutorio Dei, (qui primarius omnis boni auctor & dator est) comprehendi agnoscat. Debet autem hæc cognitio non esse nudè speculativa, quòd nimirum ita audierimus, legerimus, aut fides ita nobis dictet; sed practicè & per experientiam id nosse debemus, & hac in veritate sic nos niti & solidè inhærere oportet, ac si oculis rem videremus & manibus contrectaremus.

2. Atque hic ipsissimus est, de quo in præsenti loquimur, tertius humilitatis gradus: deque hac intelligenda sunt varia illa sacræ scripturæ testimonia, quæ humilibus singularia bona addicunt & spondent. Vnde etiam non sine ratione, hunc S. Patres humilitatis gradum, supremũ & perfectissimum statuunt, eumque omnium virtutum basin & fundamentum, nec non optimam ad reliqua Dei dona & charismata recipienda dispositionem præambulumq; esse censent. Vnde idem Cassianus hoc ipsum argumentum particulatim in materia castitatis deducens, nullum ad eamdem consequendam laborem per se ait sufficere, usque dum per experientiam noverimus, nostris nos ad eam viribus minimè posse contingere, sed à divina liberalitate & misericordia eam descendere debere. Cui per omnia suffragatur S. Augustinus: nam primum & primarium castitatis acquirendæ cõservandævé medium ipse hanc asserit esse humilitatem; ut nimirum nõ cogites te ipso id te posse, tuasque ad hoc vires & diligentiam sufficere: nam si his nitaris, eam haud dubiè amittes: verùm tibi persuadeas, à Deo eam dari ac cælitus descendere debere, in eoque omnem tuam fiduciam colloces.

Hæc ipsa est Humilitas summa apud SS. Patres.

Coll. 2. Abbat. Chæremon. c. 4.

Lib. de S. Virginit. c. 39.

3. Vnde de priscis illis Patribus nonnemo, tamdiu aliquem à tentationibus carnalibus impetendum dixit,

Hæc à tẽtationib. etiam carnis liberat.

Exemplum.

dixit, donec perfectè cognosceret, castitatem Dei donum esse, nec humana posse industria aut robore parari. Confirmat idipsum Palladius exemplo Abbatis Moysis, qui cum in sæculo valentissimo fuisset corpore, & animo scelestissimo, se ex toto corde, dein ad Deum convertit. Fuit hic initio conversionis, suæ à diabolo gravissimè tentatus, maximè autem à fœdis & carnalibus concupiscentiis infestatus, quibus affugandis, è seniorum consilio, quæcumq; humanitus poterat, remedia adhibebat etenim orationi tam frequenter & assiduo instabat, ut ad sexennium potissimam noctis partem insomnis erecto in pedes corpore orando trãsigeret. Manibus quoque per diem multum laborabat: ad hæc, nonnisi pauxillum panis in refectione corporis sinuebat: per seniorum quoq; cellas jugiter obiens, aquam illis deferebat: alia denique non vulgaris austeritatis & mortificationis genera ad tentationes has à se dispellendas, haud segniter usurpabat. Sed incassum omnia; nec tentatio cessabat; imò tanta in eo concupiscentiæ carnalis erat vehementia, parum ut abesset quin succumberet, & religiosum institutum desereret. His in angustiis dum versatur Moyses, ab Abbate Isidoro invisitur, qui ex parte Dei sic eum est allocutus. *Ex hoc temporis articulo, frater Moyses, fœda illa tua somnia & tentationes cessabunt.* Atque uti promisit, sic & contingit. Causam quoque ei permissæ à Deo hactenus tam gravis pertinacesque tentationis, nec plenæ de ea victoriæ relatæ exponens: *Ne gloriareris*, inquit, *nec te extolleres, ut qui tua exercitatione vicisses affectionem, ideo vehementer in te suam exercuit potestatem, ad tuam utilitatem ne incideres in animi elationem.* Nondum scilicet Moyses diffidentiæ sui donum obtinuerat; quod ut perdisceret, nec ob nimiam sui præfidentiam in superbiam incideret, idcirco ad tot annos suo eum Deus marte luctari permisit, nec tot tantisque laboribus & exercitiis ei plenam huius passionis victoriam concedere voluit, quam tamen alii longè minorem per laborem & contentionem subinde obtinent.

Palladius de Abbate Moyse & lib. 2. vit. SS. Patrũ pag. 341.

Et adstipulatur Sacra Scriptura.

Sap. 8, 21.

4. Idem Abbati Pachovii contigisse is ipse Palladius tradit, qui tametsi septuagenarius, carnalibus tamen à tentationibus jugiter impetebatur: hic ei, juratus affirmavit, se post quinquagesimũ ætatis annum, per biennium tum tam vehementer ab his fuisse pulsatum, & tam continuam hanc fuisse luctam, nulla ut dies sibi aut nox elapsa sit ab hoc cõflictu immunis: varia autem & extraordinaria quædam huic malo pellendo remedia se usurpasse, sed casso eventu, Vnde cùm die quadam miseram suam Deo cum lacrymis sortem exponeret, seque velut desertum quereretur, vocem se ab intus loquentem audivisse: *Abi Pachon, decerta: ideo enim permisi in te tantam exerceri potestatem, ne tibi esset elatior & arrogantior spiritus, perinde ac ipse posses hanc superare afflictionem. Sed tuam agnosceres imbecillitatem, & in vitæ tua institutæ numquam habeas fiduciam, sed ad Dei recurreres auxilium.* Addidisse

Aliud Exemplum.

Eccl. 26. 20.

verò,

verò, cœlesti hac voce ita se fuisse erectum, & in animo corroboratum, ut numquam exinde ab hujusmodi sit tentatione vexatus. Vult enim Deus, nostram in se fiduciam ponamus, de nobis verò penitus diffidamus, nec ullatenus nostra solertia mediisque humanis nitamur.

Et adstipulatur Sacra Scriptura.

4. Nec verò solùm hoc docent S. Augustinus, Cassianus, & Patres illi antiqui, sed & ipse Spiritus Sanctus, & quidem iisdem in terminis quibus nos hic utimur. Etenim Sapiens in libro cui sapientia nomen est, horum omnium non theoriam modò. Sed & praxin disertè proponit: *Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens* (continentia autem hic generaliter sumitur, significatq; non solum passionis castitati adversantis subactionem & refrenationem, sed & reliquarum passionum & appetituum rationi repugnantium; uti & accipitur in illo Ecclesiastici loco: *Omnis ponderatio non est digna continentis animæ*, quæ nimirum affectus & appetitus suos ita compescit & retinet, ut virtutis & rationis limitem non egrediantur) *nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia, scire cujus esset hoc donum, adii Dominum, & deprecatus sum illum ex totis præcordiis meis.* Patet hinc ergo, unicum hoc, continentiæ acquirendæ passionibus nostris compescendis frenandis & in officio continendis, victoriæque absolutissimæ de omnigenis tentationibus referendæ, perfectioni denique virtutum omnium comparandæ remedium esse. Quod optimè perspectum habebat Psalmographus, cum cecinit: *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam*: &, *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Ipse est, à quo omne nobis bonum dari, datumque jam custodiri & conservari debet: quod nisi fiat, irritus omnis conatus noster erit.

Sap. 8, 21.

Eccl. 26. 20.

Aliud Exemplum.

Ps. 126. 1.

Caput XXXVI.

Humilitas magnanimitati minimè repugnat, sed ejus potiùs fundamentum & causa est.

1. S. Thomas Aquinas de magnanimitatis virtute differens, hanc quæstionem proponit. Cùm ex una parte Sancti Patres, nec non Evangelistæ, humilitatẽ, & ex altera magnanimitatem nobis pernecessariam esse tradant, iis præsertim qui ad status & functiones sublimiores evecti sunt; videntur certè duæ hæ virtutes simul in eodem subjecto non posse consistere, sed sibi contrariæ esse. Magnanimitas enim quædam est animi magnitudo, ad res arduas, excelsas, & ex sese honorificas aggrediendas & exequendas. Quod utrumque directè humilitati repugnare videtur, *primũ* enim ardua scilicet & magna aggredi, nullam cum ea affinitatem habere videtur: nam de gradibus, eum humilitatis, à SS. Patribus assignatis, unus est: *Ad omnia indignum & inutilem se confiteri & credere.* Si quis autem id ad quod inutilis est aggrediatur, superbiam & præsumptionem redolet. *Alterum* quoque, res honorificas scilicet suscipere, non minorem cum ea

2. 2. qu. 129.

Alvar. de Paz. tom. 2. l. 4. p. 1. c. 11.

An Magnanimitas humilitati adversetur.

contrarietatem habere videtur: verus enim humilis procul ab omni honoris & æstimationis appetentia abesse debet.

Resolutio q. quod nõ repugnẽt

2. Sed huic quæstioni egregiè D. Thomas respõdet, docetque, quamvis duæ hæ virtutes primo intuitu, & prout nomina exterius sonant inter se contrariæ appareant, quoad effectum tamen nullam virtutem alteri posse esse contrariã; hinc si ipsam rei veritatem & substantiam accuratè intueamur, comperiemus, tantũ abesse ut humilitas ac magnanimitas inter se diffideant, ut etiam admodũ affines & invicẽ mirè connexæ sint, unaq; ab altera dependeat. Quod etiã hoc modo declarat. Nã quod ad primum attinet, magna scil. suscipere & aggredi, (quod magnanimorũ proprium est) non solũ non est ab humili alienũ, sed ei etiã maximè proprium: adeò, ut solus humilis res hujusmodi cum honore sustinere & rectè suscipere possit. Si quidem nostris confisi viribus & mediis magna aggrederemur, præsumptionem aliquam & superbiam spiraret: quid enim magni, imò quid parvi, aggredi per nos ipsi possumus nostræ unius visi industriæ ac viribus cum teste Apostolo, *ne sufficientes* quidem *simus cogitare aliquid* boni *à nobis, quasi ex nobis*: Porro magnanimitatis ad res magnas suscipiendas ac moliendas, fundamentum esse debet, ut nostris ipsi viribus, adeoque omnibus humanis mediis diffidamus, omnem verò fiduciam in illo collocemus: atque hæc ipsissima est humilitas.

2. Cor 3.5.

3. S. Bernardus illud Canticorum exponens. *Quæ est ista quæ ascẽdit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?* egregiè pro more ostendit, omnem nostram virtutem, robur & rectè facta uni dilecto nostro inniti debere: & ad hoc probandum adducit exemplum Apostoli, ad Corinthios sic scribentis: *Gratia Dei sum id quod sum, & gratia ejus in me vacua nõ fuit, sed abundantius laboravi.* Enumerare cœperat eo loco Apostolus labores, gravamina, pericula quos in Evangelii prædicatione & Ecclesiæ propagatione subierat, adeò ut etiam reliquis Apostolis plus sese laborasse fateatur. Vnde Apostolum compellans Bernardus: Vide Paule, inquit quid dicas; ut hoc possis dicere, & quod fecisti non amittas, innitere super dilectum tuum. Innititur autem cum mox subjungit. *Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Rursum ad Philippenses scribens ait, *omnia possum*: sed statim super dilectum suum innixus subnectit, *in eo qui me confortat.* In Deo igitur nihil non poterimus, per ejus gratiam ad omnia erimus potentes: illo uno niti debemus, ipse magnanimitatis & generositatis nostræ esse basis ac fundamentum. Atq; hoc insinuare voluit Isaias Propheta dicens, *Qui sperant* & fiduciam ponunt *in Domino mutabunt fortitudinẽ*: quia humanam, quæ mera imbecillitas est, in divinam, & brachium suum fragile & carneum, in divinum commutabunt: itaq; ad quælibet fortes & potentes erunt, quia in Deo nihil non poterunt. Quare rectè S. Leo: *nihil arduum humilibus, nihil asperum mitibus.* Verus autem humilis, est magnanimus,

ser. 60. ex parvis Cãt. 8. 5. Omnia bene facta Deo debent inniti. 1. Cor. 15. 10.

Ps. 19. 14.

Phil. 4. 13.

S. Basil. Isa. 6. 8. Exemplum.

nimus, animosus & ad magna audenda & suscipienda fortis: nihil illi difficile aut laboriosum videtur, quia nō in se, sed in Deo confidit: & in Deū respiciens, eoq; nitens nihil nō perfringit. *In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilū deducet tribulantes nos.* In Deo potest omnia. Atq; hoc est quod nobis imprimis opus est, invicta scil. animi fortitudo, generositas, & in Deo fiducia, non autē pusillanimitas, quæ nos ad ministeria nostra obeūda torpidos & enerves quodāmodo reddit. Quare in nobis ipsis humiles simus oportet, sciētes nos ex nobis ad nihil utiles & idoneos esse, ac nihil posse: sed in Deo, perq; ejus virtutem & gratiam, animosos, & ad res arduas amplectendas valentes reddi.

Ps.19.14.

S.Basil. Isa.6 8. Exemplum.

4. Egregiè hoc ipsum declarat Sanctus Basilius super his Isaiæ verbis, *Ecce ego, mitte me.* Mittere aliquem volebat Deus, ad populo suo prædicandum; quoniam reus; nonnisi consentientibus & volentibus nobis. Quidpiam in nobis verò vult operari, petiit, unde id Isaiæ facilè fuit audire. *Quem mittam, & quis ibit nobis?* cùm mox Propheta, *Ecce ego, mitte me* si lubet. Non dixit autem (ut curiosè advertit Basilius) Ego ibo Domine, quod vis libens effectum dabo. Erat quippe humilis, suæque imbecillitatis probè conscius, videbatq; insignis temeritatis fore id se facturum polliceri quod tam erat arduum, suasque vires nimium quantum excedebat, sed ait, *Ecce me*, paratum ad quodcumque mihi dare volueris, recipiendum: *mitte me*; & si quidē miseris, haud invitus ibo, quasi diceret. Equidem tam arduæ difficilique legationi peragendæ, ineptus & impar sum, Domine; ac tu aptitudinem ei necessariam mihi dare potes, ac ea verba ori meo inserere quæ animos audientium convertant: tu me miseris, ire potero; & in nomine tuo eundo, ad munus hoc maximè sufficiens & par fuero. Quare promptitudinem hanc perspiciens Deus, ait: *Vade.* Ecce inquit Basilius, ut Isaias prædicator & Apostolus Deī denuntietur, quod in materia humilitatis tam scitè doctèque responderit: non enim dignum se credidit qui ad hoc opus mitteretur, sed suam insufficientiam & fragilitatem perspectam habens, omnem fiduciam in Deo collocavit, persuasum habens in eo se posse omnia, &c, si ab ipso mitteretur, missioni huic idoneum fore. Hanc ob causam hanc ei missionem permittit Deus, & ut vadat jubet, hoc eum pacto prædicatorem, legatum & Apostolum suum creans. Talis & nostra esse debet fortitudo & magnanimitas, ad res magnas & difficiles aggrediendas: unde non est, quod ob imbecillitatem & insufficientiam tuam animam despondeas aut desperes. Dicit Jeremiæ Deus, *Noli dicere, puer ego sum*, & loqui te non posse, *quoniam ad omnia quæ mittam te, ibis & universa quæcumque mandavero tibi, loqueris*, facies, & exêqueris. *Ne timeas à facie eorum, quia tecum ego sum.*

Jer.1.7.

Humilitas fundamentū & magnanimitatis.

5. Quamobrem, quantum est ex hac parte, humilitas non modò magnanimitati contraria non est, verum etiam illius radix & fundamentum

Vti nec altera magnanimitatis pars, videlicet res magnas & honorificas suscipere velle: nam (ut bene S. Thomas docet) tametsi magnanimus talia aggredi animo intendat, non tamen honoris mundani respectu: nã hic illius scopus non est promereri quidem illum vult, non tamen eum procurare vel magni facere: quin imò tam parvi omnem in animo honorem & infamiam pendit, nihil ut magni ducat aut in pretio habeat, præter unicam virtutem & illius intuitu ad res arduas aggrediendas emoveatur, humanum honorem & famam nihil moratus. Nam tam sublime quid est virtus, ut numquam satis nec pro dignitate ab hominibus queat deprædicari aut compensari: quia à Deo honorari & præmiis affici digna est.

22. q. 129. art. 2. ad 3.

Magnanimus honores nõ curat, sed unicam virtutẽ.

6. Hinc est quòd magnanimus omnes mundi huius honores nihili faciat: sunt hi quippe ei nimis quàm viles & nullius valoris: longe enim sublimius evolat: ut qui solo amoris Dei ac virtutis intuitu ad operandum magnaque suscipienda, reliqua omnia se inferiora existimans, moveatur.

Quomodo Humilitas sit fundam. magnanimorũ.

7. Quamobrem ut quis tam generosum excelsumque, & honoris infamiæ humanæ contemptorem animum habeat, qualis magnanimos decet, insigni sanè opus est humilitate, quò ad tantam perfectionem pertingere possit, ut cum Apostolo dicere possit: *scio & humiliari, scio & abundare (ubique & in omnibus institutus sum) & satiari, & esurire, & abundare, & penuriam pati, &, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam: ut seductores & veraces: sicut qui ignoti, & cogniti: quasi morientes, & ecce vivimus.* Quare ne tam vehementes, tamque contrarii honoris & infamiæ, laudum & vituperiorum, favorum & persecutionum, ventia-liquam in nobis mutationem causentur, aut vacillare nos faciant, sed ut semper in uno eodemq; statu constantes & immobiles persistamus, solido infractoque opus est humilitatis fundamento, & sapientia planè cœlesti. Nescio enim, an cum Apostolo in abundantia modestus & moderatus esse poteris: forsan poteris mendicato vivere, penuriam pati, peregrini instar errare, in infamia, dedecore & ignominia humilitatem servare; sed, an medios inter honores, in Doctorali cathedra, illustribus pulpitis, amicitiis Magnorum, altisque functionibus & ministeriis humilis futurus sis, prorsus nescio. Ah! Ne Angeli quidem in cœlo id facere potuerunt, quia evanuerunt & ceciderunt. Vnde bene olim dixit Boëthius: *Cum omnis fortuna timenda sit, magis tamen timenda est prospera quam adversa.* Longè quippe difficilius est humilitatem mediis in honoribus & hominum applausu, in altis ministeriis & officiis, quàm in despectu, infamia, officiisque abiectis & humilibus servare: nam hæc humilitatem, illa superbiam & vanitatem quamdam secum trahunt. Cùm teste Apostolo, *scientia*, & quidquid altum & sublime est, ex se hominem *inflet*, & evanescere faciat.

Phil 4.12.

Inter honores ægrè servatur humilitas.

Boethius.

1. Cor. 8. 1.

8. Qua-

Humilitas est inter Dei dona maxima.

8. Quapropter meritò Sancti Patres, nonnisi magnorum & perfectorum virorum humilitatem aiunt esse, inter illustria Dei dona & charismata, nec non medios inter honores & applausum sæcularium, humilem esse nosse.

1.p.l.1.c. 37 Chr. Mino. Exemplum. Humilis honorē acceptātis.

9. S. Franciscus, qui aliàs lutum pedibus in massam redegerat, ut hac ratione honorem eluderet, quem ei oppidani, quos adibat, deferre parabant, aliud alio tempore oppidum ingressus, summo ab incolis eiusdem honore exceptus est, ob opinionem quam de eius sanctitate conceperant: etenim certatim vestes, manus, & pedes eius, ipso nullatenus renitente, sed immobili persistente, sunt exosculati. Socius in corde eum dijudicans, hoc honore eum titillari & delectari putavit: unde &, tentatione invalescente, hoc suum de eo judicium sancto viro aperire ausus fuit. Cui ille respondit: *Adhuc longè minùs hi honoris deferunt, quam eos deferre decet.* Quod responsum adhuc magis ipsum torsit & offendit, quod ipsum non intelligebat. Tum sanctus: *Honorem quem mihi deferri vides, nullatenùs mihi arrogo, sed Deo, cuius propriè est, omnem adscribo, intra vilitatem me meam continens: ipsi verò inde meritum sibi parant, quia Deum in creatura sua venerantur & agnoscunt.* Quo dicto frater acquievit, & Patris sui cœpit sanctitatem & perfectionem demirari. Nec immeritò. Nam quem pro sancto honorari & suspici (qui certè honor omnium, qui exhiberi homini possunt, est maximus) & tamen omnem gloriam (ut par est) Deo

Inter honores ægrè servatur humilitas. Boethius.

1.Cor.8.1.

adscribere, nihil verò sibi inde arrogare, ita ut nihil viscosi mellis manibus adhærescat, nec vana inde delectatione titillari, sed tam integrum in humilitate & vilitate suā permanere, tamquam si nihil horum haberet, adeoque honor hic non sibi, sed alteri cuipiam attribueretur, summæ perfectionis & profundissimæ humilitatis argumentum est.

Humilitati studeat, qui omnium in oculis versantur.

10. Ad hanc humilitatem ut Dei auxiliante gratia, perveniamus, omni cōtentione allaborare debemus, nos præsertim, qui vocati sumus, non ut in angulo aliquo obscuri delitescamus, vel sub modio abscondamur; sed adinstar civitatis super montem positæ, vel lucernæ super candelabrū locatæ, in eminenti loco, ut toti mundo luceamus. Ad quod solida antè jacienda fundamenta sunt, & ardens concipiendum desiderium, ut, quantum est à parte nostra, contemni & nullo loco haberi velimus: quod è profunda quædam miseriæ, vilitatis ac nihili nostri cognitione oportet nascatur. Ac tale haud dubiè S. Franciscus habuit cùm lutum pedibus subigebat, ut, sic pro fatuo haberetur: idque natum è profundissima suiipsius cognitione; ex hac verò oriebatur desiderium contemptus & despicientiæ ab omnibus; nec non quòd, cum postea eum alii honorabunt, & vestem ac pedes illius osculabantur, non superbiret, nec pluris propterea se faceret, sed adeò se integrum sua in vilitate & humilitate conservaret, quasi nullus omnino sibi honor extuberetur, quia quidquid fiebat in solum Deum referebat.

Quare etsi hæ duæ S. Francisci actiones inter se pugnare videantur, ab una tamen eademque radice, unoque spiritu humilitatis procedebant.

Caput XXXVII.

De aliis singularibus bonis & commodis, quæ in hoc tertio humilitatis gradu continetur.

1. Paral. 29. 41. Merita nostra etiã sunt Dei munera.

1. *Tva sunt omnia, & quæ de manu accepimus, dedimus tibi*, dixit Deo David Rex, postquam multum auri & argenti, atque infinitam templo in ædificando materiam comparasset, eamque datori Deo offerret. Hoc ipsum in nos in omnibus bonis operibus facere & dicere oportet. Omnia bona opera nostra tua sunt Domine, unde quidquid à te accepimus tibi reddimus. Vndè præclarè S. Augustinus: *Quisquis tibi Domine enumerat merita sua* & obsequia quæ tibi præstitit, *quid tibi enumerat, nisi munera tua?* Hæc est, Domine, infinita bonitas & liberalitas tua, quod dona & beneficia tua nostra esse velis merita; &, cum nostra remuneraris obsequia, tua ipsius beneficia compensas, & *pro gratia gratiam*, pro munere munus rependas. neq; enim satis est Domino, ad instar Iosephi, nobis dare triticum, nisi & pecuniam ac pretium quo id emptum est, reddat. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Quidquid est, Dei est donum, omniaque ei asscribenda & reddenda sunt.

l. 9. confes. cap. 13.

Ioan. 1. 16

Ps. 83. 12.

Humilitas & verissima gratitudo erga Deum.

2. Inter cetera, quæ tertius hic humilitatis gradus habet, bona & commoda, hoc vel primum ponitur, quòd is vera & genuina sit pro acceptis à Deo beneficiis gratiarum actio & gratitudo. Quantopere porrò hæc in sacris litteris commendetur, quantique æstimetur, nemo non novit: videmus enim, quòd, cùm Dominus eximium in populum suum beneficium conferebat, statim aliquod eiusdem festũ, vel memoriam, quotannis renovandam, in gratitudinis signum institui voluerit: quod magni nostra referat gratos datori nos præbere, ad novas ab eo gratias & beneficia recipienda. Hoc autem optimè per tertium hunc humilitatis fit gradum, qui, prout jam sæpiùs dictum est, in eo consistit, ut homo nullum sibi, sed Deo omne bonum asscribat, omnemque inde manantem gloriam ei acceptam ferat: atque in hoc demum vera germanaq; gratitudo & gratiarum actio sita sunt: non ut ore dicas: Gratias ago tibi Domine pro universis beneficiis tuis. quamquam & ore Deum laudare, eique gratias agere oporteat. Si tamen id solum facias ore, non erit id gratias agere, sed dicere. Vt ergo non tantum gratias dicas sed & agas, ut non ore tantum, sed & corde & opere; agnoscas oportet, omne quod habes bonum à Deo descendere, atque id omne ei attribuas & transscribas, omnem eius gloriam ad eum referendo, te verò propterea vel in minimo non extollendo: hac enim ratione à se homo honorem amolitur, quem videt non esse suum, eumque totum transfundit in Deum ad quem propriè spectat.

3. Atque

Exemplū gratitudinis imitandum. Luc.17.18

3. Atque hoc tacitè significare Dominus in Evangelio voluit, cum, decem leprosis à se à lepra mundatis, & uno solùm ad gratias ei pro accepto mundationis beneficio agendas redeunte dixit: *Non est inventus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena?* filios item Israel gratitudinis admonens, ac, ne umquam acceptorum beneficiorum memoriam deponerent, indicens, ait: *Observa & cave, ne quando obliviscaris Domini Dei tui*, cùm in terra promissionis bonis temporalibus, opibus, possessionibus & pecorum armentorumque copia circumflues; *& elevetur cor tuum, & non reminiscaris Domini Dei tui qui eduxit te de terra Ægypti;* & ingratus dicas, *Fortitudo mea & robur manus meæ hæc mihi omnia præstiterunt*. Hoc scilicet, est Dei oblivisci, & ingratitudo omnium maxima, cum quis dona Dei attribuit sibi. Sed tu tale quid cogitari noli: *sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi præbuerit*, idque non ob ulla merita tua: sed *at impleret pactum* quod è mera liberalitate cum patribus tuis pepigit. Hæc gratitudo, gratiarum actio, & sacrificiū laudis est, quo Dominus noster ob præstita beneficia honorari & coli vult. nam per Prophetam suum ait: *Sacrificium laudis honorificabit me.* Hoc denique est illud Apostoli: *Regi sæculorum immortali & invisibili soli Dei honor & gloria.*

Deut. 8. 11.14.17.

Ps.94.23. 1.Tim.1. 17.

Humilis ob dona Dei confunditur & se humiliat.

4. Sequitur hinc & aliud bonum & commodum non vulgare: quòd verus humilis, quantalibet à Deo dona acceperit, ob eaque ab hominibus æstimetur, & magni fiat, se propterea tamen non extollat, aut pluris faciat; sed in vilitatis suæ cognitione tam profundè solidatus maneat, tamquā si horum nihil in se reperiretur. Optimè enim novit distinguere inter alienum & proprium, & unicuique quod suum est, attribuere: unde dona beneficiaque Deo accepta non velut suum peculium, sed ut alienum quid & mutuo datum, intuetur, semperque considerat propriam imbecillitatem ac miseriam, necnon quid foret si suam Deus manum ab ipso subtraheret, & assiduè ipsum non sustineret & conservaret: Imo quanto plura beneficia & gratias à Deo accepit, tanto ob ea magis humiliatur & confunditur. *Vt enim arbores*, inquit S. Dorotheus, *cùm multo fructu onustæ fuerint, inclinant ramos, ut subinde etiam hi frangantur: qui autem ramus nullum habet fructum, in altum attollitur, & rectus assurgit.*

Ser. de humilitat.

Simile.

5. Atque ut spicæ, cum tritico multo sunt graves, ita incurvantur, ut calamus jam frangendus videatur: at, cum spicæ erectæ in altum tolluntur, non bonum id signum est, sed parvæ fertilitatis indicium. Ad eumdem modum, inquit, fit in rebus spiritualibus: qui & charismatibus divinis vacui sunt, & sine ullo fructu intumescunt, erecti & elevati incedunt, aliquo se in numero habentes: at iisdem onusti & fructu pleni, magis humiliantur, demissiusq; de se sentiunt. Atque ex his ipsis donis ac beneficiis divinis commodam sui dejiciendorū magisq; confundendorum occasionem capiunt: quod egregia S. Gregor. similitudine declarat.

l.12. Mor. c.5. & homil.9. in Evangel.

6. Quem-

Aliud simile.

6. Quemadmodum, inquit, qui magnam pecuniæ vim mutuo accepit, ita eadem gaudet, ut tamen lætitiam assidua hæc cogitatio temperet, quod norit esse sibi eam suo tempore creditori reddendam; nec non metus ille, num præfixo termino jam evoluto, solvendo sit futurus. Consimili ratione humilis quo plura à Deo beneficia & gratias accepit; hoc plus se ei debere, & ad magis ei serviendum obstringi novit: quin sibi persuadet maiora se dona non maioribus obsequiis, & ampliores gratias non intensiore gratitudine compensare, nec par pari referre: credit adhæc, quemlibet, cui simile quid Deus dedisset, longè quàm ipse meliùs illo usurum, meliorem futurum, gratioremque se idcirco benefactori Deo præstiturum. Vnde hæc una de considerationibus est, quæ Dei servos multum humiliare & confundere solet: norunt quippe, non commissorum solùm peccatorum, sed & acceptorum talentorum & charismatum, rationem à se Deum exacturum: item, cui multum datum, multum quoque ab eo repetitum iri, cui plus concreditum, plus quoque ab eo exigendum, dicente Domino Iesu: *Omni cui multum datum est, multum quæretur ab eo; & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo.* Hinc Abbas Macarius humilem dicebat sic Dei dona & gratias intueri, sicut depositarius aut arcarius rem domini apud se depositam: qui ea adeò non vanè gloriatur, ut ob eam etiam jugi in timore ac sollicitudine agat, quòd norit à se, si quid eius sua culpa amitti contingat, rationem petendam.

Luc. 12. 48.

Humilis neminē contemnit.

7. Consequitur ex his & tertium hoc commodum: quòd verus humilis neminem despiciat aut spernat, quantaslibet in culpas & flagitia prolabi eum videat; nec se propterea extollat, alterique arroganter præferat: quin imò sui magis humiliandi è lapsibus alienis occasionem capit: considerat quippe, & se, & lapsum ex eadem esse massa figulatos, & illo cadente se quoq; (quantum est ex parte sua) cadere. nam, teste S. Augustino, non est peccatum quod faciat homo, quod non & alter faceret homo, si à potenti Dei manu non retraheretur. Inde quidem de priscis illis eremi Patribus, lapsum cuiuspiam audiens, amarissime plangebat, dicebatque: *Ille hodie, & ego cras*: ut ille lapsus est, possem & ego cadere, quia sum ut ipse fragilis; *homo sum, humani nihil à me alienum puto.* quòd autem non ceciderim, Deo acceptum fero, eiusque beneficiis annumero. Quemadmodum consulunt SS. Patres, ut, cum hunc cæcum, illum surdum; alium claudum, alium infirmum aut debilem videbimus, hæc aliena mala in rem nostram convertamus, Deoque gratias agamus, quòd nos nō cæcos, surdos, mancos, mutos, uti illos, fecerit: sic omnium hominum peccata, velut collata nobis beneficia reputemus. nam in illa omnia prolabi ipse potuissem, nisi per infinitam misericordiam Dominus me suam liberasset & conservasset. Hoc pacto servi Dei humilitatem suam sartam tectam tuentur, caventq; ne quē è proximis despi-

In soliloq. c. 15.

Terent. in heauton.

despiciant, nemini, quantumlibet peccet & scelestus sit, succenseant; juxta illud S. Gregorii: *Vera justitia compassionem habet* erga fratrem, *falsa justitia dedignationem.* unde qui posteriorem habent, timeant & notent illud Apostoli: *Considerans teipsum ne & tu tenteris.* Avertat Dominus, ne in eo ipso tententur, quod in altero damnant & sugillant, suoque experiantur damno, quanta sit hominum fragilitas, quod ordinaria culpæ hujus esse solet castigatio. Tribus in casibus fratrem meum (inquit de priscis Patribus nonnemo) judicavi, atque in hæc ipsa postea incidi, *ut sciant gentes quoniam homines sunt*: ut noverimus inquam esse nos quoque homines, neminemque dijudicare ac minoris facere discamus.

Homi. 34. in evang.

Gal. 6. 1.

Cassia. l. 5. de inst. renun. c. 30. de Abbate Machar.

Caput XXXVIII.

De singularibus favoribus & gratiis, quas Deus humilibus præstat: & quæ sit causa cur sic eos extollat.

1. VEnerunt mihi omnia bona pariter cum illa, dixit de Sapientia divina Salomon: non obstat tamen quo minùs humilitati ea applicemus, omniaque bona pariter cum illa venire dicamus. Cùm is ipse Salomon alibi dicat: *ubi est humilitas, ibi esse & Sapientiam*: & humilitatem habere, summam esse sapientiam: David quoque humilibus à Deo sapientiam dari: *Sapientiam præstans parvulis.* Verum hanc ipsam veritatem scriptura præterea in propriis terminis & apertè sæpiùs utroque in Testamento nos docet, ingentia bona & charismata divina modò humilibus, modò parvulis, modò spiritu pauperibus promittens. nam his aliisque id genus nominibus veros humiles indigetat.

Ps. 9. 21. Sap. 1. 11. Privilgia Sapientiæ sunt etiam humilitatis. Prov. 11. 2. Alva. to. 3. l. 4. p. 1. c. 1. Sap. 8. 21. Ps. 18. 8.

2. Per Isaiam quidem petit Dominus: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum*, id est humilem, *& contritum spiritu, & trementem sermones meos?* ad hunc ergo Deus respicit, ut gratias ei conferat, & omnigenis bonis cumulet. Adhæc SS. Apostoli Petrus & Jacobus prorsus iisdem in Canonica sua terminis dicunt: *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

Isa. 66. 2. 1. Deus respicit humiles & dona largitur. 1. Pet. 5. 5. Iac. 4. 6.

3. Confirmarat idipsum antè suffragio suo Deipara Virgo, in Cantico canens: *Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles: esurientes implevit bonis, & divites esse qui apparent, dimisit inanes.* Quod multis antè sæculis David quoque rex disertè pronuntiarat. *Quoniam tu populum humilem salvum facies, & oculos superborum humiliabis*, & post ipsum Redemptor Jesus in Evangelio: *Omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat exaltabitur.* Perinde atque aquæ ad valles & declivia descendunt (*qui emittis fontes in convallibus:*) sic divinarum gratiarum pluviæ ad humiles defluunt, atque, ut valles, ob aquarum illuc confluentium copiam, fertiles esse, & fructus uberrimos proferre solent (*& valles abundabunt frumento*) sic qui in oculis suis depressi sunt, quales esse solent humiles, mirè proficiunt, multumque fructus ob donorum, quibus à Deo donantur, affluen-

2. Deus eos exaltat. Luc. 1. 52. Ps. 17. 28. Luc. 14. 11. Ps. 103. 10. Ps. 64. 14.

serm.2.de ascensione affluentiam adferunt. Asserit quoque D. Augustinus humilitatem Deum altissimum ad se attrahere: *Altus*, inquit, *est Deus: humilias te, & descendit ad te: erigis te*, & superbis, *& fugit à te*. Nosti *quare?* rogat Augustinus: *Ps.137.6.* *quoniam* (ut loquitur Regius Propheta) *excelsus est Dominus, & humiles respicit* : illos autem respicere, est bonis omnigenis eos replere: *& alta* & superbos, *à longè cognoscit*. Nam quemadmodum hic in terra, dum quem eminùs & à longè videmus, eum minimè noscimus, sic nec superbos cognoscit Deus, ut illis charismata elargiatur. *Matt.25.32.* Nam iis, ut & impiis, ait, *Amen dico vobis, nescio vos*. Et sicuti mollis cera (ut rectè S. Bonaventura observat) *in specul. discipl. ad novit. c.3* quàm maximè est ad sigillum quod ei vis imprimere accipiendum disposita, sic animam præparat & disponit humilitas, ut Dei virtutes & charismata admittat: *Gen.43.34.* perinde ut in convivio quod Joseph, Patriarcha fratribus suis instruxit, major è cibis pars illorum minimo obtigit.

par.2.tra.4.c.15. *Causa cur Deus humiles exaltet.* 4. Jam causam videamus, cur humiles Deus adeò exaltet, totque in eos beneficia & gratias conferat: causa est, quòd per eos omnia data rursus ad datorem redeant. Humilis quippe nullam ob rem sese effert, nihil omninò sibi, sed omnia Deo asscribit, in eum totaliter refundit, eique omnem gloriam & honorem attribuit. *Eccl.3.21.* *Quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur*. Unde sic secum Deus loqui videtur: His nostram si possessionem fidamus, non errabimus, tutò his nostra dona & charismata concredere possumus: nam illis se non efferent, nec nobis derogata, sibi arrogabunt. Unde de illis non secus Deus disponit, quàm de re propria: quòd omnis gloria & honor ei integra constet, sic vulgò in Regum & Principum aulis contingere videmus, ut hi laudi sibi ducant & glorientur, si obscurum aliquem hominem de terræ pulvere (ut dicitur) ad sublimia evehãt, eumque faciant quod non erat, & adjiciant quod prius non habebat, quod Regia liberalitas & magnitudo magis sic elucescat, unde & postmodum hunc creaturam & facturam suam esse dictitãt: Quò alludit Apostolus, *2. Cor.4.7.* dicens: *Habemus thesaurum istum gratiarum divinarum in vasis fictilibus*, ut sciatur quod *sublimitas* ista sit *virtutis Dei, & non ex nobis*, quia vasa fictilia tale quid non producunt. Hanc ergo ob causam humiles De⁹ exaltat, tamque munificè eos habet; contrà propterea etiã superbos dimittit inanes: quòd superbus nimiùm sibi, suæq; diligentiæ & industriæ confidat, multum sibi arroget, ob fœlicem rerum successum vanè sibi cõplaceat, quasi illæ suas ob vires & diligentias exitum hunc habuerint: omnia autem hæc Deo suffuratur, illa se gloria & honore efferens, quæ majestati ipsius propria est. Hinc simul atq; in oratione vel minimo devotionis sensu perfundimur, & vel unica oculis lacrymula præfuit, jam tum nobis spirituales & viri orationis esse videmur. Nonnunquam quoque nos aliis anteponimus, putamusq; illos non adeò provectos esse, non tantum in rebus spiritus profe-

profecisse; nec hujusmodi passibus progredi, quibus nobis ipsi progredi videmur.

Cur etiã quidam donaDei amittãt.

5. Hæc ergo causa est, cur majores gratias Deus nobis nõ elargiatur, & subinde etiam datas priùs, auferat: ne, quod bonum est, in malum, sanitas in infirmitatem, theriaca in venenum nobis convertatur; receptaque dona ac beneficia majoris damnationis sint occasio, quod illis nõ majoris damnationis sint occasio, quod illis non rectè utamur, perinde atq; morbido debilem adhuc stomachum habenti cibus, quantumvis sapidus (v.g. gallina) nonnisi parcè & modicus datur, quod ad ampliorẽ copiosioremque digerendum, vires nõ sufficiant: si enim plus sumeret, id cum damno valetudinis innoxios humores converteretur. Elisei Prophetę oleũ fluere nõ cessabat, quamdiu vasa quibus exciperetur, suppetebant; quibus deficientibus, *stetit oleum*. Sic divinæ misericordiæ oleum à parte Dei per se perenniter fluit, nec ejus gratiæ & miserationes ullo termino circumscribuntur. *Non est abbreviata*, ait Isaias, *manus Domini*, non mutavit mores aut conditionem suam: Deus quippe non mutatur, nec mutari potest, sed sed semper in eodem statu permanet; longeq; libentius dat quam ipsi accipiamus. Defectus tantũ est à parte nostra, quod vacua, quibus divinarum misericordiarum & gratiarum oleum recipiamus, vasa nobis desint: plenissimi quippe nobis ipsis sumus, nostrisq; mediis nimirum quantum præsidimus. Humilitas porrò & sui ipsius cognitio hominem seipso evacuat & liberum reddit, efficiendo, ut sibiipsi atque adeò omnibus mediis humanis diffidat, ac nihil sibi, sed Deo omnia asscribat. Unde in eos qui ejusmodi sunt, plenis ipse (ut dici solet) manib. dona & gratias suas effundit. *Humiliare Deo, & exspecta manus ejus.*

2. Cor. 4. 7.

4. Reg. 4. 6.

Isa. 5. 91.

Eccl. 13. 9

CAPUT XXXIX.

Quanti nostra referat, ad humilitatem confugere, ut ejus suppleamus, quod nobis ad virtutem & perfectionẽ deest, ne à Deo humiliemur & castigemur.

1. SCribit mellifluus Bern. *Stultus est, qui non confidit nisi in sola humilitate, quia ad Deũ, fratres jus habere nõ possumus*, nisi ut castigemur, *quoniã in multis offendimus omnes. Si voluerit*, inquit Iob, *homo contendere cum* Deo, *nõ poterit ei respondere unũ pro mille, & è millenis rationibus* ac debitis ne unam quidem dissolvere. *Quid ergo restat, nisi ad humilitatis remedia totamente confugere, & quidquid in aliis minus habemus, de ea supplere.*

serm. 26. de diversis.

Necesse est nos humiliari.

Iob. 9. 3.

2. Quòd autem remedium istud tanti momẽti sit, hinc id ille frequenter aliis in locis repetit & inculcat, his similibusve verbis. *Quidquid verò minus est fervoris, bonæque conscientiæ, humilitas suppleat puræ confessionis*, erubescentia & confusio. Docet etiam S. Dorotheus Abbatem Joannem identidem suis id inculcare solitũ, ac dicere: *Humiliemus nos paulisper, ut salutem animæ nostræ consequamur, si propter imbecillitatem laborare non possumus, humiliare saltem nos studeamus*, itaque confido fore, ut inter eos annumerandi simus qui naviter laborarunt, Eodem modo si, post plurima

Humilitas omnes defectus supplet.

Serm. de nativit. S. Ioan. Bapt. st. & de inter. domo cap. 17. Serm. de humil.

peccata patrata, inutilem atq; imparem te ob virium defectum sentias, ad Deo per asperitates graves pro iis satisfaciendum, per planam humilitatis sanctæ viam incede, neque enim ullum valetudini tuæ convenientius medium invenies. Si ad hæc, orationi te applicare non posse credas, in tui ipsius cognitionem ingredere. Si denique res magnas sustinendas requisita talenta te habere non videas, ad humilitatem recurre: & omnem reliquorum defectum ejus ope resanies ac supplebis.

Minimo Deum placare possumus: humilitate videlicet.

3. Videamus ergo quàm parùm à nobis Deus exigat, & quantilla re contentus sit; requirit, ut pro conditione & utilitate nostra, ipsi nos cognoscamus & humiliemus. Siquidem longa jejunia, insolitas austeritates, sublimem contemplationẽ peteret; excusare se nonnemo posset, ac dicere, ad priora sibi vires, ad posteriora facultatem & talenta non suppetere. *Sed num humiliare nos ipsos non possumus?* petit Bernardus: *nihil facilius est volenti, quam humiliare semetipsum.* Ad hoc dicere non possumus, nobis valetudinem aut vires deesse; facultatem aut aptitudinem non suppetere. Omnes enim id possumus, & intra nosmetipsos sat ad hoc materiæ & occasionis habemus. *Humiliatio tua in medio tui,* ait Propheta. Ad humilitatem igitur confugiamus, & confusione suppleamus quod ad perfectionem nobis defuerit: itaque Dei præcordia ad miserendum & ignoscendum nobis, emovebimus. Quod pauper sis, parum refert; sis modò humilis, & Deo satisfacies: sed, si pauper simul & superbus, non poteris non odio ei esse. Inter tria illa quę Deum execrari & odisse Sapiens ait, primo loco ponitur pauper superbiens. quin & homines talem invisum habent.

Serm. 2. in capite jejunii.

Mich. c. 14.

Eccl. 25. 4.

4. Verum enimvero humiliemus nos, ne nos humiliet Deus: nam id ei solenne & ordinarium est. *Qui se,* ait, *exaltat, humiliabitur.* Si ergo ab eo humiliari nolis, temetipsum humilia. Quod sanè longa maturaque consideratione dignissimum, & magni momenti punctum est: Id è Magno Gregorio discamus licet; *Plerumque* ait, *omnipotens Dominus rectorum mentes, quamvis majori ex parte perficit, imperfectas tamen in aliquibus esse permittit, ut, luèt miris virtutibus rutilent, imperfectionis suæ tædio tabescant; & de magnis se non extollant, dum adhuc contrà minima innitentes labuntur: denique cum extrema vincere non valeant, de præcipuis actibus superbire non audeant.* Nosse cupis, inquit, quantopere humilitatem amet, & superbiam præsumptionemq; detestetur Deus? Adeò quidem, ut in peccata venialia plurimosque leviores imperfectiones idcò nos prolabi sinat, ut ipsi nobis persuadeamus, si ne parva quidem delicta superatu facilia, & leviores tentationes cavere possumus, sed in ea quotidiè nos cadere videmus, majoribus cavendis pares nobis vires non futuras; itaque illustribus rectè factis non gloriemur aut extollamur, nihilque illorum nobis arrogemus, sed jugi in timore & humilitate ambulantes, divinam opem & gratiam identidem expostulemus.

Luc. 18. 14.

Humiliemus nos ut Deus nos superbos non humiliet.

In postor. 4. p. in fin. & lib. 34. moral. c. 15. & lib. 3. dialog. c. 14.

Eadem

Deus nos parvis rebus confundit.

Serm. de 4. modis orandi, & serm. in cœna Domini. tra. 1. in Ioan. Ioan. 1. 3. Hier. 229. Ioel. 2. 25.

5. Eadem quoque S. Bernardi & reliquorum Patrum doctrina est: Augustinus verò super illa D. Ioannis verba: *Et sine ipso factum est nihil*; & Hieronymus in illa Ioëlis: *Et reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca*: docent, Deum, ad hominem humiliandum, eiusque superbiam retundendam, hæc animalcula abjectosque vermiculos, adeò nobis infestos condidisse. Potuisset haud dubiè Deus superbum Pharaonem eiusque populum per ursos leones, & serpentes domare & humiliare; noluit tamen, sed nonnisi per insecta minuta & contemptibilia, puta muscas, vespas, cyniphes, ranas, ad maiorem eorum confusionem. Eodem ergo modo, ut & ipsi confundamur & humiliemur, interdum in leviores nos defectus prolabi, & à minutis quibusdam tentationibus impugnari permittit, à muscis inquam reculisque peregrinis, quæ nihil penitus in se esse videntur. Iram si quidem attende nobiscum dispiciamus, quid subinde nos inquietare & turbare soleat, ea esse deprehendemus huiusmodi, ut, si bene excutiantur, nihil omnino sint ac nullius substantiæ: quod v. g. mihi quis verbulum nescio quod acrius, vel tali accentu, vel apud tales dixit: vel non pro eo ac mihi videor deberi, haberi vilius sum: & alia sexcenta tantilla è muscula per aëra volitante ingentem vanitatis colossum homo mox construit: ex una re deinde aliam deducendo, fit ut admodum inquietus & turbatus incedat. Quid ergo censes fore si tigrim aut leonem Deus emisisset? si vel culex & muscula usque adeò te turbet & exagitet, quid futurum si gravissima tentatio ingrueret? Vnde maioris confusionis & humiliationis eliciendæ ea nobis esse debent occasio, quam si eliciamus, *pia*, inquit Bernardus, *dispensatione nobiscum agitur*, insignisque Dei est gratia, *ut non penitus auferantur*, quo nobis ad humilitatem comparandam quodammodo ancillentur.

Serm. in can. Domini.

Imo peccatorum gravium permissione.

6. Verùm si parva ista non sufficiant, certus esto Deum progressurum ulteriùs, & quidem magno tuo (prout solet) cum impendio. Tantopere quippe superbiam ac præsumptionem odit, & humilitatem amat, ut offerant Sancti Patres, eum, justo & secreto iudicio suo, solere permittere, ut in mortalia quis peccata prolabatur, ut hac ratione humiliter de se sentire incipiat: nec in quolibet, sed in carnalia quæ maiorem ignominiam & infamiam peccanti parere nata sunt, ut eo se profundiùs abjiciat, magisque confundatur. *Occultam*, inquiunt, *superbiam manifesta castigat Deus luxuria*. Et ad hoc adstruendum, adducunt illud Apostoli, quo is superbos Philosophos & sapientes huius sæculi, ob superbiam, à Deo traditos dicit *in desideria cordis sui, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis in passiones ignominiæ*, in nefanda & infamia flagitia, ita scilicet, ad illorum superbiam castigandam Deo permittente, ut, videntes nempe se ad instar Nabuchodonosoris, animo, affectu, & agendi ratione, in bestias esse transmutatos, humilia sapere discerent, &

Greg. lib. 26. Moral. cap. 13. Isidorus de summ. bono lib. 2. c. 39. Rom. 1. 24.

Ier. 10. 7. confunderentur. *Quis non timebit, ô rex gentium?* quis tam gravi audita castigatione, utpote quâ nulla (unico excepto inferno) gravior est; (quin & inferno ipso peccatum deterius est) non totus contremiscat? *Quis novit potestatem iræ tuæ Domine, & præ timore tuo iram tuam dinumerare.* Psa. 89. 11.

Duplex est in Deo misericordia, Magna & parva.

7. Observant SS. Patres, duplici Deum in nos misericordia genere uti consuevisse, maiore una, altera minore, parva quidem, quando in parvis miseriis, quales sunt temporales hæ, quæ ad solum corpus spectant, opitulantur: magna, quando in magnis, nempe spiritualibus, quæque animam concernunt, miseretur. Hinc cum David Rex in hac miseria se constitutum, & ob adulterium homicidiumque à Deo suo derelictum videret, magnam illius misericordiam flebili voce implorat, & clamat. *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam.* Psa. 50. 3. Docent similiter esse in Deo iram magnam & parvam: parva irascitur, cum in rebus temporalibus nos castigat immissis adversitatibus, puta amissione rei familiaris honoris, valetudinis, aliisque illiusmodi, quæ nonnisi ad corpus attinent. Magna verò irascitur, cùm castigatio ad usque animæ medullas penetrat, juxta illud Ieremiæ: *Ecce pervenit gladius usque ad animam.* Ier. 4. 10. Atque eâ se irasciturum per Zachariam comminatur: *Ira magna ego irascor super gentes opulentas* & inflatas. Zach. 1. 15. Cùm ergo Deus Opt. Max. aliquem deserit, inque lethalia scelera, in præteritorum peccatorum pœnam & castigationem, prolabi permittit, magna tunc certè ira irascitur: suntque hæc vulnera à divino furore & indignatione inflicta, suntque non benigni patris, sed justi & severissimi judicis: plagæ: de quibus intelligi illa Ieremiæ verba possunt: *Plaga inimici percussi te, castigatione crudeli.* Ier. 30. 14. Uti & illa sapientis: *Fove à profunda, os alienæ, cui iratus est Dominus, incidet in eam.* Prov. 22. 14.

Item duplex ira.

Superbos castigari expedit per lapsus graviores.

8. Denique tam mala & execranda res superbia est, adeoque Deo exosa, ut Sancti Patres superbo interdũ expedire censeant, quod hoc pacto ab eo castigetur, ut hac ratione superbire desinat, ac demissæ de se sentire incipiat. Imprimis Sanctus Augustinus: *Audeo dicere,* inquit, *superbis esse utile cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceant,* se humilient, *qui jam sibi placendo* per superbiam interiùs, etsi non advertentes, *ceciderant,* ut suopte sensu illud dictum Sapientis confirment: Lib. 14. de civit. c. 13. & serm. 53. de verbi Dom. *Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus.* Prov. 16. 18. Idem omnino docent SS. Basilius & Gregorius. In reg. brevi cal. reg. 81 lib. 23. Moral. c. 16. Quorum hic Davidici lapsus occasione quærit, cur, quos ad vitam æternã elegit & prædestinavit Deus; plurimisque donis cœlestibus cumulavit hos aliquando in peccata, & quidem carnalia & probrosa, labi sinat? Cuius rei hanc assignat causam, quòd qui insignia & singularia à Deo dona acceperunt, subinde in superbiam incidant, quæ nonnumquam tam profundè intimis cordis ipsorum fibris insidet, ut eam ne ipsi quidem percipiant, sed, cùm sibi præfidant, multumque complaceant, hanc

hanc nonnisi à Deo fiduciam descendere arbitrentur. Sic contigit Apostolo Petro, putabat enim is, verba illa præsidentia. *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor*, non olere nimiam fiduciam sui, sed è singulari quadam animi magnitudine, eminentique erga magistrum suum amore proficisci.

Matt. 26. 33.

Superbia lapsibus gravibus curatur.

9. Ad huiusmodi ergo superbiam, tam occultam, tam personatam, in quam homo nec advertens quidem incidit, curandam, permittit eos Deus in manifestas turpitudines & probrosa ignominiosaque peccata, (quod talia magis in oculos incurrant, & à nullo non notentur) prolabi. Atque hac occasione, eâdem operâ, aliud illud occultæ superbiæ suæ malum homo advertit, quod priùs non advertebat: unde nec eius remedium quæsivisset, itaque in exitium extremum proruisset: verùm enidentis & manifesti huius lapsus beneficio, ipsum agnoscit, seque coram Deo humilians, utrumque peccatum pœnitentia expungit, atque utrique malo medicinam invenit. Sic in Petro Apostolo factum videmus, qui per exteriorem & publicum lapsum suum occultam qua laborarat, superbiam agnovit, & utrumque simul peccatum acerbissimis lacrymis & compunctione debuit; unde factum ut lapsus ei in bonum cesserit. Idem quoque accidit Regi David, qui de se teltatur: *Bonum quia humiliasti me, ut discam justificationes tuas.* q. d. Caro, fateor, Domine mihi stetit, bonum nihilominus fuit, quod me humiliaris, ut hac ratione discam quo tibi posthac modo famulati debeam, mihique diffidere. Vt enim peritus medicus, quando universo simul morbo mederi, &, eo quod humor malignus & pertinax est, eum prorsus dissipare & evincere nequit, ad partes corporis exteriores eum prolicere & attrahere conatur, ut eo faciliùs medicinam faciat, eumque profliget: pari modo Deus ut animas quasdam arrogantes & rebelles curet, in graves & quidem manifestas culpas eas prolabi permittit, ut hoc pacto seipsæ agnoscant & humilient, & externâ illâ deiectione & confusione malignus ac pestilens, qui intus latescebat humor dispellatur, Næ hoc *verbum est quod facit Dominus in Israel: quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures eius* præ mera formidine. Sunt quoque notabiles Dei castigationes, quas caro vel eminus audiens non potest non contremiscere.

Psal. 117. 71.

Iere 19. 3. 1. Reg. 3. 11.

Quomodo occultam superbiam hominis curare Deus conetur.

10. Verùm, quoniam ea Dei nostri benignitas & misericordia est, nō priùs ad rigidam hanc hominis castigationem, & ferale ac lamentabile hoc medium descendit, quam alia faciliora & suaviora adhibùerit. *Primò* namque alias leniores blandioresque occasiones, medicinas & remedia nobis immittit, ut per easdem nos humiliet: nunc infirmitatem, & morbum, aliàs obloquia, detractiones, calumnias, subinde etiam infamiam & honoris jacturam. *Deinde* ubi isthæc temporalia nobis humiliandis minimè sufficiunt, ulteriùs transit ad spiritualia; & primò quidem à parvis

initium

initium faciendo , postea paulatim graviores & vehementiores tentationes ingruere sinit, & tales quidem ut eò non deducant, ut nonnisi à tenui filo quodammodo pendeamus, & quæ dubitare nos faciant, utrum in illas consenserimus nec ne: ut hoc demum pacto videat homo, & reipsa discat, suo se illas marte & viribus superare non posse: & ipsa experientia & usu suam perspiciat & intelligat fragilitatem, nec non divini subsidii necessitatem: denique suis diffidat viribus, seque humiliet. Quæ omnia media cùm non sunt satis, tum demum aliud illud extremum, vehemens, sumptuosum, & deplorabile medium succedit, ut nimirum homo in lethale peccatum labi, & à tentatione superari sinatur: tunc, inquam, ab infernali illo titione cauterium inuritur, ut vel tunc saltem, erutis oculis & malo suo videat, quid sit, seq; humiliet, qui per lenia media id videre noluit.

Conclusio de necessitate humilitatis.

II. Hinc ergo patebit, quanti nostra intersit, humiliter de nobis sentiamus, nihil nobis ipsis fidamus, nec altum quid præsumamus. Examinet igitur se quisque, & videat quomodo ex occasionibus, quas ad ipsum humiliandum Deus ceu pius pater & medicus immittit, fructum faciat & in rem suam convertat, ne eum ad alia illa vehementia tantique nobis constantia media descendere oporteat. Castiga me igitur, Domine, castigatione paterna, superbiæ meæ malum per labores externos, per morbos, infamiam, ignominiam, & quoscumque demum humiliandi mei modos adhibere voles, persana, neu in peccatum aliquod letiferum proruere me patiaris. Da maligno spiritui facultatem, ut me quidem in dignitate, honore ac valetudine percutiat, meque velut alterum Iob habeat, sed animæ meæ ponat, jube. *Verumtamen animam illius serva.* Dummodo tu à me non recedas, Domine, nec me à te divelli patiaris, nulla mihi nocebit adversitas aut tribulatio, sed potius ad humilitatem, qua ipse tantopere delectaris, comparandam, deserviet.

Iob 1.§.

A Kempis.

Caput XL.

Quæ dicta sunt, exemplis quibusdam confirmatur.

I. Vir quidam vitæ sanctimonia & virtutibus usq; adeò clarus erat, ut omnigenos languores sanaret, in dæmones potestatem haberet, aliaque non pauca signa ederet; hac fama exciti homines, ex omnibus mundi partibus ad eum accurrebant, nec solùm de plebe. Sed & principes & Episcopi; summo in beneficio numerantes, & beatos se reputantes, si vel extimam eius vestem tangere & benedictione accepta dimitti daretur. Persensit homo Dei suo tempore sibi propterea nescio quid vanæ gloriæ in animum subrepere incipere. Videns ergo se hominum concursum una ex parte impedire, & ex altera importunitas illas complacentiæ sui cogitationes dispellere non posse; anxius & dolens, die quadam Dominum quàm instantissimè

Sever. Sulpitius dial. 1. §. 14. Surius 8. Ianuar. in vita S. Severini.

tissimè rogavit, ut, quò ab hac tentatione liberaretur, & humilitatem sartam tectam tueretur diabolo plenam, ad aliquod tempus in corpus suum ingrediendi potestatem faceret, qui ipsum non secùs atque alios energumenos miris modis affligeret & excruciaret. Fit voti compos, & dæmon ipsum inhabitare incipit. Mirum visu erat, jam illum tam immanibus modis à maligno spiritu divexari, ad quem prius undiquaque ab eodem vexati, curandi adducti fuerant, catenis, ceu furiis correptum & energumenum vinciri, & ad exorcistas adduci, ut solemnibus hi exorcismis spiritum hunc pellerent, & eos circa illum ritus & ceremonias adhiberent, quas circa hujusmodi usurpari solenne est. Quinque ergo menses domicilium hoc diabolus occupavit, quibus exactis emigravit: ac tum ille, non solum ab importuno illo corporis inquilino, sed à spiritu superbiæ & vanitati, qui animam occuparat, fuit liberatus.

Surius ubi supra. 2. Habebat suo in monasterio S. Severinus tres monachos superbos & elatos: quos tametsi ipse sæpiùs ad animi essent demissionem cohortatus, nihilo seciùs in superbia persistebant. Itaque vir sanctus de salute ipsorum solicitus, & nihil habens antiquius, quam ut humilitatem amplecterentur, multis cum lacrymis à Domino petiit, ut aliquo paternæ manus suæ flagello immisso ipsos humiliaret & corrigeret. Et ecce, priusquam ab oratione Severinus surgeret, tres hi præsumptuosi, permittente Domino, à diabolo sunt correpti, à quo dirissimè vexati, contumaciam, & fastum cordis, ac superbiam qua pleni erant, mirabilibus vocibus fatebantur. Pœna sanè & supplicium culpæ conformis: nimirum ut spiritus superbiæ illos qui fastu, vanitate & superbia pleni erant, obsideret. Et quo nulla eos re æquè humiliandos Deus videbat, permittente eo, ad quadraginta dies hoc in statu & tormentis fuerunt, quibus exactis, S. Abbatis precibus, ab ulteriore diabolorum vexatione sunt liberati, & unà cum his omnis pulsus ab animo tumor: hoc ergo per flagellum, animæ simul & corporis sanitati sunt restituti.

Cæsarius lib.4. dialog. c.5. 3. Refert Cæsarius, ad quoddam Cisterciensis Ordinis cœnobium energumentum, ut à maligno inhabitatore liberaretur, ad ductum fuisse. Ad quem egressus Prior, assumpsit secum monachum juvenem, sed quem ob vitæ sanctimonium omnes suspiciebant, & quem virginem corpore noverat, & ait cacodæmoni: *Si monachus hic tibi præcipiat ut exeas, ulteriusne ibi manere sustinebis?* respondit dæmon? *Illum non timeo, est enim superbus.*

Climacus c.25. de profectu humilit. 4 Cuidam egregio humilitatis cultori dæmones nescio quæ superbiæ semina indere cœperunt. at ille, divina inspiratione motus, malignorum nequitiam spirituum pio & religioso compendio vincere aggreditur. Descripsit enim in cellulæ suæ pariete altissimarum virtutum nomina, putà perfectæ caritatis, profundissimæ humilitatis angelicæ castitatis,

mundissimæ orationis, & aliarum id genus. Cùm ergo huiusmodi cogitationes eum tentare occipiebant, dicebat tentatori: Eamus ad arguentem eaque virtutum nomina legendo percurrebat. Profundissima humilitas: hanc ipse nondum habeo; imò vel profunda contentus forem: nondum certè primum eius gradum sum consecutus. Charitas perfecta. Charitas quidem; sed ah! vereor, ut perfecta: quia fratribus meis subinde asperiùs & non sine stomacho respondeo. Castitas angelica, minimè, quia spurcas cogitationes plurimas, quin & motus subinde pravos, in me sentio. Oratio mundissima, nequaquam: quia sæpè in eadem præ torpore obdormisco, & aliena longè cogito. Vnde sibi dicebat: Etiam postquam omnes has virtutes perfectè nactus eris; te servum inutilem dicere & reputare debebis, juxta illud Redemptoris Iesu monitum: *Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus.* Iam, cum tam procul hinc adhuc absis, quid, quæso, futurum.

Luc. 7. 10.

TRACTATVS QVARTVS,

DE TENTATIONIBVS.

CAPVT PRIMVM.

In hac vita numquam deerunt tentationes.

Eccli. 2. 1. Semper sunt tentationes apud mortales & bellū. S. Hieron. Eccle. 3. 8. Psa. 75. 3.

1. OCclamat Sapiens: *Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Sanctus item Hieronymus exponens illud Ecclesiastæ, *Tempus belli & tempus pacis*, ait: *Quamdiu in præsenti sæculo sumus, tempus est belli: cum autem migraverimus de hoc sæculo, pacis tempus adveniet: in pace enim factus est locus Dei: & civitas nostra Ierusalem de pace sortita vocabulum est. Nemo ergo se nunc putet securum in tempore belli, ubi certandum est, & Apostolica arma tractanda, ut victores quadam requiescamus in pace.* Sanctus item Augustinus super illud Apostoli: *Non enim quod volo bonum hoc facio*, vitam hominis justi continuum ait esse certamen, nondum triumphum: ideoque nunc identidem auribus nostris voces bellicas insonare; quales sunt illæ Apostoli, ipsam carnis repugnantiam & obluctationem adversus omne quod bonum est, & nimiam ad omne

Serm. 45. de tempore. Rom. 7. 15.

omne malum pronitatem sentientis, ab eaque liberari gestientis: *Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago.* Et, *Video, aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* At vox jubili & triumphi post audietur, quando nimirum, eodem Apostolo teste, corpus *hoc corruptibile & mortale induet incorruptionem & immortalitatem.* Vox verò triumphi & pæanis tunc audiendi erit illa, quam idem Paulus mox subjungit: *Absorpta est mors in victoria: ubi est mors victoria tua, ubi est mors stimulus tuus?* Rem autem hanc omnem S. Iob paucis his verbis est complexus: *Militia est vita hominis super terram, & sicut dies mercenarii dies ejus.* Nam ut mercenarii partes sunt, toto die laborare & defatigari, illo verò exacto mercedem recipit & requiescit: pari modo vitæ nostræ dies laboribus & tentationibus referti sunt, sed illis elapsis conforme laborum magnitudini & diuturnitati sequitur præmium & quies.

Luc. 7. 10. — 1. Cor. 15. 5. — Vers. 55. — Iob 7. 1.

Tentationum causa, est corrupta natura.

2. Sed jam continui hujus certaminis & luctæ causam indagemus, hanc disertè S. Jacobus in Canonica sua assignat: Quærens enim: *Vnde bella & lites in vobis?* mox sibi ipse respondet: *Nonne hinc, ex concupiscentiis vestris quæ militant in membris vestris?* Causa inquam in nobis ipsis habitat, rebellio nimirum & repugnantia contra omne quod bonum est, quę è primo parentum nostrorū peccato continua traduce carni nostræ adhæsit. Nam & carnis nostræ terra maledicta est, hinc nonnisi spinas & tribulos, à quibus jugiter pungimur & divexamur, producit. Similitudinem hic SS. Patres mutuantur à navicula illa Evangelica, quæ cum primum è portu solveret, insurgentibus ventis & fluctibus ita fœdè jactata est, ut ab iisdem cooperiretur, & tantum non obrueretur: sic navigat & anima nostra in corporis hujus semiputri, & rimosa, & malè materiata cymba, & una quidem ex parte fatiscens aquam admittit, ex alia verò plurimorum motuum & inordinatorum appetituum fluctus ac tempestates insurgentes eam opprimere & mergere conantur. *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam* Continuarum ergo tentationum nostrarum unica causa, est naturæ nostræ corruptio, fomes ille peccati, & ad omnem malum inclinatio, quam nobis primum peccatum velut hæreditate legavit. Maximum & infestissimum adversarium domi & intra nos ipsos fovemus, atque ab hoc contrarium nobis bellum movetur. Non est ergo quod homo miretur, cum se variis tentationibus exagitatum & impetitum videt: est enim, ut & ceteri, filius Adæ, natus & conceptus in peccato:) teste Psalmographo: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*) Vnde non potest non tentationibus vexari, inclinationes ad malum & propensiones sinistras, à quibus jugiter infestetur, sentire.

Iac. 4. 1. — Serm. 45. de tempore. — Rom. 7. 15. — Matt. 8. 24. — Sap. 9. 19. — Ps. 50. 7.

3. Bene proinde observat Sanctus Hieronymus, Christum magistrum nostrum non jussisse, ut in oratione

Quid sit induci in tentationē.

Matt. 26. 41.

tione Dominica totalem à tentationibus immunitatem à Deo peteremus: (*impoßibile* enim *esse humanam animam non tentari*) sed *ne in tentationes nos induceret*. Quod ipsemet alio loco Redemptor insinuavit, cum discipulis in horto Gethsemani somno gravatis ait: *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem*. Nam, teste eodem Hieronymo, *In tentationem intrare, non est tentari, sed vinci à tentatione*. Joseph Patriarcha ab adulterii tentatione impetitus quidem fuit, sed minimè superatus: uti nec casta illa matrona Susanna; sed, Deo protegente, ab eadem immunis evasit, nec cessit tentanti. Hoc ergo est, quod quotidiè à Deo Opt. Max. in oratione Dominicali petimus, nimirum ut nobis gratiam & robur animi det, ne in tentationem incidamus, nec ab ea victi succumbamus, *non tentationem penitus refutantes, sed vires sustinendi in tentationibus deprecantes*. In epistola ad Heliodorum sic habet; *Erras, frater, erras si putas umquam Christianum persecutionem non pati: tunc maximè oppugnaris, si te impugnari nescis*: tunc acerrimum tibi diabolus conflictum movet, cùm nullum ipse subesse credis. *Adversarius noster*, (ut ait Apostolus) *tanquam leo rugiens aliquem devorare quærens, circuit, & tu pacem putas? sedet in insidiis cum divitibus, in occultis, ut interficiat innocentem: oculi ejus in pauperem respiciunt, insidiantur in abscondito, quasi leo in spelunca sua*: & tu te securum, & omnes periculi expertem arbitraris? Quod qui putat, næ is gravissimè errat: hæc namque vitæ pugnæ & certaminis tempus est.

Idem notat S. August. de serm. Dom. in monte lib. 2. c. 14.

Gen. 29.

Dan. 13.

Idē Hier.

1. Pet. 5. 8

Ps. 9. 29.

Tentationes non tam timendæ quam sequela animi in eas.

4. Ob tentationes ergo & adversitates ingruentes percelli, tantumdem est ac similes ad bombardæ & sclopi strepitum totus cohorresceret, & præ pavore trepidaret, idcoque militiæ, ad quam se sacramento obstrinxit, vellet valedicere: aut si quis idcirco navigationem intermittere, naveque egredi vellet, quòd stomachus navigandi insuetus ad nauseam provocetur. In eo nonnullos errare asserit Gregorius, quòd, cum gravi aliqua tentatione pulsantur, actum de se & conclamatum, ad hæc Deum ipsorum oblitum esse ejusque sese gratia & benevolentia excidisse, putent. Toto erras cœlo: mi homo: quin imò credas oportet, tentationes pati, non omnibus dumtaxat hominibus commune & ordinarium esse, sed & piis ac virtutis perfectionisq; studiosis maximè proprium: ut disertè nobis Sapiens verbis initio productis significat. Non minùs liquidè idem nos docet Apolus Timotheo suo scribens: *Omnes qui piè volunt vivere in Christo Iesu, qui proficere in virtutibus satagunt persecutionem* & tentationem *patientur*.

Lib. 14. Moral. c. 13.

2. Tim. 3. 12.

Imò Tētatio bonum est signum est.

5. Alii verò qui de perfectione & profectu in Dei servitio ne hilum solliciti sunt; ignorant quid sit tentatio, nec carnis contra spiritum rebellionem & luctam percipiunt, imò ea quodammodò delectantur, & jucundum ad acuendas cupidines, incitamentum putant; Vt rectè id observat S. Augustinus super illa Apostoli

De verb. Do. in evang. secund. Ioa. serm. 43.

Apostoli verba, *Caro concupiscit adversus spiritum: In bonis*, inquit, qui de spirituali profectu, virtutum studio & perfectione solliciti sunt, *concupiscit caro adversus spiritum: nam in malis*, qui illa non curant, *non habet contra quem concupiscat*: hinc carnis cōtra spiritum luctam & rebellionem minimè sentiunt; quia spiritum non habent qui & reluctetur & resistat: *ibi enim concupiscit adversus spiritum, ubi est spiritus*. unde nec dæmoni opus est illis tentandis operam & tempus insumere: cùm ipsi sponte & ultroneè, etiam non impulsi ipsum sequantur, ac sine ulla contradictione ac repugnantia illius se potestati subdant. Venatores non insectantur animalia domestica & jumenta, sed cervos & damas, qui pernici fuga se ad montana proripiunt. *Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum, & super excelsa statuens me.* Pari modò suis cacodæmon laqueis & tentationibus persequitur eos, qui cervina & damali quadam velocitate ad summum perfectionis fastigium evolare contendunt: nam illos, qui adinstar jumentorum vivunt, domi suæ velut reclusos tenet, nec eos necesse habet consectari. *Eos quippe*, ait S. Gregorius, *pulsare negligit, quos quieto jure possidere se sentit.* Quapropter, non solùm mirari nos minimè oportet, quod à tentationibus variis impetamur, verùm etiam id pro bono signo & certo salutis argumento ducere, ut rectè Ioan. Climacus advertit. *Nullum*, inquit, *certius argumentum est, quòd dæmones victi à nobis sint, quam si nos acerrimè oppugnent.* Ideò quippè tibi bellum movent, quòd illorum jugum excusseris, ac potestati eorum te subduxeris: Ideò te exagitant ac persequuntur, quod tibi libertatem invideant; si enim juris ipsorum adhuc fores, adeò te non persequerentur.

Tentationes non tam timendæ quam sequela animi in eas.

Lib. 24. Moral. c. 13.

Ps. 17. 33.

2. Tim. 3. 12.

Lib. 14. Moral. c. 12.

Imò Tētatio bonum est signum est.

Caput II.

De temporibus tentationum.

1. Notat S. Gregorius, quosdam sub conversionis suæ initia, cùm primùm se colligere, & virtutem studio applicare incipiunt, istud hoc tentationum bellum experiri. Et probat id exemplo Salvatoris nostri Iesu Christi, qui idipsum miræ dispensationis dignatione in se figurare & exprimere voluit, dum diabolum nonnisi post baptisma, susceptumque in deserto jejunium orationem assiduam, & alia pœnitentiæ opera, se tentare permisit: ut signum nobis quoddam futuræ conversionis innueret, quòd membra eius & filii, postquam se colligere & virtuti applicare proponunt, tunc acriores tentationum insidias tolerarent, itaque suo exemplo ad easdem excipiendas instruerentur: tunc quippe diabolo solenne est, bellum movere.

l. 24. Moral c. 12. 13. & 14.

Multi cōversionis suæ initio tentantur.

Matt. 4.

2. Sic statim ac filii Israel Ægypto tandem aliquando egressi sunt, Pharo copias & vires omnes collegit, eosque est insecutus: sic Laban, viso Iacobum à se disiungi velle, multo furore amens, & magna domesticorum manu assumpta, eum persequi instituit: sic postquam immundus ille

Exod. 14.

Similia plura.

Gen. 31.

ille spiritus semel ab homine energumeno exiit, ait Evangelista, eum septem alios spiritus se nequiores secum assumpsisse, eosque ingressos ibi habitare: perinde ac princeps facere solet, dum copias novas colligit contra eum qui jugum excussit, ut eum de novo sub ipsum mittat. Consimili modo cacodæmon, cum quem sibi rebellare suæque tyrannidis & servitutis pertæsum, in libertatem se vindicare velle conspicit; violentior insurgit, atrocius bellum movet, & maioribus illum viribus aggredi constituit. Huic proposito accommodat idem Doctor Gregorius verba illa S. Marci, ubi dæmonii muti & surdi eiectionem commemorat: *Et exclamans, & multum discerpens, exit ab eo. Ecce*, inquit, *eum non discerpserat, cum tenebat, exiens discerpsit: quia nimirum tunc peius cogitationes mentis dilaniat, cùm jam in termino egressus sui divina virtute compulsus appropinquat*: & tunc nos infestiùs exagitat, & per tentationes immissas divexat, cum ab eo per resipiscentiam desciscere proponimus.

Luc 11.26

l. 33. Moral. c. 18.

Marc. 9. 25.

3. Notat insuper is ipse Gregor. dispensante & permittente Deo fieri, ut statim à conversione nostra tentationum stimulis exagitemur; ne quis jam conversus se jam tum sanctum & perfectum esse credat, quod, malæ vitæ jugo excusso, ad libertatem novæ conversationis transivit: huiusmodi namque cogitationes id genus hominibus ut plurimum oboriri solent, tum ne securitas, quam nova vitæ conversatio facit, mater fiat (ut plerumque fieri solet) negligentiæ & socordiæ, permittit Dominus eum à tentationibus infestari, ut ex iis perspiciat periculum in quo etiam tum agit, iisque simul ad mentis ardorem concipiendum, & magno incœptæ vitæ instituto vigore & sollicitudine progrediendum animetur.

l. 24. Moral. c. 12. 13. & 14.

Cur primum incipientes tentari Deus permittat. Causa 1.

4 Docet autem Ioan. Climacus, vitæ novitatem onerosam & gravem videri solere illi qui improbæ assuevit, atque in ipso virtutis amplexu & studio vitii ei adversantis contradictionem ac repugnantiam percipi: eo ferè modo, quo avicula tam primùm se captam sentit, cùm è laqueo evolare conatur. Non est ergo quod quis ob enascentes sub initium conversionis tentationes consternetur, aut animum despondeat: id enim ordinarium & commune est.

Alia causa.

5. Adiungit præterea S. Gregorius, eum, qui mundo vitaque sæculari recenter abdicata, ad Deo serviendum se applicat, à talibus subinde tentationibus infestari, qualibus antè conversionis gratiam nunquam pulsatum se esse reminiscitur, non quia earumdem tentationum radix priùs in ipso non fuit; erat enim sed quia non apparebat, modò autem se exerit & foras prorumpit. Sicut dum homo alienis cogitationibus & variis rebus ab invicem diversis mente agitandis admodum occupatur, sæpe seipsum vix agnoscit, nec quid introrsum in animo rerum geratur, percipit: at, ubi ad se reflectere & domesticum cordis statum introspicere incipit, tum demum videt quam malæ radices ibidem suppullulent. Quod totum etiam eleganti similitudine expres-

De diseret. gradu 16.

Alia causa.

Simile.

expressit. *Carduus*, inquit, *si nascatur in via, itinerantium pedibus teritur, atque ipso usu assiduè transeuntium eius superficies ne appareat, confringitur, sed, quamvis deforis spinæ pungentes non appareant, sub terra tamen radix occulta perdurat: si autem eum transeuntium pedes conterere & calcare cessent, mox in superficiem surgendo progreditur, & per spinam prodit in publicum, quidquid in radice vivebat occultum: Sic in corde sæcularium, sæpè occulta quædam tentationum radix non facilè apparet exurgere; quia velut in via actionum sita, cardui in morem, transeuntium teritur pede cogitationum, & per innumeras curas & sollicitudines negotiorum quasi multis itinerantibus, premitur, ne videatur.* Si autem per conversionis gratiam homo à via cordis curarum turbam removet, ad Deoque serviendum se in quiete recolligit; tunc, quasi cessantibus qui carduum conculcent, quid lateret intus, facilè perspicitur; *& de radice vitiorum pungit liberè spina tentationum.*

Alia causa.

De diseret. gradu 16. Alia causa.

Cur etiã in oratione magis, quã alias tententur.

6. Hæc quoque causa est, cur nonnulli magis dum vacant orationi, quàm dum aliis occupationibus rerumque externarum tractatione destinentur, tentationum telis peti soleant. Quare quòd quis nunc in Religione tales sentit tentationes, quales antè, quàm ad Deum se converteret, minimè sentiebat, non ideò est quòd deterior modo sit quàm fuerit in sæculo; sed, quòd tunc se nec videret, nec cognosceret, modò verò malas inclinationes, & inordinatos appetitus suos perspicere & nosse incipiat. Danda proinde opera, ne radix tegatur & abscondatur, sed stirpitus evellatur.

Simile.

7. Sunt ex adverso alii, addit sæpè citatus Gregorius, qui in ipso conversionis suæ initio nullis exagitantur tentationibus, sed ab iisdem immunes magnam in animo pacem sentiunt, multisque consolationibus ac mira dulcedine à Deo perfunduntur; sed, ubi maturum jam tempus advenit, duriùs habentur, & varia per tentamina probantur. *quod* quidem *divina gratiæ dispensatione* & nutu *agitur, ne in primis exordiis tentationum asperitate frangantur*, & cœpta virtutis via illis ardua & perquam difficilis videatur: *quia si eorum initia tentationis amaritudo exciperet, tam facilè ad ea quæ reliquerant redirent, quàm nec longiùs discesserant: Unde cùm emisisset Pharao populum Israel* de Ægypto, *non eos duxit Dominus per viam terræ Philistiim quæ vicina erat, ne* (ut insinuat in Exodo Moyses) *fortè pœniteret eum, si vidisset adversum se bella consurgere & reverteretur in Ægyptum.* Quin imò illum jam recenter eductum singularibus quibusdam favoribus & beneficiis prævenit, dum prodigio in illorum gratiam non pauca patravit. ac postquam mari rubro trajecto, & in deserto agentes, in Æpyptum jam reverti non poterant, variis eos laboribus, & tentationibus probavit, antequam in terram promissam patribus introduceret. Ita sæcularem conversationem relinquentibus, ait Gregorius, sæpe dominus initio notabilem à tentationibus immunitatem præstat, ne, quia in virtute adhuc teneri & parum solidati sunt, earum vehementia

Alii non initio sed progressu tententur & quare?

Exod. 13. 17.

mentia deterriti ad hoc redeant, quod antè paulo reliquerunt. Priùs ergo suavitatem securitatis sentiunt, priùs pacis quiete nutriuntur, ut post eam degustatam tanto jam meliùs & tolerabiliùs tentationum certamina sustineant, quanto jam amplius & altius senserunt, quàm Deus omni sit amore & obsequio dignus. Vnde & Petrus priùs in montem ducitur, prius charitatem transfigurationis Dominicæ contemplatur, & tum demum tentari ancilla interrogante permittitur, per tentationem factus sibi ex infirmitate conscius, ad illud flendo & amando recurreret quod in monte Thabor vidisset: &, cùm eum timoris unda in peccati pelagus raperet, prioris dulcedinis, quam expertus antè erat, anchora ipsum retineret & erigeret.

Gregor. Incipientium cōsolatio, non sit de sanctimonia præsumptio.

8. Vnde & consequenter ingens detegitur error eorum qui primùm Deo servire incipiunt: dum enim se rara subinde in pace & quiete agere, novo orationis spiritu à Deo donatos, nullamque sibi in virtutum & mortificationis exercitiis difficultatem occurrere vident; confirmationem accepisse se perfectionis arbitrātur, nesciunt tamen esse hæc delinimenta parvulorum & incipientium, hæcque ideò sibi à Deo subsidia donari, ut tandem aliquando animum eorum velut ablactatum, penitus ab affectibus sæcularibus divellat. Aliàs quoque (ait idem) longè se Dominus abundantiùs minùs perfectis, & qui in virtutum via vix quidquam profecerunt, communicat, liberaliorumque exhibet; non quòd id ipsi pro

Simile.

mereantur, sed quia supra ceteros eiusmodi illecebris & delinimentis opus habent. Perinde ac plurium filiorum parens, qui tametsi in eos omnes singulari quodam amore & affectu feratur, quamdiu tamen rectè valent, amorem suum nullo indicio prodit: at si quem ipsorum in morbum incidere contingat, non modò medicum advocat, medicamenta adhibet, sed & quascumque potest delicias & recreationes ei dare satagit, aut velut hortulanus, qui plantas adhuc teneriores sæpiùs irrigat, & studiosiùs fovet, at jam adultas & altè fixis radicibus solidatas, rigare & fovere desinit. pari omnino modo divina bonitas debiles, parvulos & primùm incipientes dirigere & excolere consuevit.

Peccatores aliquando maiores consolationes sentiunt, quàm justi.

9. Docent denique SS. Patres, nonnumquam Deum uberioribus perfundere consolationibus solere illos, qui gravissimi aliàs fuere peccatores; quin & his effusiorem se & indulgentiorem præbere quàm illis qui hactenùs vitam ex rationis præscripto duxerunt: tum ne illi præ diffidentia desperent, animoque cadant, tum ut hi in superbiam non efferantur. Exemplum rei huius evidens habemus in parabola illa de filio prodigo, quem revertentem parens miris animi gestientis signis, insolito cum gaudio & symphoniæ cantu, vituli præterea saginati mactatione, & opipari epuli præbitione excepit: tamen natu maiori, qui toto vitæ tempore fidum ei obsequium præstiterat, mandataque paterna numquam prætererat, numquam

Luc.15.25

vel

vel hædum dedit, ut cum amicis suis epularetur. Quia ut alio in loco dicitur, *non est opus valentibus medicus, se malè habentibus.*

Matt. 9. 12.

Caput III.

Cur nos Deus velit tentari, & quæ è tentationibus commoda sequantur.

1. Tentat vos Dominus Deus vester, *ut palàm fiat utrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima vestra.* Horum occasione verborum quærit & rogat S. Augustinus, quomodo ibi Moyses dicat Deum nos tentare, cum S. Jacobus in Canonica scribat, *Deus intentator malorum non est.* Respondet autem, duos esse tentandi modos, *unum* ad decipiendum & ad peccatum pertrahendum: atq; hoc modo neminem tentare Deum, sed cacodæmonem cujus eæ partes sunt propriè, juxta illud Apostoli: *Ne fortè tentaverit vos is qui tentat*: id est, ut exponit glossa interlinealis, *diabolus ejus officium est tentare. Alius tentandi modus est*, ad aliquem probandum, & explorandum: atque hoc modo ait ibi Moyses à Deo quem tentari & probari: quemadmodum & prius de Abrahamo dixerat, *Tentavit Deus Abraham*, id est, probavit. Immittit subinde nobis Dominus unam atque alteram probandi nostri occasionem, ut nostras ipsi hoc pacto vires exploremus, simulque intelligamus, quantæ illæ sunt, tanto nos erga Deum amore & timore ferri. Vnde etiam simul, atque Abraham manum gladio ad filium immolandum admovit, audivit à Deo, *Nunc cognovi*, id est feci te cognoscere, ut exponit S. Augustinus, *Quod times Deum.* Quocirca tentationum nonnullas sua nobis manu immittit Deus, alias à dæmone, mundo & carne juratissimis hostibus nostris, inscrutabili dispensatione sua sunt immitti.

Deut. 13. 3. Alva. to. 2. l. 1 p. 2. c. 1. tract. 43. in Ioan. & q. 57. super. Gē. Iac. 1. 13. S. Tho. 1. p. q. 114. q. ar. 2. Duo modi tētandi. 1. Thess. 3. 5. Gen. 22. 1. & 12. q. 58. in Gen.

2. Ecquæ verò subest causa, cur nos Dominus velit ac permittat tentari? S. Gregorius, Cassianus & alii hanc materiam luculentè tractantes, docent primò non parum nobis expediens esse tentari, tribulari, affligi, Dominumque manum suam à nobis parumper subtrahere: id enim ni foret, non dixisset, nec petiisset à Domino Propheta, *Non me derelinquas usquequaque.* Quòd enim novisset, Deum clientes suos subinde relinquere, manumque paululum ab iis subtrahere, idque ad majus ipsorum bonum & commodum; idcirco non rogat eum, ne umquam se derelinquat, manum subtrahat, sed, ne penitus & usquequaque. Alio verò in loco precatur. *Ne declines in ira à servo tuo*, non petit inquam, ut nullo umquam tempore & nullatenus ab ipso se Deus subducat, sed ne id fiat in ira ipsius, atque ne ita derelinquatur ut in peccatum prolabatur: Verùm tentationes & multiplices tribulationes ad sui probationem & explorationem, immittat. Veluti dum rogat: *Proba me Domine, & tenta me* Quin adeò Dominus ipse, Isaia internuntio, nos sic solatur. *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis* congre-

Tentatio ad quid prosit. 18. Moral. c. 10. & l. 20. c. 21. collat. 4. Abbas. Dan. c. 6. Ps. 118. 8. Ps. 26. 9. Ps. 25. 2. Isa. 54. 7.

congregabo te: in momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordia sempiterna misertus sum tui.

Pellit inertiam. *Vbi supra.*

3. Jam verò in particulari despiciamus, quæ nobis bona & emolumenta è tentationibus proveniant. Certè Cassianus ita Deum nobiscum agere asserit, uti olim cum Israelitis, utpote quorum inimicos & adversarios non penitus delere & exstirpare, sed in terra promissa aliquas reliquias Chananæorum, Amorrhæorum, Jebuzæorum, & aliorum populorum voluit superesse: *ut erudiret in eis Israelem, ut postea discerent filii eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi.* Pari modò velle Dominum, nobis inimicos esse, & à tentationibus nos aliquando infestari, ut, aliquo confligendi usu comparato, otium nobis & securitas nimia nullatenus damno sit, fit enim non rarò, ut, quibus per adversa & certamina inimicus prævalere non potuit, nimia securitate & falsa prosperitate subvertat.

Iudic. 3. 1

Docet amorem patriæ.

4. Addit verò S. Greg. profunda & inscrutabili quadam Dei providentia fieri, ut justos & electos hac in vita tentari sinat & tribulari. Vita enim hæc via, aut potiùs exilium est, in qua jugiter ambulamus & peregrinamur, quoadusq; ad patriam nostram cœlestem perveniamus. Quoniam verò nonnulli viatores, cùm amœna fortassis in itinere prata conspiciunt, pergendi moras innectere, & à cœpti itineris rectitudine declinare solent; idcircò voluit Dominus vitam hanc plenam laboribus & tentationibus esse, ne amore & affectu ei adhæreſcamus, & exilii locum pro patria diligamus, sed identidem ad hanc suspiremus. Hæc quoque ratio S. Augustini est, additque, tentationes & adversitates ad hoc conducere, quòd vitæ hujus miseriam videre nos faciant: *ut illa vita, ubi erit beatitudo vera atque perpetua, & desideretur ardentius, & instantius inquiratur.* Alio autē loco sic habet: *Ne viator tendens ad patriam stabulum amet pro domo sua*, obliviscaturque palatii illius regii, propter quod conditus fuit. Sicuti nutrix cùm parvulum jam ablactare, panique comedendo assuefacere vult, papillas absinthio imbuit: haud secùs Deus Opt. Max. rebus sæculi hujus amaritudinem quamdam admiscet, ut homines ab iisdem amplectendis nausea quadam avocarentur, nihilque interius omnino desiderabile invenirent; sed toto desiderio & studio cœlestia concupiscerent. Vnde etiam bene S. Gregorius: *Mala quæ nos hîc premunt, & hac in vita fatigant, ad Deum nos ire compellunt.*

l. 13. de Tri. c. 16.

sup. ps. 40

S. Greg.

Caput IV.

Alia bona & emolumenta quæ è tentationibus oriuntur.

1. APostoli sententia est: *Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit* per illam, *accipiet coronam vitæ.* Quæ verba mellifluus Bernardus sic calculo suo confirmat: *Necesse est ut veniant tentationes: quis enim coronabitur nisi qui legi-*

Iac. 1. 12.

Tentationes adaugēt coronā.

ser. 64. in Cantic.

2. Tim. 2. 5.

legitimè certaverit? aut quomodo certabunt si desit qui impugnet? Omnia porro bona, fructus, commoda, quæ Sacræ Scripturæ, & Patrum sacrorum volumina in laboribus & adversis contineri, ex iisque efflorescre docent, etiam in tentationibus, suo modo continentur. Quorum præcipuum ac facilè primum est, quòd prędictis Apostolis verbis cõprehenditur. Immitti eas videlicet à Domino, ut postea luculentius in cœlo pręmium, & splendidiorem coronam accipiamus. [Act. 14. 21.] *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnũ Dei.* ipse quippe regia ad gloriam cœlestem via sunt. [Apoc. 7. 14.] Hinc cum Apostolo Ioanni magna Sanctorum in cœlo gloria ostenderetur, audivit quemdam de senioribus sibi dicentem: *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Per transennam quærit hic Sanctus Bernardus, quomodo hi suam vestem in sanguine Agni dealbasse dicantur, quod sanguis non dealbare, sed purpurare soleat: [serm. de resurrect.] *Quia*, inquit, *exivit cum eo, & in eo etiam aqua dealbans: aut certè candidas fecerunt in sanguine Agni novelli, sanguine lacteo, candido & rubicundo:* sicut habet Canticum Canticorum, [Cãt. 5. 10.] *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.*

[Id declaratur simili ex architectura.] 2. Per sanguinem ergò & labores ad regnum cœlorum introitus patet. Hic dolantur, tunduntur, & poliuntur lapides, ut cœlestis illius Jerusalem templo inferantur, nullas enim ibi malleorum ictus aut strepitus audietur. Hinc & de templo Salomonico figuratè legimus, [3. Reg. 6. 7.] *Malleus & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo cum ædificaretur.* Adhæc, quo digniori nobiliorique loco lapis est collocandus, eo pluribus tunsionibus expolitur & quadratur. Atque ut lapis in porta & vestibulo locandus magis dolari & elaborari solet: ut speciosior & dignior sit ingressus: sic & Redemptor noster Christus, quia nova cœli hactenùs clausi futurus erat porta, infinitis ictibus & tunsionibus malleorum dolari voluit: simul etiam ut nos peccatores pudeat per portam tot tribulationum & laborum ictibus edolatam & exsculptam intrare, nisi & ipsi priùs aliquot labores & tunsiones excipiamus, quibus expoliamur & concinnemur. Sana autem fundamento injicienda, dolari non solent: pari modo qui in profundam inferni voraginem descensuri sunt, necesse non habent tundi, nec pulsari. Ducant igitur hi in bonis dies suos, dum vivunt gaudeant, quidquid animo allubitum fuerit, exequantur, cupiditatibus suis faciant satis, voluptatibus satietatem indulgeant. Hæc enim eorum futura est remuneratio.

[Sancti Deo placent per tentationes.] 3. At qui prævaricatorum Angelorum ruinas restauraturi, & sedes illas cœlestes, quibus illi sua superbia exciderunt, occupaturi sunt, per tentationum & laborum malleos hic tundantur necessarium est. Vnde Apostolus: [Rõ. 8. 17.] *Si autem filii & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, ut, & conglorificemur.* Hinc & An-

 gelus

gelus Tobiæ seniori dixit: *Quia acceptus eras Deo*, eique placebas, necesse fuit, *ut tentatio probaret te*, itaque corona tua foret nobilior, merces amplior. De Abrahamo quoque dixit Ecclesiasticus: *In tentatione* qua eum tentavit Deus, *inventus est fidelis*. Quē quoniam in tentatione fidelem, constantem & fortem reperit; hinc & quamprimùm ei præmium offert, & cum juramento spondet, multiplicaturum se semen & posteritatē ipsius, sicut stellas cœli, & arenam quæ est in littore maris. Hanc igitur ob causam nos per tentationes & adversa Deus affligere solet, maiori nos præmio & augustiore corona donet. Proinde meritò Sancti Patres maiorem Dei gratiam ac beneficium esse censent, quòd hîc nobis tentationes aliquas immittat, dummodo simul ad eas exsuperandas gratiam conferat, quàm si nos ab iisdem prorsus immunes præstaret: hoc enim pacto præmio & gloria, quæ per easdem consequimur & promeremur, frustraremur.

Tob. 12. 13. — *Eccl. 44. 11.*

4. Adjungi præterea ad hanc rationem, aliam considerationem S. Bonaventura: quòd, cum Dominus nos diligat, minimè ei satis sit, quòd gloriam, & quidem amplissimam cōsequamur; sed insuper quamprimùm ea nos frui velit, nec purgatorii pœnis diu cruciari. Atque eam ob causam hic per adversitates & tentationes nonnumquam nos flagellat: sunt hæ autem velut malleus & fornax, quibus animæ nostræ scoria ac rubigo excoquitur, ipsa verò depuratur & expurgatur, ut quamprimùm ad Dei conspectu perfruendum admittatur, juxta illud Parœmiographi, *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum.* Quod utique eximium & singulare Dei est beneficiū. Vt taceam, eius adminiculo & ope tanta & tam atrocia cruciamenta (uti sunt quæ in purgatorio illo carcere nos subire oporteret) nobis in exiguam, illius intuitu, aut etiam fortasse omnino nullam, hac in vita subeundam vexationem ac pœnam commutari.

process. 4. relig. c. 1. — *Tentatio hic liberat à purgatorio. Ipsæ nos purgant.* — *Prov. 15. 4.*

5. Plena præterea sunt Sacræ scripturæ volumina testimoniis & exemplis, è quibus videre est vitæ huius prosperitatibus animam à Deo avocari & abstrahi, adversitates porro & afflictiones illius ad eum reducendæ occasionem esse. Quid, quæso, Pharaonis pincernam, Iosephi interpretis somnii sui memoriam tam citò fecit deponere, nisi sola prosperitas? *Et tamen succedentibus prosperis præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui.* Quid Oziam regem post tam bona sanctaque principia in superbiam egit, nisi prosper rerum successus? *Cum roboratus esset, elevatum est cor eius in interitū suum, & neglexit Dominus Deum suum.* Quid Nabuchodonosorem inflavit, quid Salomonem, quid Davidem ad populi censum ineundum? filii Israel quoque cum divino subsidio & favore se præventos, nec non singularibus de cœlo beneficiis affectos viderent, tunc facti sunt deteriores, Deique sui planè obliti: *Incrassatus est dilectus, & recalcitravit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo*

Tentatio aversum reducit sæpe in viam id Exemplis docetur. — *Gen 40. 23.* — *2. Par. 26. 16.* — *Deut. 32. 15.*

salutari suo. Contrà verò per adversitates & afflictiones ad Deum suum homines reverti passim Prophetæ testantur: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine.* Et *clamaverunt ad Dominum, cum tribularentur. Et cùm occideret eos, quærebant eum, & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* Nabuchodonosor jam in feram mutatus (sive reipsa, sive quod ita imaginaretur) tum demum Deum cœli agnovit. Quanto David fuit sanctior; innocentior, cum à Saule Absalomo, Semei exagitaretur, quàm in secundo rerum cursu, securitate, otio, & per solatium deambulatione? Vnde & ipse salubriter à Domino percussus; postea de se confitetur: *Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti; annis, quibus vidimus mala.* Et, *Bonum mihi quia humiliasti me.* Quàm multis acris hæc medicina sanitatem reddidit, qui alioquin in interitum essent prolapsi! *Conversus sum in ærumna mea dum configitur spina.* Nimirum tribulationis & tentationis spina dum quis compungitur, tum ad se introvertitur, & conversus Dominum suum respectat: Confirmat idipsum & spiritus sanctus apud Isaiam: *Sola vexatio dat intellectum*, & patentiùs per Sapientem. *Infirmitas gravis sobriam facit animam.* Et, *Virga atque correptio tribuit sapientiam.* In prosperis homo ferox, liber, & instar vituli indomiti effrenis videtur; & ecce, benignissimus Deus tribulationis & tentationis jugum ei injicit, ut sapere discat & se componere. *Castigasti me, & eruditus sum, quasi juvenculus indomitus.* Sic felle Angelus Tobiæ, luto Redemptor cæco visum restituit.

Prov. 15. 4. Ps. 82. 17. Ps. 106. 13. Dan. 4. 31. Tentatio aversum reducit sæpe in viam id Exemplis docetur. Ps. 89. 15. Ps. 118. 71. Gen 40. 23. Psal. 31. 4. 2. Par. 26. 16. Isa. 28. 19. Eccli. 31. 2. Proverb. 29. 15. Deut. 32. 15. Ioã. 31. 18. Tob. 11. 13. Ioan. 9. 6.

6. Hac ergo de causa tentationes subministrat Deus, quæ certè inter omnes tribulationes & adversa sunt gravissimæ, quæque homines spirituales maximè affligunt. Etenim corporales illæ, ut jactura opum, morbi, & alia id genus, servos Dei, de solo spiritu laborantes nō attingunt, & de iis hi vix dum laborant: nam hæc nonnisi corpus spectant, unde flocci ea faciunt. At cùm afflictio & tribulatio interior est, & ipsam animam configit, qualis est tentatio, quæ eos à Deo suo divellere cupit, vel certè in hoc discrimen adducere videtur, intimè sanè eos afficit, & exclamare cogit cum Apostolo, hanc carnis pugnam & contradictionem spiritum ad se trahere contendentis, in se sentiente: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* malum quippe invitum me post se trahit, quod autem exequi bonum volo, minimè possum opere exequi.

Tentationes sunt eminentiores tribulationes. Rom. 7. 24.

CAPUT V.

Tentationes ad hoc mirè conducunt, ut nos ipsi cognoscamus, & humiliemus, ad Deumque instantius recurramus.

I. HAbent & aliud tentationes in se bonum & commodum, quòd nimirum nos in nostri cognitionem adducant. Nam, Thoma à Kempis testante, *nescimus sæpe quid possumus: sed tentatio aperit quid sumus.* Hæc porro nostri ipsorum cognitio,

Tentatio adducit hominē ad sui cognitionē. Thom. à Kempis.

est totius ædificii spiritualis fundamentum, sine qua nihil superstrui potest quod durabile sit; at illam si habuerimus, anima velut spuma subitò mirum in modum excrescit: novit enim niti Deo, in quo nihil non potest. Ceterùm tentationes homini aperiunt & videre faciunt quàm in se sit fragilis, quàm parum norit: nam hactenus neutrum, præ interna caligine videre poterat: unde nec demissè, nec humiliter de se sentire poterat, neque enim id expertus reipsa erat.

Domat superbiã.

2. At dum vel tenui flabro ad terram dejici, vel minimo Aquilonis afflatu in spiritu refrigescere se videt, id est, vel minima pulsatum tentatione turbari, infici, consilii & prudentiæ clavo amisso nescire quid agat, spissa denique in caligine versari; cõtinuò ad se introgressus, cristas & elatos spiritus paululum demittere, humiliterque de se sentire incipit. Quare rectè D. Gregorius docet, nos, nisi tentationibus subinde pulsaremur, statim sublimè quid de nobis sensuros esse, & mira fortitudine præditos cogitaturos: at accedente tentatione, & eo hominem deducente, ut à lapsu vix medio pede jam absit, tunc demum fragilitatem suam agnoscit; seque humiliat. Vnde & humiliter de se confitetur Apostolus: *Ne autem raptus ad tertium cœlum, & magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ qui me colaphizet*, ut norim scilicet, quid ex me ipsa sim, demisseque de me sentiam.

Lib. 23. Moral. c. 27.

2. Cor. 12. 7.

Docet diffidere sibi, Deo fidere.

3. Resultat verò & aliud ex hac sui cognitione bonum: cognita enim fragilitate suâ, simul perspicere incipit homo, quantopere Dei ope, favore, subsidioque opus habeat, seque necesse sit assiduè ad eum per orationem confugere, eique velut unico auxiliatori suo, adhærere. Testem dicti habeo Regium Prophetam: *Adhæsit anima mea post te.* Et; *Mihi autem adhærere Deo bonum est*, numquam ab eo divelli. Quemadmodum enim mater, dum filiolum ad se recurrere vult, alios terricula ei objicere jubet, ut his ille territus ad maternum gremium ilico confugiat: consimili modo permittit cacodæmoni Deus, ut nos perterreat, & aliqua immissis tentationibus formidinem creet, ut ad sinum & tutelam ipsius recurramus; vel, ut ait Ioan. Gerson, *ut provoces sicut aquila pullos ad volandum, ut mater filium ad horam relinquit, quo instantiùs ille clamet, accuratiùs quærat, vel arctiùs stringat; & illa vicißim blandiatur suaviùs.* Mellifluus verò Bernardus ideo ait se Dominum subinde ab anima subducere, ut *avidiùs* & ferventiùs *revocetur, & teneatur fortiùs*: sic finxit se apud discipulos in Emaus abeuntes velle longiùs ire, & ab ipsis discedere, ut illi premerent acriùs, apud se maneret, imò detinerent, dicentes. *Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit, & inclinata est jam dies.*

Psa. 62. 9.
Ps. 72. 48.
De mystica Theolog. pract. consider. vel industr. art. 6.
Deut. 32. 11.
Serm. 74. in Cantic.
Luc. 24. 29.

Pluris æstimare Deum.

4. Hinc consequitur, ut quis, viso quàm Dei ope & protectione opus habeat, pluris etiam illam faciat. Itaque, D. Gregorio teste, expedit nobis ut suam is subinde manum à nobis ad modicum

Gregor.

modicum subducat: nam si protectionem illam numquam non sentiremus, minùs necessariam crederemus, nec tanti duceremus. At Deo nos paululum deferente, & nobis jam propè modum labentibus, ipso interim manum, ne cadamus, extendente (*nisi quia Dominus adiuvit me, paulo minùs habitasses in inferno anima mea*) tunc favorē & gratiā eius pluris ducimus, ei gratiores nos præbemus, bonitatemq; ac misericordiam eiusdem magis demiramur & cognoscimus. Vnde Psaltes: *In quacumque die invocavero te, ecce cognovi, quoniam Deus meus es.* Implorat quis, media in tentatione constitutus, Dei opem, non eius auxilium sentit, maiestatisque eiusdem fidelitatem experitur (quòd nimirùm in tempore necessitatis & auxilio veniat) hinc eumque ut patrem, protectorem & hyperaspisten cognoscit, hoc ipso magis ad eum diligendum exardescit, & in illius laudes ac præconia erumpit, Israelitas imitatus, qui ab insequentibus à tergo Ægyptiis licet pressi, salvi nihilominus & incolumes ad alteram maris rubri partem, illis ab aqua interim absorptis, cùm evasissent, carmen Eucharisticum Deo adjutori cecinerunt.

Ps.93.17.

Ps.55.10.

S. Bonavent. to. 2 opusc. lib. 1. de profess. religios. c. 5.

Exod. 15. 1

5. Hinc denique sequitur & illud, quòd nullum omnino sibi bonum homo attribuat, sed omnia Deo, omnemque rectè factorum gloriam in eum transcribat. Quod certè tentationum simul ingens bonum atque emolumentum est, & præsentaneum adversus easdem remedium, nec non ad singularia à Domino beneficia, favores, gratias accipienda viam sternit.

Omnia bona in Deū refundere.

Tract. 3. c. 35.

Caput VI.

Per tentationes justi magis probantur & expurgantur, virtus quoque altiores in illis radices agit.

1. Sanctorum Patrum communis doctrina est; idcirco Dominum nos tentari permittere, ut, quæ cuiusque virtus & robur sit, exploret. Nempe ut turbulenti venti tempestatesque ostendunt, num quæ arbor profundas radices egerit; nec militis virtus, robur, strenuitas tempore pacis, sed belli, atque ipso in conflictu & manuum confortatione cernitur: sic servi Dei virtutem non colliges tum, cùm jam devotione & mira spiritus dulcedine à Deo perfunditur, sed cum tentatur & exagitatur. Egregiè id declarat S. Ambrosius super his psalmi 118. verbis: *Paratus sum & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.* Vt Gubernator, inquit, ille melior est, qui in tempestate navim gubernat, & laudem maiorem meretur qui adversus ventos obnititur, insurgit adversus fluctus, non timet vel cum elevatur undis navigiū, vel cùm ad ima profundi demergitur; quàm qui per strati maris malaciam & tranquillitatem ad portum optatum eam conducit: sic & maiori præconio dignus ille est, qui tentationum & afflictionum tempore ita animi sui navim novit dirigere, ut nec prosperis extollatur & evanescat, nec adversis, afflictione, ac laboribus franga-

Alvar. lib. 1. p. 3. c. 8. tom. 1.

Tentatione probatur cuiusq; virtus & facultas.

Serm. 8. in Psal. 118.

frangatur & fatiscat: sed cum Propheta dicat: *Paratus sum, & non sum turbatus*: tam hæc mihi placent quàm illa. Hanc ergo ob causam nobis à Deo tentationes immittuntur, ob quam Israeli in terra promissa Chananæorum reliquias reliquit: *ut in ipsis experiretur, utrum audirent mandata Domini, quæ præcepit patribus eorum per manum Moysi, an non*: experiretur, inquam, an suæ in amore & cultu constantes essent ac firmi. Testatur quoque Apostolus: *Oportet hæreses esse, ut & qui probati sunt, manifesti fiant in nobis. Quoniam Deus probavit eos, & invenit illos dignos se.* Tentationes ergo velut ictus & malleationes sunt, quibus metalli puritas exploratur; nec non Lydius lapis, ad quem germanos amicos suos probat Altissimus: in his perspicitur, quid quisque virtutis habeat.

Iudic. 3. 4. 1. Cor. 11. 19. Et Sap. 5. Sap. 3. 5.

Amicus sincerus pernoscitur in tentatione.

2. Quemadmodum hoc in mundo gaudemus si quos sinceros probatosq; amicos reperiamus, sic & Deo tales reperire pergratum est, ac propterea priùs tentationibus eos explorat. Vnde Ecclesiasticus: *Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis.* Et, *sicut igne probatur argentum, & aurum camino: ita corda probat Deus.* Dum massa metallica in igne liquefacta ardet, inquit Hieronymus, dignosci nequit, aurum argentum sit, an alia metalli species: in igne enim omnia coloris videntur ignei: ad eumdem modum tempore consolationis, tum scilicet fervor & devotio viget, quid quisq; sit internosci nequit; nam omnia videntur ignea: sed, tolle massam de igne, sine eam frigescere; ac tum quid sit videbis: fervor & consolatio illa paululum pertranseat, veniat tribulatio, adversitas & tentatio, tum quid quisque valeat patescet. Dum quis pacis tempore virtutum sectatur, sciri nequit, virtusne id sit, an à naturali quadam, ad bonum inclinatione ortum habeat, aut potiùs à speciali erga istoc exercitii genus affectu & propensione, aut denique quod aliud ad manum non sit, à quo aliorsum trahatur at qui tentationibus variis impetitus nihilominus perdurat ac perseverat, hic se solo virtutis & erga Deum amoris impulsu ad operandum moveri ostendit.

Eccl. 27. 6. In Epist. ad Galatas c. 5. Augustin. Exod. 14. 19.

Tentatio animam puriorē reddit.

3. Habet hoc præterea tentatio boni, quòd animam puriorem reddat. *Igne nos examinasti, sicut examinatur argentum*, canebat Psaltes. Nam ut aurifaber argentum aurumvé igne depurat, & ab omni scoria expurgat; sic electos suos Dominus tentatione emundare vult, ut in divinæ maiestatis suæ oculis acceptiores dignioresq; inveniantur. Vnde per Zachariam Prophetam de iis ait: *Vram eos sicut uritur argentum; & probabo eos sicut probatur aurum.* Per Isaiam verò: *Et ex eo quam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum.* Aufert ergo tentatio in justis omnem omnino vitiorum rubiginem, affectum quoque erga res sæculi huius, necnon amorem sui ipsorum, efficitque ut defæcatiores inveniantur. Non tamen omnes, ait S. Augustinus, hunc è tentatione fructum eliciunt, sed soli boni. Sicuti res sunt, quæ igni injectæ quamprimum mollescunt ac lique-

Imò per eam cæcescunt servi Dei. Lib. de exhortat. martyrii. Ps. 65. 10. Zach. 13. Isaias 1. 25. Exo. 1. 12. Gen. 7. 17. S. August.

liquescunt, uti cera; aliæ, quæ eodem magis indurantur, ut lutum: sic bonos tentationis & adversitatis ignis emollit, dum se in illa cognoscunt & humiliant: malos verò magis indurat & obstinatiores reddit. Perindeatq; duorum latronum cum Christo crucifixorum alter conversus salute donatus est, alter in blasphemiis infelicem animam reddidit. Vnde non incongruè Sanctus Augustinus: *Tentatio ignis est, in quo aurum rutilat, palea consumitur: justus perficitur, peccator miserè perit: tempestas est, ex qua hic emergit, ille suffocatur.* Filii Israel per medias maris aquas viam invenerunt, eæque illos ingressos à dextris & sinistris adinstar muri obvallarunt; Ægyptii verò ad unum omnes in iis dimersi interierunt.

Augustin.

Exod. 14. 29.

4. Aliam; qua ad adversitates ac persecutiones suscipiendas animemur, easque minimè formidemus, rationem profert S. Martyr Cyprianus: nimirum, quòd per eas, Sacra Scriptura docente, servi Dei mirum in modũ accrescant ac multiplicentur: perinde ac filii Israel quanto ab Ægyptiis magis opprimebantur & vexabantur, tanto indies magis crescebant & numero adaugebantur. De arca quoque Noe legimus: *Et multiplicatæ sunt aquæ, & elevaverunt arcam in sublime,* ultra montes Armeniæ. Pari modo tentationum & afflictionum æquè animam nitrum in modum extollunt & perficiunt. Quare si per tentationem ipse purior nõ evadas, causa est, quòd non aurum, sed palea sis, ideoque ab ea nigrior ac squalidior sis. Ait Gerson, quemadmodum per procellas & tempestates mare contractas sordes & immunditias ejicit, mundumque & limpidum sit: sic spirituale animæ nostræ mare tentationibus & adversis ab illis sordibus & imperfectionibus, quas nimia in pace & tranquillitate plerumque contrahere solet, emundari, ideoque eas à Deo immitti. Verum, sicut bonus agricola vitem putat, ut fructus plus ferat: sic docent SS. Patres, Deum, qui in Evangelio agricolæ assimilatur, suas vites, id est electos, putare, ut copiosiùs fructificent. *Omnem palmitem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus adferat.*

Imò per eam crescunt servi Dei.

Lib. de exhortat. martyrii.

Exo. 1. 12.

Gen. 7. 17

De instit. Theolog. pract. consider. art. 6.

5. Præterea, (per quòd quæ dicta sunt, magis confirmantur) per tentationem contraria virtus altiùs animo infigitur. Dicit proinde Abbas Nilus: sicut plantas & arbores venti, gelu, & tempestates enutriunt, & altiores in terra radices agere faciunt, sic per tentationum procellas, contrarias virtutes profundiùs animæ inseri. Huc quoque Paulinum illud SS. Patres referunt: *Virtus in infirmitate perficitur*, id est stabilitur, tũc datur, stabilis declaratur. Quemadmodum, quo ad veram aliquam conclusionem, quam ipse propugnas, oppugnandam plura adversarius argumenta & rationes adducit, tu ex adverso plura quoque ad eam propugnandam & confirmandam conquiris, & per oppositorum argumentorum dissolutionem ac confutationem in veritate tua ampliùs confirmaris: ad eumdem modum Dei

Virtute in anima confirmat.

Nilus Abbas.

2. Cor. 12. 9.

servus, quo plura cacodæmon tela & tentationes depromit, ad ipsum ab aliqua virtute dimovendum, eo vicissim ipse plura motiva & argumenta ad eam conservandam, tentationique resistendum quæritat: tunc quoque nova concipit proposita, & illius virtutis frequentiores actus usurpat: quo fit ut illa magis confirmetur, profundiùs inseratur, lætiusque excrescat. Quare unanimiter asserunt, id in anima operari tentationes, quod in incude malleorum tunsiones, utpote quæ his indies magis induratur & solidior fit.

6. Præter hæc, quæ ordinaria sunt, solet Deus, teste S. Bonaventura, eos qui à vitio aliquo singulariter divexati fuere, nihilominus intentationi resistendo fideles se ac viriles præbuerunt, extraordinariis & inusitatis quibusdam modis consolari ac remunerari; nimirum contrariam illi virtutem supereminenter & superabundanter iis concedendo: quemadmodum, (referente magno Gregorio) S. Benedicto, quòd fortiter ac generosè vehementi cuidam carnis tentationi restitisset, nudum se in spinas & vepres abjiciendo, tanta est à Deo castitatis perfectio collata, ut exinde nullum illicitum carnis motum sit expertus. Idem de D. Thoma Aquinate refertur: ad hunc enim, postquam procacem mulierem ad eum sollicitandum submissam titione arrepto à se abegisset, missi mox cælitus duo sunt Angeli, qui lumbos ejus Zona succinxerunt, in perpetuæ castitatis à Deo ei concessæ signum. Sic docet is ipse Bonaventura, iis qui circa fidem mirè divexantur, & ad blasphemias concipiendas tentantur, magnam postea cælitus lucem & claritatem circa res credendas infundi, simulque ardentem Dei amorem dari solere: (Quod ipsum & in aliis tentationibus locum habere putat) & ad hoc confirmandum adducit illud Isaico. *Et erunt capientes eos qui se ceperant, & subjicient exactores suos.* Quæ certè res mirè hominem in tentationibus solet consolari. Eja ergo frater, consolare, & virum te in cõfligendo præbe; vult quippe Deus hoc pacto contrariam animo tuo virtutem profundiùs inserere, & angelica te virtute donare. Samsoni in via immanis occurrit leo, quem ille adortus suffocat & necat; sed pòst in faucibus ejus favum reperit mellis. Pari modo tametsi tentatio initio tibi leone violentior videatur noli expavescere; eam intrepidus adgredere, conflictum ini, & expugna: ac videbis postea, magnam te inde dulcedinem & suavitatis fructum eliciturum.

Process. 4. relig. c. 13.

Virtutẽ contrariam acquirit circa aliquod vitiũ tentatus.

Greg. in Dialog.

Surius in vita.

Isa. 14.

Judic. 14. 68.

7. Hinc quoque à contrario colligere est, cum quis à tentatione victus vitio indulget, ipsum cum actibus suis in illo crescere, tentationem quoque valentiorem fieri, & fortiùs solito ab ea hominem impugnari: vitium quippe jam profundiores radices egit, majoremque in eum dominatum accepit. Observavit & in se notavit idipsum S. Augustinus. Unde Jeremias: *Peccatum peccavit Ierusalem propterea instabilis facta est*, id est, ad standum debilior & ad cadendum proclivior. Insinuat idem his verbis Sapiens:

Tentationes admissæ in consensu fortius eum adstringunt peccato.

Lib. 8. Confess. c. 5.

Thren. 1. c. 8.

Sapiens: *Et peccator adjiciet ad peccandum.* Est hoc egregium documentum & consilium iis qui a tentationibus exagitari solent. Solet quippe perfidus ille veterator diabolus nonnullis persuadere, tunc tentationem cessaturam cùm illi morem gesserint. Sed insignis hic est error & illusio, qua multis imponit. Imò, si semel tentationi obsecundes, ipsa passio & appetitus profundiùs animo inseritur, fit vehementior, majoresque posthac in te vires exercet, & impotentiorem dominatum exercebit; multoque faciliùs occasione oblata te exinde supplantabit & terræ allidet.

Eccl. 3. 29.

Vitiosi obsecundes, fit valentius.

Isa. 14.

Iudic. 14. 68.

8. Quare non inscitè hydropi tentatio in consensum admissa similis esse perhibetur: nam ut hydropicus quo plus biberit, eo plus sitit: & ut avarus quo plus possidet, hoc plura habere desiderat: nam *Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.* sic & in hac re sit. Certus proinde esto, quantum te à tentatione extra viam abripi sinis, eique obsequeris, tantum eam adaugeri & crescere, tantum verò ex adverso tibi de viribus & robore animi decedere, magisque obnoxium te fieri ut postea faciliùs in id vitium das. At quando generosè obluctaris, vimque tibi aliquam inferes, tentationi non condescendendo, virtus est fortitudo tua tot in te partibus & toties crescit, quoties victoriam refers. Unicum ergo tentationum & pravarum propensionum tuarum exsuperandarum væræque quietis & tranquillitatis comparandæ medium est, iis neutiquam obsecundare, nec permittere umquam ut tibi prævaleant: sic enim, adjuvante Dei gratia fiet, ut tentatio & passio paulatim imminuatur, vimque suam deperdat, usque dum adeò decrescat, ut nullam nobis molestiam noxamve inferat. Id quod meritò nos animare deberet, ad tentationibus generosè resistendum & obviam eundum.

Simile peccatoris.

Iuven. Sat. 14.

Tentationes admissæ in consensu fortius eum adstringunt peccato.

Lib. 8. Confess. c. 5. Thren. 1. c. 8.

Caput VII.

Tentationes hominem sedulum, excitatum & fervidum reddunt.

1. Habent & illud tentationes bonum & emolumentum, quòd hominem vigilem, solicidum & fervidum reddant: nam quoniam novit, Semper & ubivis sibi bellandum esse, hinc semper ad id dispositus & paratus est. Ut enim diuturna pax homines torpidos & languidos reddit, sic bellum & armorum exercitium validos, vegetos & strenuos. Quapropter Cato in Senatu Rom. censuit, Carthaginem minimè delendam videri, ne Romani otio & torpore languescant: imo, *Væ Romæ*, dixit, *si Carthago non steterit.* Idipsum responderunt & Lacedæmonii. Regi enim suo censenti urbem quandam funditus evertendam & solo æquandam videri quæ jugiter ipsis bellum movebat, restiterunt principes senatus, nunquam commissuros se dictitantes, ut eos, ad quam spartana juventus vires & robur exacueret, exscinderetur.

Bellum nos acuit, pax torpidos reddit.

Paul. Manut. appotheg. q 113. §. 24.

retur. Cotem nominabant civitatem, quæ perpetuæ ipsos bello lacessebat, quòd per eam juventus armis tractandis assuesceret, & quid quisq; posset, in ea oppugnanda ostendere conaretur: nullos autem adversarios habere, nulla bella, nimis quàm noxium & periculosum censebant. Pari modo cum quis tentationibus caret, remissus fit & negligens; at si ab iis infestetur, fit strenuus fervens. Ponamus esse aliquem pigrum & torpidum quem nullus in corpus cilicio flagrisque sæviendum possit inducere; qui in oratione oscitabundus & cum nausea versetur, in obediendo tardus & negligens sit, suasque recreatiunculas ubiq; captet; huic gravem autem repentè aliquam tentationem oboriri, in qua Dei auxilio opus habet; hic ergo per eam sese excitabit, roburque & animos induet ad se mortificandum, orationique ferventiùs insistendum. Proverbium apud homines vulgare est: *Qui nescit orare, eat ad mare.* Necessitas quippe & periculum docent orare, & ex animo ad Deum confugere. Ob maius ergo bonum nostrum & spirituale emolumentũ tentationes Deus permittit, teste Chrysostomo. *Cùm enim*, inquit, *nos ad torporem declinantes viderit, & ab ipsius familiaritate resilientes, & spiritualium nullam rationem facientes paulùlum nos derelinquit, ut ita castigati ad ipsum studiosius redeamus.* Et alio in loco: *Quando malignus ille perterret nos atque perturbat; tunc frugi efficimur, tunc nosmetipsos agnoscimus, tunc ad omni Deum studio recurrimus.*

Hom. 14. ad pop.

Lib. 1. de provid.

2. Tentationes ergo ad in virtutis via progrediendum adeò non impedimento sunt, ut etiam instar stimuli nos ad pergendum impellant: ideoq; eas Apostolus non gladii aut lanceæ, sed stimuli & calcaris nomine indigetavit: *Datus est mihi stimulus carnis.* Nam quemadmodum stimulus jumentum non interimit, nec damnum ullum infert, sed incitat & ad citiùs currendum impellit: pari modo tentatio homini non obest, sed prodest, quia ad citiùs & animosiùs incedendum propellit. Hoc certè commodum generaliter omnibus, etiam multum in virtute provectis, deseruit. Nam ut equus, quantumlibet generosus & per se satis incitatus calcaribus subinde opus habet, & his subditis incitatiùs currit: sic & servi Dei in eiusdem obsequio celeriùs & acriùs progrediuntur, cùm hosce tentationum stimulos & aculeos percipiunt; ac tunc demissiùs se gerunt, & circumspectius ambulant.

Tentatio hominē ad perfectionem promovet.

2. Cor. 12. 7.

3. Diabolus, ut docet S. Gregorius, tum nos tentat, malum aliquod intendit, Deus autem nonnisi bonum. Quemadmodum enim hirudinis corpori ægro ad sanguinem exsugendum applicitæ intentio est, eo se explere, & omnem, si posset, extrahere, medicus verò eam applicans intendit malum, eius adminiculo, sanguinem educere, & ægro sanitatem reddere. Sicut item dum ægro cauterium inuritur, aliud ignis non spectat quam adurere, Chirurgus verò nonnisi salutem adferre: ignis ad partes etiam saniores vellet proferpere,

Lib. 1. Moral. c. 3.

Dei & diaboli in tentando diversa est intentio.

pere, at chirurgus solùm male affectas vult aduri, nec ulteriùs eum sævire permittit. Haud secùs diabolus omnem tentatione sua virtutem, meritum & gloriam nobis vellet eripere; sed Deus Opt. Max. nonnisi planè contrarium hinc elicere intendit & operatur: Adeoque è lapidibus, quos cacodæmon in caput nostrum, ad nos excerebrandos & necandos jacit, ipse pulcherrimam & pretiosissimam nobis coronam nectit. Sic gloriosus ille Protomartyr Stephanus, cum undique à lapidantibus circumdaretur, & lapidum densus imber in caput eius ingrueret, vidit cœlos apertos, & Iesum illic stantem, quasi lapides colligeret, quò illi ex iis, velut è pretiosissimis gemmis, gloriæ coronam fabricaret.

Act. 7. 55.

4. Addit his Gerson aliam non minoris consolationis considerationem, quam & communem Doctorum juxta ac SS. Patrum doctrinam esse tradit: quòd, licet tentatus quis in aliquibus prolabatur, & aliquod veniale peccatum sibi ob negligentiam & imprudentiam suam commisisse videtur; ex altera tamen parte ob insignem patientiam quam in illa afflictione præfert, nec non ob conformitatem voluntatis suæ cum divina, ob resistentiam quoque, qua adversus ipsam obluctetur, denique ob diligentiam & media, quæ de ea ad victoriam referendam adhibet, non solum imperfectiones & defectus hi tollantur ac purgentur, sed insuper merita ei adaugeantur, mioremque gratiam & gloriam à Deo consequatur: Iuxta illud Apostoli *faciet etiam cum tentatione proventum.* Elicit nimirum Deus è tentatione bonum, & facit ut ditiores & locupletiores per eam fiamus. Nutrix vel mater ut infantem ambulare doceat, se ab eo aliquantulum removet, moxque illum blandè ad se evocat: ipse tremebundus pergere non audet; illa nihilominus eum non sustinet, &, licet subinde prolabatur, minoris illum lapsum facit, quàm quòd incedere nesciat. Ad eum plane modum nobiscum Deus agit, qui de se dixit, *Ego quasi nutritius Ephraim.* Non curat enim illos casus & defectus quos tibi admisisse videris, respectu maioris emolumenti quod è tentationibus consequeris.

Tract. cōtra pusillam. Testatus licet parvos defectus committat, multum tamen lucratur.

1. Cor. 10. 13.

Simile.

Osee 11. 3.

5. *S. Virgo Gertrudis propter minutiorem quemdam defectum sese multum arguens ac reprehendens, desideravit & petiit à Domino ut illam penitus in ipsa spiritu emendaret, atque ab ipsa auferret. Cui benignus Dominus blande respondit. Et quare velles ut ego magno honore privarer, & tu ingenti præmio careres? nam grande nimis præmium lucraris, quotiescumque illum vel similem defectum recognoscens proponis de cetero illum vitare: & quantocumque quis studet pro amore meo defectus suos devincere, tantum mihi honoris ac fidelitatis exhibet, quantum miles exhiberet Domino suo si strenuè seipsum in bello inimicis opponeret, eosque viriliter expugnaret atque prosterneret.*

Exemplum. *Blosius c. 4. monil.*

Caput VIII.

Sancti ac servi Dei adeò non tentationibus contristabantur, ut etiam fructu & proventu quem inde percipiebant, mire gauderent.

Sancti in tentationib. gaudent.

1. Ob tot tantaque quæ recensuimus bona & fructus, è tentationibus sequi solita, servi Dei virique sancti adeo non iisdem contristabantur, ut etiam in iis nimiopere gauderent: juxta illud Iacobi Apostoli: *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis,* easque in lucro reponite. Nec non illud Doctoris Gentium ad Romanos scribentis: *Non solum autem* tentationes & tribulationes patienter excipimus, *sed & gloriamur in tribulationibus: scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem.* Accommodè ad hoc propositum exponit S. Gregorius illud Iob: *Si dormiero, dicam, Quando consurgam? & rursus exspectabo vesperam.* per vesperam autem tentationem intelligit: notat autem, Iobum eam ceu quid utile & bonum desiderasse: *exspectamus enim prospera, & formidamus adversa.* Quòd autem Iob tentationem velut sibi expediens, utile, & commodum quid duceret, idcirco eam se ait expectasse.

Iacob. 1. 2.

Rom. 5. 3.

l. 8. Moral. c. 10. Iob. 7. 4.

Doctrina 13. Exemplum.

2. Adfert huius rei occasione Dorotheus exemplum illud quod in Prato spirituali legitur. Quemdam juniorem fratrem fornicationis spiritus graviter impugnabat; ipse verò divinæ gratiæ subsidio, fœdis & illicitis cogitationibus viriliter & strenuè obluctabatur: etenim, ut carnem edomarat, longa subibat jejunia, multum temporis in oratione ponebat, & assiduo manuum labore corpus affligebat. Quem cùm senior, cuius in disciplina versabatur, ita laborantem & afflictum videret, si velis, inquit, fili, Dominum rogabo ut huic te discrimini eripiat. Cui discipulus, Haud dubiè pater, multum patior valdeque divexor, sed ex altera parte me multum hac è tentatione proficere animadverto; quòd sæpiùs per orationem & mortificationem ad Deum recurram. Roga ergo Deum potiùs, ut patientiam & robur mihi elargiatur, ad tentationem æquanimiter excipiendam, deque ea victoriam referendam, & ut nullam ex ea ipse labem contraham. Gavisus hoc responso senex. Iam demum, ait, video fili, in via perfectionis insigniter te progredi: dum enim quis ab aliquo vitio tētatus, viriliter ei obluctatur; humilis sollicitus, & circumspectus ambulat, hasque per afflictiones & angustias paulatim anima depuratur & expurgatur, donec ad eximiam quamdam perfectionem puritatemque perveniat.

3. Alium quemdam monachum refert idem Dorotheus mirè ideo contristatum & afflictū fuisse, quòd tentatio, quæ ipsum jugiter oppugnare solita erat, jam interquiesceret: quare è nimio quodam amoris affectu cum Domino expostulans aiebat: Equidem Domine dignus non fui aliquid pro nomine tuo pati, & aliquantillum propter te affligi.

Aliud. Vbi supra.

4. S. E-

Aliud. 4. S. Ephrem referente Ioanne Climaco, cùm ad supremam & altissimam pacem tranquillitatemque animi (quam ipse *cœlum terrestre* & *impossibilitatem* vocat) pervenisset. Deo instanter supplicavit, ut pristinas tentationum concertationes & pugnas sibi redderet, ne quam merendi coronæq; suæ adaugendæ occasionem materiamq; deperderet.

Aliud. In Lausia. 5. Palladius denique narrat, alium sanctum monachum, cum Abbatem Pastorem accessisset, ei dixisse: Iam tandem Deus à me instanter rogatus, tentationes à me abstulit, mihique plenam pacem concessit. Huic Pastor; Eia frater, ad Deum recurre, eumque obsecra ut tibi certamina restituat, ne otio obtorpescas. Dominum ergo adiit, & Abbatis pastoris consilium exponit: quo Abbatis consilium approbante, eo quo priùs modo cœpit divexari. sed confirmantur hæc omnia exemplo Apostoli, qui Dominum etiam tertiò rogans ut à se discederet stimulus carnis, non meruit exaudiri, nec aliud responsi tulit, *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur* & elucescit. 2. Cor. 12. 9.

Aliud. Vbi supra.

Caput IX.

Per tentationes homo non sibi solùm, sed & aliis eruditur.

Tentatio dat experimentalem scientiam. 1. Habent prætereà & hoc non contemnendum tentationes bonum, utile cumprimis iis, qui alienæ saluti procurandæ vocant; quod per eas homo non sibi soli, sed & aliis mirificè prosit: quippe per eas in se experitur, quod postea in aliis, quibuscum ei tractandum est, videre & corrigere debebit. Si quis ergo in spirituali malitia seriò se exercet, & attente ad omnes cacodæmonis exitus & introitus reflectit, paulatim ipso usu omne spirituale animarum regimen & directionem, ad eas prout oportet gubernandas addiscit. experientia namque optimus partim magister est; unde enatum tritum illud apud nos proverbium, optimus ille chirurgus est, qui sæpiùs vulnera excepit, & sub chirurgi fuit manu. Ac quemadmodum per varia orbis loca peregrinari, magnum rerum usum & experientiam hominis affert: nam *qui navigant mare, narrant pericula eius*; sic & in tentationibus usu venit. Vnde benedixit Sapiens: *Qui non est tentatus quid scit?* quia nec pro se, nec pro aliis quid sciet: at *vir in multis expertus, cogitabit multa, qui non est expertus paucare cognoscit.* Eccl. 43. 26. Eccl. 34. 9.

Qui tentatus fuerit, aliis tentatis compatietur. 2. Qui ergo in conflictibus hisce spiritualibus egregiè versatus erit, egregius quoque aliorum director & magister erit. Quare & ob hanc causam vult nos Dominus tentationibus infestari, ut sic in spirituali ad alios rite dirigendos & deducendos ministerio periti & versati evadamus. Quod ut consequamur, vult nos Dominos priùs diversimodè tentari & infestari, ut, cùm deinde fratrem tentatum & afflictum videbimus ei compati noverimus. Nam quemadmodum etiam in corporali valetudine mirificè prodest, quòd quis aliquando variis cum morbis & languori-

guoribus sit conflictatus, ut postea similes experturis compatiatur, & cum charitate & amore serviat: pari modo & in spirituali ægritudine usu venire constat.

Exemplum. collat. 2. Abbatis Moys. c. 13.

3. Rem totam confirmabit historia, quàm apud Cassianum refert Abbas Moyses. *Cum, inquit, ad senem quemdam monachus alius juvenis satis bonæ vitæ perrexisset, & carnalibus incentivis ac fornicationis spiritu semetipsum inquietari simpliciter prodidisset, consolationem credens laboribus suis oratione senis, & remedia conceptis vulneribus reperturum; ille amarissimis eum verbis excipiens, ita suis è contrariò correptionibus asperavit, ut eum summâ desperatione dejectum mœstumque admodum, ac lethali tristitia penitus obrutum è suâ dimitteret cella. Cumque ei in tali mœrore depresso, nec jam de remedio passionis, sed de expletione concupiscentiæ conceptæ profunda cogitatione tractanti, Abbas Apollo, qui de nominatissimis loci illius patribus erat, protinus occurrisset, & vim laboris eius, & oppugnationis vehementiam quæ in corde eius tacitè voluebatur, vultûs & intuitûs ipsius deiectione coniectans, causam tantæ perturbationis inquireret; atque ille molliter se compellanti seni ne responsum quidem ullum posset referre; magis ac magis sentiens eum senex non inaniter causam tantæ tristitiæ silentio velle contegere, quantum ne vultu quidem dissimulare quivisset, intentus ab eo causas occulti doloris cœpit inquirere. Quibus ille constrictus, pergere se ad vicum confitetur, ut, quia secundùm sententiam illius senis monachus esse non posset, nec refrænare stimulos carnis, & oppugnationis remedia consequi prævaleret, uxorem duceret, ac relicto monasterio reverteretur ad sæculum. Quem Apollo blanda consolatione demulcens, sesque asserens iisdem quotidie incentivorum stimulis atque æstibus agitari, & idcircò non debere eum prorsus in desperationem concidere, nec mirari super impugnationis ardore, qui non tam laboris studio quam misericordiâ Domini & gratia vinceretur: unius tantùm diei super dilatione ruinæ dispositæ, ab eodem poposcit inducias, & ut reverteretur ad suam cellulam, deprecatur: ad Monasterium prædicti senis illicitò tota festinatione perrexit. Cumque eidem proximasset, expansis manibus orationem cum lachrymis fundens: Converte, ait, Domine, qui occultarum viriũ, & infirmitatis humanæ solus arbiter pius, ac secretus es medicus, impugnationem illius juvenis in senem istum, ut condescendere infirmitatibus laborantium, & compati fragilitati juniorum, vel in senectute doceatur. Cumque ille hanc precem cum gemitu conclusisset, cernit Æthiopem tetrum contra illius cellulam stantem, atque adversus eum ignita jacula dirigentem. Quibus cùm fuisset ille protinus sauciatus progressus è cella, & huc illucque velut amens & ebrius cursitans, atque egrediens & ingrediens, jam continere se in ea non posset, eadem via concitus pergere cœpit, quâ mœstus juvenis ille discesserat. Quem Abbas Apollo velut amentem factum, ac quibusdam furiis agitari conspiciens, intellexit ignitum Diaboli telum, quod viderat ab illo directum, in eius corde fuisse defixum, illamque in eo confusionem mentis ac perturbationem sensuum intolerandis æstibus operari: accedensque ad eum.*

Quò

Quò, inquit, properas, aut quænam te causæ senilis illius atq; insolitæ gravitatis oblitū, ita pueriliter inquietant, ac mobiliter cursitare compellunt? Cumque ille pro conscientiæ suæ reatu, ac turpi excogitatione confusus crederet ardorem sui pectoris deprehensum, ac retectis seni sui cordis arcanis, nullam responsionem percunctanti se reddere prorsus auderet, *Revertere, inquit, ad cellam, tandemque te intellige vel ignoratum hactenus à Diabolo, vel despectum, nec in eorum numero reputatum, quibus ille quotidiè confligere & colluctari profectibus eorum ac studiis instigatur: qui unum ejus in te directum jaculum post tantam annorum seriem, quam in hac professione trivisti, non dicam respuere, sed ne differre quidem vel uno die ac tolerare quivisti: quo te sauciari Dominus idcircò permisit, ut saltem in senecta disceres compati infirmitatibus alienis, & fragilitati condescendere juniorum tuis exemplis atq; experientiâ docereris: qui suscipiens juvenem infestatione diabolicâ laborantem, nō modò nullâ consolatione fovisti, sed etiam perniciosâ desperatione dejectum, inimici manibus tradidisti, quantum in te est, ab eodem lugubriter devorandum: quem sine dubio nequaquam attentasset tam vehementi conflictu, quo te usque nunc est appetere dedignatus: nisi fortè profectui ejus invidens inimicus illam virtutem, quam animo ejus inesse cernebat, anticipare suis ignitis jaculis festinasset, procul dubio indicans fortiorem, cui tanta vehementia confligere operæ pretium judicavit. Disce itaque tuo malo laborantibus condolere, & periclitantes nequaquam perniciosa desperatione deterrere, nec durissimis sermonibus asperare: sed potiùs leni blandaque consolatione refovere, & nostri Salvatoris exemplo, arundinem quassatam non conterere, & linum, fumigans non extinguere, illamq; à Domino gratiam postulare, ut ipse quoque fiducialiter valeas opere ac veritate dicere:* Dominus dedit mihi linguā eruditam, ut sciam sustentare eū, qui lapsus est, verbo. Cōcludit ergò vir sanctus. *Nullus posset insidias inimici sufferre, seu carnales æstus naturali quodammodò igne flagrantes, vel extinguere, vel reprimere, nisi gratia DEI vel juvaret fragilitatem nostram, vel protegeret, vel suâ misericordiâ communiret. Et idcircò salutaris hujus dispensationis ratione finitâ, communibus eum precibus imploremus, quo flagellū istud, quod utilitatis gratia Dominus inferre dignatus est hactenus, jubeat temperari: ipse enim dolorem facit, & rursum medetur; percutit, & manus ejus sanant; ipse humiliat & exaltat ipse occidit, & vivificat, deducit ad infernum & reducit.* His dictis, ad orandū se Apollo composuit, atque ut illo orante seni fuerat immissa, sic eodem deprecante (quæ Dei miseratio est) ab eo etiam ablata tentatio est. Itaq; tam seni quàm juveni eadem opera opem tulit, & rectè consuluit.

Isa. 42. 3. Matt. 12. 20.

Caput X.

Varia contra tentationes remedia suggeruntur, ac primò quam generosè & animosè in illis nos gerere oporteat.

Eph. 6. 10

Primū remediū contra tentationes est animi generositas.

1. **D**E *cetero fratres,* ait Ephesiis Apostolus, *confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus, induit vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus*

Alvar. to.2.l.1. p.3.c.4.

versus insidias diaboli. Beatus Antoni9, in conflictibus his spiritualibus versatus, & eruditus, si quis alius, dicere solebat, inter reliqua hostis nostri subigenti media & arma inprimis eminere dicebat, quòd quis in tentationibus se generosum, alacrem, & hilarem ostendat. Quo d ille dum videt, contristatur, animum despondet, spemque omnem nobis nocendi abjicit. Egregiam quoque hac in materia regulam vel documentum in Exercitiorum spiritualium libello adfert S.P.N. Ignatius.

Regul. 12. ad motus animæ discernẽdos.

Simili declaratur ea generositas.

2. Ait quippè exinde nobiscum in tentationibus agere cacodæmonem, ac fœmina quæpiam cum viro rixans: quem si hæc conspexerit erecto & constanti vultu sibi obsistere, animum illico abjicit, & terga vertit: sin verò timidum fugacemque esse animadverterit, in extremam fugit audaciam, & illum ferociter invadit ad instar tigris cujusdam, sic consuevit & dæmon dum nos tentat, animo destitui & viribus concidere, quoties nos corde imperterrito ac fronte ardua tentationibus videt luctari: sin autem trepidemus ad primos impetus sustinendos, & animum quasi despondeamus, nulla est super terram bestia illa tunc efferatior, acrior & pertinacior. Meritò proinde Christianis omnibus consulit S. Jacobus: *Resistite diabolo* fortiter, *& fugiet à vobis.* Confirmat idipsum S Gregorius super Iob scribens ubi juxta LXX. Interpretum versionem diabolum myrmicoleonta vocat, id est *formicoleonem*: quia si huic leonina quadam generositate oblucteris, tibi ad instar formicæ erit. Consulunt proinde vitæ spiritualis magistri, ne tentationibus pulsati animo protinus cadamus ac contristemur, ita enim pusillanimes & torpidi fieremus, sed generosè & alacriter ad pugnam nos accingamus, uti de Juda Machabæo, ejusque fratribus & sociis in scriptura legimus: *Prœliabuntur prœlium Israel cum lætitia*, itaque de hostibus luculentas victorias referebant.

Iac. 4.7.

li. 5. Mor. cap. 17. Iob. 4.11

1. Mach. 3.2.

Non fert alacritatem nostrã diabolus.

3. Et præterea & alia rei hujus ratio: quòd enim cacodæmones bono & commodis nostris adeò invideant, hinc nostrum eos gaudium mirè affligit & afficit, tristitia verò & pusillanimitas exhilarat, unde vel hoc solo nomine omnem nos animo mœrorem & pusillanimitatem excludere oporteret, ne quam ei gaudendi materiam præbeamus: sed virilem ubique constantiam & alacritatem exeramus. Nulla re sancti Martyres (ut historiis Ecclesiasticis proditum est) æquè tyrannos suosque carnifices affligebant, & ad majora inferenda exstimulabant, quàm infracta illam cruciatibus omnibus excipiendis cõstantia & generositate. Vnde & nos in tentationibus parem præferre oportet, ut cacodæmones, à quibus illæ proficiscuntur, efferescant, indignentur & fremant. Quod quoniam ad eas exsuperandas, plenamque de hostibus nostris victoriam referendam, ac triumphandum efficax medium est hinc iis quæ sequuntur capitibus, nonnulla quę ad hancin nobis generositatem causandam sunt auxilio futura producemus.

CAP.

Alterum remediũ scire Dæmon non vincit ni si volentem.

S. Bern.

Exemplum. sup. c. 4. Matth.

Caput XI.

Quàm parùm in nos diabolus valeat.

Alterum remediū scire Dæmon non vincit nisi volentem.

1. AD hanc ergo in tentationibus generositatem & animi robur præferendam, non parvo profectò adjumento futurum est, hostium nostrorum imbecillitatem atque impotentiam, quamque accisæ cacodæmonis adversum nos vires sit, ad animum revocare: quod in nullum omnino nos ille peccatum pertrahere potest; nisi velimus. Vnde S. Bern. *Videte fratres, quàm debilis est hostis noster, qui non vincit nisi volentem.* Si cum quis ad bellum cum hoste manum conserturus, proficiscitur, certus priùs esset; victoriam se de illo, si modò velit, referre posse, quàm latus illuc abiret, certè, non posset non summopere lætari; esset quippe de victoria certus: quia à parte sua certus est se vincere, & non vinci velle. Ad eumdem ergo modum & nos cum cacodæmone pugnandum abire oportet: certi quippe sumus, nobis illum minimè prævaliturum, nisi vinci velimus.

S. Bern.

Exemplum. sup. c. 4. Matth.

2. Observavit id S. Hieronymus exponens illa diaboli ad Christum verba, quibus eum in templi pinnaculo constitutum inducere voluit, ut se deorsum mitteret, ait: *Mitte te deorsum, vox diaboli est, qui semper omnes cadere deorsum desiderat: persuadere potest, præcipitare non potest, si ipsi nolimus.* Cum ergo te tentat, dicit quodammodo *Mitte te deorsum*, mitte te in infernum, tu illi vicissim replica. Quin te ipsum mittis, qui jam viam nosti? equidem me deorsum mittere nolo, quare si ipse nolis, ipse te dejicere nequit; nisi ad infernum tu ultro velis descendere, ipse te eò proripere ac nolentem pertrahere non poterit. Solicitabat aliàs nescio quem cacodæmon interna tentione, ut laqueo sibi fauces præcluderet: hæcque eum cogitatio mire torquebat & excruciabat quare eam viro religioso aperuit à quo audivit: fieri ne id potest, si ipse id facere nolis? Quare spiritui illud rursus suggerenti tu identidem replica, prorsus nolo: & post octo dies ad me reversus dices, quomodo tecum agatur. Cessavit proinde tentatio, & alter Confessarium adiit gratias ei acturus, quòd tam parvo negotio importunum vexatorem à se abigendi modum suggessisset. Hunc ergo modum ac medium nos quoque hic suggerimus.

3. Consonat his & Divus Augustinus: *Ante adventum Christi*, inquit, *fratres charissimi, solutus erat diabolus: at, postquam Christus in mundum venit, alligavit* diabolum qui hactenus in mundo potentem & *fortem* egerat, ut in Evangelio dicitur. Atque hoc ipsum Sanctus Ioannes sua in Apocalypsi conspexit: *Et vidi, ait, alterum Angelum descendentē de cælo, habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu sua: & apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est diabolus & Satanas, & ligavit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, & clausit, & signavit super illum; ut non seducat am-*

ser. 197. de tēpor. Olim dęmon erat potētior, nunc ligatur magis.

Matt. 12. 29.
Apoc. 20. 1.

plius gentes, donec consummentur mille anni: & post hæc oportet illum solui modico tempore. Quem locum idem Augustinus exponens, *Alligatio*, inquit, *diaboli est, non permitti exercere totam tentationem, quam potest vel vi, vel dolo ad seducendos homines, in partem suam cogendo violenter, fraudulenterve fallendo. Antichristi porro tempore solvetur ad modicum & breve tempus, at modo ligatus est. Sed dicet aliquis* (periit in priori loco idem Doctor) *si alligatus est, quare adhuc tantum prævalet,* tantumque damni infert ac respondet: *Verum est, fratres, multum prævalet, sed tepidis, & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus alligatus, est enim tamquam innexus canis catenis, & neminem potest mordère, nisi eum qui se illi mortifera securitate coniunxerit. Latrare potest, sollicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem.*

l. 20. civit. c. 8.

ser. 197. de tempore.

Itaque nullos nisi fatuos lædit, qui illudi potest.

4. Sicut ergo fatuus foretis, eumque ipse rideres, qui se à cane catena ferrea illigato morderi sineret: non secùs ridendi & explodendi, inquit Sanctus Augustinus, sunt illi, qui se à dæmone (qui jam tam validè ad instar rabidi canis ligatus & constrictus est, ut neminem offendere, nisi propiùs ultrò accedentem, queat) morderi & expugnari sinunt, tu morderi voluisti, quia ad eum propiùs, ut mordereris, accessisti: ipse enim non potest accedere ad te, nec ullam te culpam consciscere cogere, si nolis. undè meritò eum videre & insultare potes. In eamdem demum sententiam trahit verba illa Psalmistæ, *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei.* Vidistin' umquam ut etiam imbelles pueri cani ursove vincto insultent & illudant? Ad eumdem igitur modum potes & tu cacodæmoni illudere, cum immissis tentationibus te impetit, v. g. canem eum vocitando, ac dicendo Apage sis cruenta bellua; ligatus es: latrare potes, at mordere, nocere neutiquam potes.

Ps. 103. 16.

Joan. 16. 33. 1. Cor. 15. 57.

5. Cùm aliàs magno Antonio maligni spiritus in deformi & horrifica figura ferarum apparerent, adeoque leonum, tigrium, taurorum, serpentium, scorpionum formam induentes, unguibus, dentibus, rugitu, mugitu, horrendisque sibilis eum impeterent, & propiùs accedentes, vim illi inferre velle etiam jam devoraturi, viderentur; ipse nequidquam perterritus, sed potiùs illos ceu larvas ac vana terricula videns: *si quid virium haberetis*, inquit, *vel unus vestrum ad prœlium sufficeret: sed, quoniam vires vestræ accisæ & enervatæ sunt, multitudine terrorem inferre tentatis. Si quid valetis, si nobis in me potestatem Dominus dedit, ecce præsto sum: devorat concessum: si verò nihil poßitis, quid in cassum laboratis?* Hoc ergo & nos imitari possumus: postquam enim unigenitus Dei filius humanam carnem assumpsit, cacodæmon prorsus exarmatus est: prout ipse aliàs eidem Antonio fateri non dubitavit. Qui hanc Dei virtutem ac potentiam miratus, Domino, inquit, gratiæ propterea agendæ sunt, quod tametsi mendacii sis pater, hic tamen verum dicas: nam Redemptor ipse de se in Evangelio testatus: *Confidite, ego vici mundum &* à Cacodæmonis eum potestate vindicavi, *Deo autem gratias, qui dedit nobis*

Exemplum. S. Athan. in vita S. Anton.

Tertium remediũ Memoria præsentiæ Dei.

Certam[en] in tentationibus Deo inspectãte Alvar. l. 1. p. 3. c. [...] Matt. 4. 11.

Ioan. 16. 33. 1. Cor. 15. 57.

nobis hanc victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.

CAPUT XII.

Magnum addere nobis, ad generosè contra tentationes certandum, animum, debet considerare, à Deo nos videri.

Exemplum. S. Athan. in vita S. Anton.

Tertium remediū Memoria præsentiæ Dei.

1. ANimum quoque & robur ad contra tentationes generosè pugnandum, addet nobis, si consideremus, à Deo videri & spectari quomodo in illis nos geramus. Cùm miles, duce & Imperatore suo inspectante, & animum quo in hostem fertur, tacitè admirante, decertare se novit, maiore impetu & leonina quadam audacia in prœlium abripitur. Idem omnino & realiter in conflictibus nostris spiritualibus usu venit. unde cùm adversus tentationes in arenam descendimus, cogitemus oportet, versari nos edito in theatro, in quo ab Angelis & universa aula cœlesti, exitum certaminis avidè exspectantibus spectemur, castæ autem & conflictus præsidem, arbitrum ac velut agonothetam esse Deum ipsum.

Certam. in tentationibus Deo inspectate. Alvar. l. 1. p. 3. c. 5. Matt. 4. 11.

2. Est autem hæc sanctorum omnium consideratio, fundata in illis Evangelistæ verbis *Ecce angeli accesserunt, & ministrabant ei.* Etenim in magno illo conflictu spirituali & duello, quo unigenitus Dei filius cum maligno spiritu digladiabatur, Angeli ceu spectatores aderant, & ei cùm victor jam evasisset, ministrare & lætum epinicion canere cœperunt.

Exemplum.

3. Sic magnus ille pugil Antonius, cùm aliquando graviter à cacodæmone eiusque sociis cæsus ac flagellatus, oculos in cœlum elevasset, vidit desuper cellæ culmen aperiri, perque ipsum tam admirabilis lucis radium descendere, ut ad illius conspectum universa Tartari monstra indè ilicò se subducerent, insuper omnis plagarum dolor momento sit discussus; &, ductis imò è pectore suspiriis, apparenti derepente Domino dixerit: *Vbi eras bone Iesu? ubi eras cùm tam malè ab hostibus excipiebar? quare non à principio conflictus adfuisti, ut vel illum impedires, vel vulnera mea sanares?* Ad quem mox Dominus: *Antoni, hic eram; sed exspectabam videre certamen tuum: nunc autem quia viriliter dimicando non cessisti, semper post hæc auxiliabor tibi, & faciam te in universo terrarum orbe celebrari.* spectaculum ergo sumus Deo, Angelis & universæ curiæ cœlesti. quis ergò cùm à talibus spectatoribus inspiciatur, ad viriliter certandum non animetur?

Alvar. l. 1. p. 3. c. 7. Deus videt nos etiam ut consors pugnæ.

4. Quoniam verò ipsa Dei desuper aspicientis præsentia, perinde est atque auxilii suppeditatio, hinc magis, huc animemur oportet; simulque consideremus, videri nos ab eo non solùm ut Iudice & Munerario, qui nobis post victoriam sit prœmium & bravium debitum daturus, verùm etiam ut patre & auxiliatore, opem & suppetios, ut victoriam referre valeamus, afferente. *Oculi enim Domini contemplantur universam terrā & prabent fortitudinem.* Et, *Quoniam à dextris est mihi ne cōmovear.* Misit aliàs

2. Par. 16. 9. Ps. 15. 8.

4. Reg. 6. 16.

rex Syriæ, (ut in libris Regum narratur) *equos, & currus, & robur exercitus in Dothain*, ad Eliseum qui illic tũ fortè agebat, comprehendendum: cuius minister Giezi cùm summo manè surrexisset, & omnes hasce copias aspexisset, turbatus ad magistrum properat, &, *Heu, heu, heu*, exclamat, *domine mi, quid faciemus?* jam tum de utroq; actum ratus. Verùm Propheta nihil dum turbatus, *Noli*, inquit, *timere*: *plures enim nobiscum sunt* qui nos tueantur, *quàm cum illis*. Deumque rogavit, pueri oculos ut aperire dignaretur, quibus apertis, videt ecce is *montem plenum equorũ & curruum igneorum in circuitu Elisei*. Hacque ratione omnem formidinem excussit, & hostes timere desiit. Aperiamus ergo & nos oculos, animosq; sumamꝰ erecti præsertim verbis illis Iobi: *Pone me juxta te, & cuiusvis manus pugnet contra me*: illis quoque Ieremiæ: *Dominus autem mecum est, quasi bellator fortis: idcirco qui persequuntur me, cadent & infirmi erunt confundentur vehementer.*

Iob. 17. 3.

Ier. 20. 11.

Hieron. Ps. 5. 18. Imo uti omnia.

5. Sanctus Hieronymus quoq; in illud Psaltis, *Domine ut scuto bone voluntatis tuæ coronasti nos*, scribens, *Apud sæculum* ait, *aliud est scutum, aliud corona: apud Deum verò idem quid est scutum, & corona: quasi scutum protegit, quasi Deus coronat. ipse est scutum nostrũ ipse est & corona*: Id est, dum bonæ voluntatis suæ sunt, nos protegit, suã nobis protectionem & opem submittendo, hoc eius scutum & munimen, nostra victoria & corona est.

Rom. 8. 31.

Iam verò *si Deus pro nobis, quis contra nos.*

CAPUT XIII.

Duæ prægnantes rationes adferuntur, cur fortiter & cum fiducia adversus tentationes decertandum sit.

Serm. 11. ex 18. de variis argum.

I. Odium cacodæmonis erga hominẽ natum, ex odio Dei.

1. SEntentia Magni Basilii est, ferale odium & invidiam quo adversum nos cacodæmon flagrat, non solius hominis causa, sed maximè adversus Deum Opt. Max. suscipi: quem quia lædere neutiquam potest, nec odium suum plenè in eo explere, id omne in hominem, quem ad imaginem & similitudinem ipsius conditum esse videt, convertit, & quidem ea solum de causa, quòd ad Dei, quem tantopere insectatur & exosum habet, similitudinem factus sit; hinc in illo se de Deo ulcisci vult, quodcumque potest malum & damnum ei inferendo. Perinde ac si quis graviter in Regem commotus & odio flagrans, in eum tamen nihil efficere valens, omnem in imaginem eius iram & furorem effunderet: vel ad instar tauri ferocis, ait S. Basilius, qui ab homine quopiam telo aut ferro petitus, omnem in hominis statuã & figuram è lana tomentove confectam, inq; arena collocatam, rabiem & iram effundit, eamque in frusta discerpens, egregiè sese de homine ultum putat.

Duæ rationes pro fortitudine contra tentationes.

2. Hinc ergo sancti Patres vitæque spiritualis informatores duas rationes, peregregias sanè, eliciunt, quibus ad generosè tentationibus obluctandum animemur, ac simul ad spem ac fiduciam certam de victoria

Prima. Dei honor læditur per consensum in tentationes.

ex illis referenda concipiendam. *Prima* est: quod non noster solum honor & gloria, sed & Dei Opt. Max. agatur, quem malignus ille spiritus in nobis violare & offendere conatur. Quod nos ad vitam impendendam excitare deberet potiùs, quàm ut hosti ullatenus auscultaremus, ne glorietur scilicet hanc se de Deo, in nobis, velut imagine & similitudine sua, quamque tantisfacit, ultionem sumpsisse, adeò ut nō nostram hîc solùm causam & partem, sed & Dei tueamur. Quare moriendum potiùs, quã consentiendum, ne quid honor divinus detrimenti capiat.

2. Quod is tentatis auxilio veniet.

3. Altera ratio est, quòd, quoniam Dei intuitu, & ex odio quo in divinam ipsius maiestatem flagrat, nos cacodæmon acriter & continuò oppugnat; certa cum fiducia sperare possimus, Dominus causæ suæ patrocinium suscepturum, rem hanc velut propriam propugnaturum, nosque defensurum, ne ab eo prostrati succumbamus, sed ut victores evadamus. Nam etiam in sæcularibus principibus magnatibusque locum id habere constat; qui si quem sui causa & nomine periclitari & opprimi vident, quamprimum illi succurrunt, remque illorum ceu propriam propugnandam sucipiunt. Vnius Mardochæi causâ universam Iudæorum gentem delere statuerat Aman: at tum validè suam Mardochæus causam egit, ut Amanum eiusque asseclas ad eas redegerit angustias, ad quas ille omnem populum redigere moliebatur. Idem potiori jure Deum pro nobis facturum sperare possumus: quare audacter eum tentatione inclamare possumus, ac dicere: *Exurge Deus, & judica causam tuam. Apprehende arma & scutum, & exurge in adjutorium mihi.*

Esth. 8. & 9.

Ps. 73. 22. Ps. 34. 2.

Caput XIV.

Quemquam supra vires tentari Deus non permittit: & tentatione crescente aut perdurante, animo cadendum non est.

1. Cor. 10. 13.

Deus pro virium modulo tentari finit.

1. *Fidelis Deus est*, inquit Apostolus, *qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere*: quin & illa crescente, crescet & gratia ac subsidium, ut victoriam de hostibus vestris referatis ac triumphum. Est hoc permagnæ sanè consolationis, atque mediis in tentationibus egregiè nos confortare potest. Ex una quippe parte novimus, plus diabolum non posse, quàm ei concesserit Deus, nec amplius nos ab eo tentandos: ex alia verò certi sumus, Deum illi non permissurum, ut nos supra quàm tolerare possimus tentet, ut superioribus verbis Apostolus insinuat. Quis ergo his se non soletur, & ad generosè resistendum animetur? Nullus medicus tam circumspectè ac providè aloës aut rhabarbari ægro juxta corporis dispositionem dandi, uncias ac scrupulos ponderat, quàm cœlestis ille Archiater tentationum ac tribulationum, quas servis suis, pro viribus ac facultate cuiusque, dare aut permittere vult, & amaritudinem dispensat. Vnde egregiè S.

Serm. 1. de patient.

giè S. Ephrem: si figulus vasa argillacea jā fornaci imposita ultrà quàm necesse sit, in ea non relinquit, ut ea nonnisi debitè cocta & usui ad quem futura sunt, accommoda educantur, ac ne adusta corrumpantur; nec vicissim minùs in igne ea relinquit, quā conveniens sit, ne tam illa mollia sint, ut quamprimùm dissolvantur: quanto magis id Deus Opt. Max. qui infinita sapientia, bonitate, & paterno quodam in nos amore est, id nobiscum acturus est?

Lib. 6. in Luca. Mat 8. 22. Exemplum. 2. S. Ambrosius in illa S. Matthæi verba. *Ascendente Iesu in naviculam, secuti sunt eum discipuli eius, & ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus, ipse verò dormiebat*; observari vult, etiam electos, comites ac socios Domini à tentationibus impeti, ipsumque subinde se fingere dormire, hac ratione amorem, quo in filios suos fertur, abscondendo, ut ad ipsum tunc ardentiùs recurrant: non dormit Dominus tamen, nec tui oblitus est. Vnde Abacuc Propheta: *si moram fecerit Dominus, exspecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit*, id est citissimè veniet Moram quidem trahere & tardare tibi videtur, sed verè non tardat. *Abac. 2. 3.* Sicuti ægro nimis quàm longa videtur nox, aurora verò æquo diutiùs differri; errat tamen, non retardatur, quia tempore debito venit; sic nec Deus moram facit, etsi tibi velut, ægro, diutius æquo tardare videatur. novit ipse commodam occasionem & opportunitatem, itaque tempore debito necessitati tuæ auxiliatum veniet.

3. Huic proposito accommodat S. Augustinus responsum illud Redemptoris, quod Lazari sororibus Marthæ & Mariæ renuntiari jussit: *Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam.* *Epi. 143. ad Demetriad. Ioan. 11. 4. Crescente tentatione nō est animus despondendus. Exempla.* Iusserant illæ Christo nuntiari, amicum ipsius Lazarum malè habere; sed ille ad biduum cunctatus, ire noluit, ut illustrius ac notius miraculum foret. Eodem, inquit, modo Deus sæpenumero suos tentationibus, afflictionibus, ac tribulationibus aliquamdiu perinde divexari sinit, ac si eorum omnem memoriam exuisset. Sic Iosephum longo tempore in carcere detineri passus est, ut eum postea majore cum gloria & honore educeret, uti de facto eduxit, dum eum totius Ægypti directorem gubernatoremque constituit. Consimili ratione siquidem Dominus tentationem ac tribulationem aliquantisper durare patiatur, non alia de causa id eum facere credas oportet, quam ut te postea maiore tuo commodo & profectu inde educat. Notat S. Chrysostomus super illa Psalm. 9. verba. *Qui exaltas me de portis mortis*, non dixisse Prophetam: *Liberasti me Domine de portis mortis*, sede tantum, *Exaltas me*: *Chrysost. Psal. 9. 15.* Quia suos Dominus non solum à tentationibus liberat, sed & ulterius progressus, propterea illustriores & gloriosiores eos reddit. Quamobrem, quantumlibet sis oppressus & afflictus, quamvis ad usque portas inferi descendisse tibi videaris, certam concipe spem, inde te à Domino indemnem eripiendum: *quia Dominus mortificat, & vivifi-* *1. Reg. 2. 6*

Iob. 13. 15. Alia exēpla. Iona. 21. Simili id declaratur.

vivificat: deducit ad inferos, & reducit, cum de te jam conclamatum putabas. Meritò ergo hac spe fretus. Iob dicebat: *Etiam si occiderit me, in ipso sperabo.*

Iob.13.15.

Alia exẽpla.

4. Advertit S. Hieronymus ad hoc propositum, id quod Jonæ Prophetæ aliàs accidit: hic enim cum jam se perditum, ac de se actum crederet, utpote jam in profundum maris abjecto; *ecce præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Ionam*, non ut perderet & devoraret, sed conservaret, & ad terram incolumem, quasi navi vectum exponeret. *Animadvertendum est*, inquit, *quod ubi putabatur interitus, ibi custodia fit* & vita. Idemque nobis ait contingere; sæpe namque quod detrimento & damno nobis futurum existimamus, fit emolumentum ac lucrum; quoque mortis occasionem, fit vitæ.

Iona.2.1.

Simili id declaratur.

5. Sicut homines cum vitream phialam à gesticulatore in altum jactari vident, singulis eam vicibus frustillatim diffringendam autumant; at, postquam bis terve innoxiam eam ejici & recipi viderunt, timere desinunt, & artem gesticulatoris & dexteritatem admirari incipiunt, pari modo servi Dei qui probè perspectum habent quàm scitus ac peritus artifex sit Deus, & practicè ac longo usu edocti norunt illum nobiscum scitè ludere, modò quidem nos extollendo, modò deprimendo; modò mortificando, modò vivificando; modò vulnerando, modò sanando; in adversis & periculis, tametsi se debiles & vitri instar fragiles norint, nihil trepidant; quia norunt se in periti artificis manu esse constitutos, qui phialam nec franget, nec collabi sinet, & suas *in Dei manibus sortes* versari.

1.Reg.2.6

Ps.30.16

6. Abbas Isidorus, (ut Ecclesiastica historia proditum est) quadraginta ipsos annos à bono se vitio impugnatum retulit, necdum tamen ei consensum præbuisse. Quin & aliis plurimis prisci ævi monachis tentationes continuas ac longas, obtigisse legimus, quibus illi tamen cum magno animi robore & fortitudine, atque in Deum fiducia restiterunt. *Ibi fuerunt gigantes scientes bellum.*

Aliud exemplũ

Baruch. 3.26.

7. Hos ergo gigantes pugnandi tam peritos nos imitari par est. Gloriosus Martyr Cyprianus, ut nos huc animet, adducit illud Isaiæ: *Noli timere, qui redemi te, & vocavi te nomine tuo: meus es tu, cùm transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cùm ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te, quia ego Dominus Deus tuus, sanctus Israel, salvator tuus.* Deliciosa quoque & admodum suavia sunt illa ejusdem Prophetæ verba: *Ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis: quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos.* Videte, quæso, quo mater affectu filiolum, rei cujuspiam umbra perterritum, & ad se confugientem excipiat, amplectatur, quàm amanter ei ubera præbeat, osculetur, os ori applicet, ac demulceat. Majore haud dubiè amore, & infinities suaviore affectu excipit Dominus confugientes ad se in tentationibus periculis. Atque hac consideratione se Propheta Regius mirè suis in tentationibus

Exhortatio ad magnanimitatẽ

Lib. de exhortat. martyrii.

Isa.43.1.

Isa.66.12

bus & affectionibus animarum & consolatum fuisse canit: *Memor esto,* inquit, *verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti. Hæc me consolata est in humilitate mea, quia eloquium tuum vivificabit me.* Hæc quoque nos consolari & animare debet, & efficere, ut magnam in tentationibus generositatem & insignem in Deum fiduciam præferamus, quia *impoßibile est,* ut ait Apostolus, mentiri Deum.

Ps. 118. 49

Heb. 6. 18.

Caput XV.

Diffidere sibi, omnemque fiduciam in Deo ponere, ad tentationes exsuperandas inprimis conducunt. Cur item Deus ipsi fidentes, & ad ipsum recurrentes, tam notabiliter adjuvet.

Sibi diffidere, Deo fidere causa est liberationis à tentatione.

1. De primariis efficacissimisq; tentationum exsuperandarum ac debellandarum mediis est, nobis ipsis prorsus diffidere, omnem verò fiduciam in Deo constituere. Sic videre est, non aliam cujuspiam à tribulatione & tentatione aliqua liberati causam in multis sacræ scripturæ locis ab ipsomet Deo dari, quàm quòd in ipso sperarit, ac fiduciam suam posuerit. *Quoniam in me speravit, liberabo eum.* Et, *qui salvos facis sperantes in te.* Et, *Protector est omnium sperantium in se.* Hunc quoque psalmo 56. hic ipse Propheta Deo ad commiserationem sui excitando, velut arietem, admovet, & rogat: *Miserere mei Deus, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea, & in umbra alarum tuarum sperabo.* Quin & Daniel: *Quoniam non est confusio confitentibus in te.* Sapiens item nullum umquam in Deo ait sperasse, & exinde confusum fuisse. Tota denique sacra pagina hujus rei testimoniis plenissima est. Sed iis hic recensendis supersedeo, quia jam supra ea de re pluribus sum locutus.

Ps. 90. 14. Ps. 16. 7. Ps. 17. 31. Ps. 56. 1. Dan 3. 40. Eccl. 2. 11 Tract. 34. 35. & 38.

Cur ita contingat.

2. Verum videamus, ecquæ sit causa, cur hæc sui diffidentia tam efficax sit ad Dei opem & gratiam consequendam medium, & cur tam promptè Deus succurrat & opituletur iis, qui sibi diffidunt, omnemque fiduciam in ipso reponunt. Eam certè aliàs, & quidem pluribus in locis attigimus: & Dominus ipse psalmo XC. insinuat. *Quoniam,* inquit, *in me speravit liberabo eum, protegam eum* qua de causa? *quoniam cognovit nomen meum.* Ad quæ addit D. Bern: *Si tamen cognoverit nomen meum; ne sibi tribuat quod liberatus est, sed nomini meo det gloriam.* Ratio, inquam, est, quòd hic nihil sibi arroget, sed Deo adscribat omnia, omnemque honorem & gloriam in eum transfundat. Vnde suam timor Deus manum admovet, negotium hoc facit suum, atque in se suscipit, proque honore & gloria propria velut decertat. Verùm cum quis sibi suæque diligentiæ, industriæ, solertiæ præfidens, omnia arrogat sibi, & Deo derogat, nec non ea gloria & honore se effert, quæ Majestatis ipsius propria est; meritò sibi suæque debilitati relictus nihil efficere potest: nam teste Propheta, *non in fortitudine equi Deus voluntatem habebit, nec in tibiis viri,* (id est, quòd mediis diligentia & industria humana quis nitatur)

Ps. 90. 14 Serm. 15. super psal. qui habitat. Ps. 146. 10.

tatur) *beneplacitum erit ei, beneplacitum est Domino super timentem eum, & in eis qui sperant super misericordia ejus:* in iis scilicet, qui sibi universisque mediis suis diffisi, in Deo fiduciam suam ponunt; unde & his ipse opem & subsidium suum copiosissimè impertitur.

Cur De⁹ in nobis sinat sæpè imperfectiones inexpugnatas. Lib. de peccat. meritis & remiss. c.19.

3. Idcircò sanè Deum subinde sua dona & gratias differre, &, ut vitiorum aliquorum pravarumq; imperfectionum reliquiæ diu in nobis resideant, nec eæ umquam penitus debellentur aut exstirpentur, permittere, S. Augustin. disertè pronuntiat: *non ut damnemur, sed ut humiles simus; commendans nobis gratiam suam,* utque eam pluris faciamus; *ne facilitatem in omnibus assecuti nostrum putemus esse quod ejus est,* at illi omnia asscribamus: *qui error multum est honori divino religionis pietatisque* Christiano *contrarius.* Etenim si tam facilè ejus dona consequeremur, ea tanti non faceremus, ac quamprimum ipsi nobis persuaderemus, ea nos à nobis ipsis ac diligentia nostra parta habere. His suffragatur S. Gregorius, scribens in illa Iobi, *Ecce non est auxilium mihi in te, Plerumque,* inquit, *virtus habita, deteriùs, quàm si deesset, interficit: quia dum ad sui confidentiam mentem erigit, hanc elationis gladio transfigit: cumque eam quasi roborando vivificet, elevando necat: ad interitum videlicet pertrahit, quã per spem propriam ab interna fortitudinis fiducia evellit.* Multò certè nobis satius foret Dei donis carere, quã iis abuti, dum scil. iis superbimus, & multũ de nobis præsumimus, nobisq; ac viribus nostris atq; industriæ ascribimus ea quæ gratuitô donata, & à mera misericordia & gratia Dei profecta sunt. Atque hanc ob causam sæpenumerò sua nobis dona Deus denegat, & nostram nos imbecillitatem & impotentiam millies reipsa patitur in plurimis virtutem actionibus, magnisequè ac parvis experiri, ut non, quod volumus, facere possimus; quin & illam diu in nobis residere permittit: ut sic nos humiliare, nobis non præfidere, nihil etiam attribuere, sed uni ac soli Deo bonum omne asscribere discamus. Ac cum verè dicere ac cantare poterimus: *Arcus fortium superatus est & infirmi accincti sunt robore.*

Lib.7. Moral. c. 16. Iob. 6.13.

1. Reg. 2. 4.

Caput XVI.

De remedio ab oratione petendo: Ponuntur orationes aliquot jaculatoriæ, quibus tentationum tempore uti commodè liceat.

Quartũ remediũ est oratio.

I. MEdium ab oratione petendũ, semper nobis esse quàm commendatissimum debet: est quippe id valdè generale, nec non de præcipuis, quæ divina scriptura & sancti Patres hac in materia nobis suggerunt, quin & Redemptor noster Christus ore suo sacrosancto id in Evangelio nobis proponit: *Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem.* Nec verbo solùm, sed & opere, id nocte suprema vitæ pridie quàm pateretur, docere nos voluit, dum se ad atrox & cruentum illud certamen prolixa & longa oratione

Matth. 26.41.

comparavit. Non quòd isthoc ipse subsidio opus haberet, sed suo nobis ad idem faciendum exemplo præiret; Ioannes Abbas, Religiosum similem esse debere ajebat homini dextra manu ignem, sinistra aquam gestanti, ut in ardescentem ignem injecta frigida quamprimum exstinguat: ita & Religioso, cùm fœdarum & impertinentium cogitationum ignis in animo effervescere incipit, orationis aqua ac refrigerio illũ quantociùs opprimendum esse. Comparabat quoque Religiosum homini sub vasta quadam arbore sedenti, qui multos serpentes & feras, quos abigere viribus ipse suis nequeat, arrepere & imminere sibi conspicatus, protinus arbore conscensa sibi consulit; nam Religiosus, quamprimum ac tentationes ad se velut adrepere animadvertit, in sublimem orationis arborem evadere, & ad Deum confugere debet: ac sic in tuto erit, & à cacodæmonis laqueis ac tentationibus caput expediet. *Prov.1.17* *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.* Incassum diabolus tendet laqueos & pedicas, si volare, & per orationis alas in sublime nos librare noverimus. *Ps.24.15.* *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.*

Orationũ jaculatoriarũ usus, ex Sc. sac. eò maxime seruit.

2. In prima operis huius parte abunde est de hoc orationis medio à nobis disputatum: unde hoc loco nonnisi orationes aliquot jaculatorias, quibus tentationis tempore uti liceat, proferemus. Scatet id genus oratiunculis cum universus scripturæ Codex, tum verò vel maximè Psalterium. Cuiusmodi sunt hæ; *Domine vim patior, responde pro me.* *Isai.38.14* *Exurge quare obdormis Domine? exurge, & ne repellas in finem.* *Ps.43.23.* *Quare faciem tuam avertis, obliviseris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ? Apprehende arma &* *Ps.34.2.* *scutum, & exurge in adiutorium mihi:* *Ps.ibid.3.* *dic animæ meæ, Salus tua sum. Vsquequo Domine obliviscer is in finem? usquequo avertis faciem tuam à me? usquequo exaltabitur inimicus meus super me? respice & exaudi me Deus meus illumina oculos meos, ne umquam obdormiam in morte, ne quando dicas inimicus meus: Prævalui adversus eum.* *Psa.9.10.* *Factus es Domine refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus & tribulatione.* *Ps.56.2.* *Ps.62.8.* *In umbra alarum tuarum sperabo, & in velamento alarum tuarum exultabo,* adinstar pullorum, sub maternas alas confugientium cùm accipiter desuper imminet. Hac similitudine delectatus Augustinus, subinde Domino dicebat: *Psal.16.8.* *si non protegis me, quia pullus sum, milvus me rapiet.* Rursum, *Psa.67.1.* *sub umbra alarum tuarum protege me.* Inprimis in tentationib. utile erit usurpare principium illud psalmi 67. *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius.* Quoniã enim iis non propriam, sed Dei virtutem, objicimus, nobis inquam diffidimus, & divinæ Maiestatis opem contra eos invocamus; hinc mox in fugam aguntur & evanescunt, videntes illum pro nobis adversus ipsos decertaturum, & nostri patrocinium suscepturum.

Item ex suo affectu formatarũ.

3. Modò quidem per hæc aliaque id genus sacræ scripturæ verba, quæ particulari quodam pollent robore; modò per propria quæ præsens necessitas

cessitas suggerit (quæ etiam cum primis efficacia esse solent) hoc ad Deũ per orationem recurrendi remediũ, in praxin redigere & semper in promptu habere nos oportet. Vnde magnus ille spiritus magister Ioannes Avila dicere solebat: *Tentatio te, tu Deum*: id est, si tentatio te petat, tu vicissim pete Deum. Hinc Psaltes: *Levavi oculos meos in montem, unde veniet auxilium mihi; auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram*. Danda autem opera, ut hi clamores & suspiria non ore duntaxat nudè proferantur; sed ex intimo cordis affectu proficiscantur, juxta illud eiusdem Prophetæ: *De profundis clamavi ad te Domine*. In quæ verba sic S. Chrysostomus scribit: *Non dixit solummodo ex ore, neque solum modo ex lingua: nam errante etiam mente verba funduntur: sed ex corde profundissimo, cum magno studio, & magna animi alacritate, ex ipsis mentis penetralibus*.

M. Avila Ps. 120. 1.

Ps. 129. 1.

Homil. 1. super Psa. 129.

CAPUT XVII.

Alia duo contra tentationum media proponuntur.

De inter. domo c. 47.

Diabolus cuiusque naturam explorat antequã tentet.

1. DIabolus aliquem decipere volens, (ut accuratè S. Bernardus observat) ante omnia eius naturam, conditionem, naturalemque propensionem explorat, & qua illum parte maximè vergere & propendere videt, illa eum adoritur. Sic blandos suavesque aggreditur per tentationes carnales & vanæ gloriæ: asperiores verò & duriores incitat ad iram, superbiam, indignationem, & impatientiam. Idipsum & Magnus Gregorius similitudine ab aucupibus petita notat.

S. Gregor.

2. Vt enim hi ante omnia scire laborant, erga quod escæ genus aves, quas captare volunt, maximè afficiantur, ut sic eas facilius in casses pertrahant: sic primaria adversariorum nostrorum cura & studium est, nosse quibus res rebus maximè afficiamur ac delectemur, ut per eas nos irretiant, atque in animam nostram se insinuent.

Simile. Instar aucupis escas parat capiendi aviculo.

3. Sic Adamum tentavit & oppugnavit per mulierem, quòd eum nimiopere erga ipsam affici nosset: sic & Samson per eamdem machinã oppugnatus est, ut amicæ suæ problema declararet, & in quo robur Samsonicum consisteret, patefaceret, ipse namque ad instar versutissimi ducis circumit & summa diligentia explorat, quæ animæ nostræ pars debilissima sit, quæ in unoquoque passio prædominetur, necnon erga quod vitium potissimum propendeat, ut hac illum parte adoriatur.

Exempla.

4. Ad hoc ergo & nos reflectere, circa hoc versari omnis debet diligentia, quam à parte nostra adversus versuti huius hostis vafritiem nos adhibere oportet, videre, inquam quæ animæ nostræ pars debilissima, & à virtute minus instructa sit (qualis haud dubiè illa, ad quam vel naturalis inclinatio, vel passio, vel mala consuetudo maximè nos trahit) atque eò potissimùm vires præsidiaque conferre, & maiore cura ac providentia eam communire.

Imitemur itaque diligentiam obsessorum ab hoste.

Tentatio contraria virtute retundenda.

5. Alterum priori non dissimile SS. Patres, & magistri rerum spiritualium remedium adferunt. Tradunt ergo, velut regulam generalem, ut, cum ab aliqua tentatione exagitamur, quamprimum ad ei contrariam virtutem recurramus, ab eaq; præsidium & opem intuemur. Hac enim ratione & corporales medici morbis corporis solent mederi: quia contraria contrariis curantur. Hinc si ægritudo à frigore procedat, applicant calida: si à siccis, humida: & hoc modo pravi humores ad debitam temperiem & proportionem paulatim reducuntur. Eodem ergo modo nos animæ morbis ac tentationibus mederi & pellere oportet. Quem curandi modum etiam S.P.N. Ignatius nobis in regula nostra proponit: *Antevertere oportet*, inquit, *tentationes, adhibitis earum contrariis: ut cùm quis animadvertitur ad superbiam esse propensus, exerceri is debet in rebus abiectioribus, quæ ad humiliandum ipsum utiles futuræ videantur. Et sic de aliis pravis animæ propensionibus.*

Simili praxi medicorum.

3.p.Constit.c.1.§.13.& reg.14. Summar.

Caput XVIII.

Alia duo remedia cum primis efficacia proponuntur, nimirum principiis obsistere, & nunquam otiosum esse.

Alvar.li.1.p.3.c.10. tom. 2.

Principiis tentationū obsta.

1. ALiud rursus, efficax inprimis & generale, remedium hic nobis sancti Patres proponunt, videlicet, ut principiis obstemus. Quare consulto monet D. Hieronymus: *Dum parvus est hostis interfice, nequitia elidatur in semine*, succidatur in germine, ne, ubi adoleverit, minimè valeas. Tentatio quippe adinstar scintillæ est, quæ si initio non exstinguatur crescit, & ingens causatur incendium: nam, teste Ecclesiastico. *A scintilla una augetur ignis*, omnia absumens. Rectè perinde Poëta.

Eccl.11.34

Ovid.1. de remedio Amor.

Principiis obsta, serò medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluere moras.

Similitudinibus id declaratur.

Ps.136.9.

Cant.2.15

2. Quin & spiritus sanctus sub locutione metaphorica idem melius per Psalmistam nobis consulit, & beatum esse asserit, *qui tenebit & allidet parvulos ad Petram.* nec non per filium eius Salomonem: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* Cùm ergo tentationum vulpeculæ sunt parvæ, eum temerarium iudiciorum, suspicionum, superbiæ, affectiuncularum, amicitiarum privatarum, singularitatis, exemptionum cogitationes subrepere incipiunt; tunc ea sunt ad firmissimam Petram Christum, & ad eiusdem vitæ exemplum & considerationem elidendæ, ne exinde crescant, & animæ tuæ vineam destruant.

Non sensū sed cō sensum in potestate habemus.

Epist. ad Eustochium.

3. Impedire omnino non possumus, nullæ ut nobis tentationes & malæ cogitationes oboriantur; at beatus ille, qui primùm exorientes & enascentes noverit opprimere. Ita namq; hunc locum exponit S. Hieronymus: Permagni certè refert principiis obsistere, cùm hostis adhuc debilis est, & vix ullarum virium: tunc enim facili negotio ei resistitur, postea, quàm difficillimo.

4. Id

l. cont. concub. Similitudo ab ægrotorũ appetentia perversa petita.

4. Id eleganti declarat similitudine S. Chrysostomus. si ægrotus præposteram aliquid noxium comedendi appetentiam semel vincat, damnũ, quod inde sibi imminebat, effugit, & citiùs à morbo sanatur: at, si parvæ illi voluptatulæ satisfacturus, damnosam illam escam sumit, morbo ingravescente, ex eo vel demoritur, vel nonnisi ægerrime convalescit. Quod utrumque effugere haud dubiè potuisset, si initio modicum in gula & appetentia noxiorum refrænanda laborem suscipere voluisset. Simili modo si cui mala cogitatio aut desiderium oculos incaute conjiciendi surrepat, & is in principio se superet, vel visum refrænando, vel malam cogitationem quam primum à se moliendo; ab omni tentationis molestia & importunitate inde subnasci solita, nec non à damno, quod illi consensum præbendo incurrere posset, se liberum præstabit, at, si sub initium vim sibi non inferat, nec cohibeat; ob exiguam illam negligentiam, nec non modicam quam ex incauto aspectu & cogitatione cepit, voluptatulam, animæ postmodum mortem incurrit, aut saltem magnam in resistendo molestiam ac difficultatem experitur. Adeò ut, quod in principio parvo vel etiam nihilo ipsi constitisset, magno ei & caro postmodum redimendum sit. Vnde efficit & concludit S. Pater, quamplurimum valere principiis obstitisse.

Eccl. 11, 34. Ovid. l. de remedio Amor.

Similitudinibus id declaratur. *Ps. 136, 9.*

Cant. 2. 15

Non sensũ sed cõsensum in potestate habemus. *Epist. ad Eustochium.*

Vit. Pp. 1. p. 93. Exemplum.

5. Apparuit aliàs diabolus Abbati Pachomio in speciosæ mulieris formâ: quem cùm propter hanc malitiam, & calidam ad miseros mortales decipiendos versutiam vir Dei increpuisset, respondit malignus: non sibi sed ipsismet hominibus imputandos esse casus suos & ruinas. Si enim, ait, vos titillationibus nostris vel minimum aditum ac fenestellam aperire incipitis, mox majora incentiva ac faces ad magis vos ad peccatum sollicitandos, subjicimus: si verò vos in principio advertamus imaginationibus, quas objicimus viriliter resistere, nec ullum aditum concedere sentimus, ilico evanescimus omni conatu nostro in nihilum redacto.

6. Mirabiliter quoque pellendis & effugandis tentationibus deseruit, numquam otiari sed semper occupari. Refert proinde Cassianus priscos illos Ægypti Patres id, velut primam vitæ spiritualis regulam duxisse, ac quasi acceptam suis à majoribus traditionem observasse; discipulis quoque suis jugiter inculcare solitos: *semper te diabolus occupatum inveniat.* Quod & Dominus ipse S. Antonium docuit, &, tanquam singulare ad perseverandum in solitudine, & adversus tentationum impetus sese tuendum, suggessit remedium.

Aliud remedium est otium fugere.

7. Cùm enim continuò orationi non posset insistere, quòd subinde variis à cogitationibus inter orandum exagitaretur & divexaretur, & petiisset à Deo, referente S. Augustino, *Quid faciam, Domine? vellem esse bonus, sed cogitationes meæ non patiuntur*: vox ad eum delapsa cœlitus est: *Antoni si cupis placere Deo, ora: & dum orare non poteris, manibus labora, & semper aliquid facito: fac quod in te est, & non deficiet tibi auxilium de sancto.*

Confirmatur id Dei eloquio at exemplo.

serm. 17. ad Fra. in Eremo.

Alii

Alii verò ferunt apparuisse ei sub specie adolescentis Angelum, qui cùm paululùm manu fodisset, statim flexis genibus, & paulisper etiam manibus in cœlum elatis, orabat. Qua successiva agendi vicissitudine, idem ei significare volebat. fixum ergo maneat, *otium multarum tentationum malorumq; radicem ac seminarium esse: proinde permagni nostra interesse, ut semper nos cacodæmon occupatos, numquam otiosos inveniat.*

Caput XIX.

De tentationibus quæ sub boni alicuius specie se ingerunt: singulare contra quascumque tentationes remedium est, eas nosse, & ut tales ducere.

process.4. relig c.12. A boni specie etiam cave.

1. Notat S. Bonaventura aliam rem, esto communem, tamen maximè scitu necessariam & animadversione dignam. Nimirum bonis & virtutis perfectionisque sectatoribus, ut plurimum sub specie boni alicuius, cacodæmonem, in Angelum lucis se transformantem, insidiari consuevisse, ut sic eos incautos faciliùs decipiat. Venena ac toxica, ait Hieronymus, nonnisi saccaro, aut alio quopiam illecebroso electuario condita propinantur, ne percipiantur: auceps quoque laqueum suum & tendiculas illice semper esca contegit. Hoc & tartareo veteratori solemne est. *In via hac qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.* si enim virtutis amatoribus Deoque servire cupidis malum apertè & evidenter oggereret, ipsum quantocyus fugerunt, itaque omnem apud eos operam luderet. Vera proinde Sancti Bernardi vox est: *Bonus numquam nisi boni simulatione deceptus est.* Vaferrimus nimirum diabolus, & egregius decipiendi artifex est: novit qua quem via, qua arte aggredi oporteat: proinde ut melius quod intendit consequatur, admodum rectè & simulatè subrepit.

Hieron.

Ps.141.4.

ser.66. in Cantica.

Cacodæmonis vafrities remonstratur, incipitã bonis desinit in malis.

2. *Primò* quidem, (ut Sanctus Bonaventura observat) proponit ea quæ ex se bona sunt; quæ mox malis permiscet, exinceps falsa bona, & vera mala suggerit. Cùm verò quem ita laqueo constrictum & vinctum habet, ut nonnisi quàm ægerrimè se inde expediat; tum demum apertè virus suum exerit, atque ad manifesta peccata illum pertrahit: scorpionem imitatus, qui quidem facie allicit ac blanditur, in cauda verò venenum, quo necat, abscondit. Quot, eheu! ait idem deplorans, sub falso pietatis ac spiritus colore cum nonnullis personis amicitiam ac familiaritatẽ contraxere, rati omne id negotium Dei ac spiritus causa suscipi, & in mutuũ animarum bonum conversationem illam cedere (& forsan initio revera talis erat) attamen deprehensum est sæpe, aliud non fuisse, quàm mera cacodæmonis vafrities ac stratagema, de quo in præsenti hic tractamus.

2.Cor.2.11. Gradus per quos sæpe vir bonus seducitur.

3. *Non enim ignoramus cogitationes eius*, ait Apostolus, illius inquam exitum & introitum. A bonis quidem incipit initio; at mox inde sequuntur diuturnæ cõfabulationes, & prolixa colloquia, modò quidem de Deo rebus-

rebusque divinis, modò de amore illo quo in se mutuo feruntur: mox ad munuscula amoris hujus tesseras, & mutuæ recordationis monumenta devenitur: *quæ*, (ut Sanctus Hieronymus notat) *sanctus amor non habet*, sed amoris non sancti indicia sunt: Jam tunc ecce diabolus mala bonis permiscet. Exinde succedunt falsa bona & vera mala. Hoc igitur modo tum hoc in vitio, tum aliis multis, veterator ille plurimos mortalium decipit, dum virtutis integumento illa obvelat, ut quidnam à parte rei sint, non intelligatur, nec percipiatur.

Ep. 2. ad Nepotianum.

Proditores imitatur dæmon.

4. Perinde ac proditor facit dæmon, qui amicitiam alicujus ambit, ut, cùm in ejus se gratiam ac familiaritatem jam insinuavit, postea incautum fraudulenter obtruncet: sicut Joab Amasam, fingendo ejus amicitiam, confodit, & Judas Redemptorem Christum osculo & signo pacis præbito vendidit atque inimicis tradidit. Quare à tentationibus sub boni larva se oggerentibus quàm maximè nobis caveamus, & omnem in partem excubemus oportet, ne quam in fraudem incauti & improvidi pertrahamur: eo quippe sunt periculosiores tentationes, quo occultiores & minùs notæ.

2. Reg. 20. 9. Luc. 22. 48.

Imò meridianos grassatores.

5. Quare non immeritò petiit Psaltes liberari *ab incursu & dæmonio meridiano.* Neque enim dæmoni satis est *transfigurare se in Angelum lucis*, ut loquitur Apostolus, sed & in lucem meridianam se transformat, efficiendo ut, quod obscurum & tenebrosum est, lucidissimum & splendidissimum appareat; ac persuadendo nihil esse magnopere pertimescendum, nullum subesse periculum, sed apertè bonum esse id quod evidenter malum & ex se admodum periculosum est.

Ps. 90. 6. 2. Cor. 11. 14.

Etiam fures meridianos.

6. Sunt fures & manticularii nonnulli, qui tam se splendidè ac superbè vestiunt, ut à nemine timeantur, nec in suspicionem tantæ nequitiæ ullam utpote tam sericati & honesti homines (prout quidem deforis apparent) veniant, donec in flagranti delicto deprehendantur. Ac tum omnes mirabundi dicunt: Prô quis umquam de hujusmodi hominibus tale quid sperasset, aut cogitasset? Eodem modo se res habet in tentationibus quæ alicujus virtutis & bonitatis imagine cohonestantur.

Aliud remediũ. Noscenda tentatio est, ut vincatur.

7. Communis est SS. Patrum, & spiritualis vitæ informatorum doctrina, insigne esse adversus omnes tentationes remedium, nosse, id à quo oppugnamur, meram esse tentationem; perinde ut plurimum confert ad ab hoste sibi cavendum nosse eum hominem, quem videmus, nobis hostem esse, quomodo etiam superiùs ostendimus, efficacissimum ad omnigenas tentationes exsuperandas medium suiipsius cognitionem esse.

Tr. 1. c. 11

Quantæ efficaciæ sit dictũ remediũ

8. Hujus medii energia & robur vel hinc colligi potest: si, ingruente tentatione, vel motu & appetitu ali quo malo insurgente, terribilem & horrendum aspectu coram te dæmonem cerneres, qui tibi, id ut agas, persuaderet, quid facturus esses? haud dubiè quamprimùm crucis signo efforma-

formato, nomen Jesu invocares, imò nullâ re aliâ ad intelligendum id meram imposturam ac tentationem esse, ac proinde id fugiendum, opus foret, quam nosse ipsum esse dæmonem qui ad hoc te inducere procurat. Atqui in qualibet tentatione ejusmodi nequam spiritum nobis adstare, in confesso est.

Sed & Angeli custodis memoria juvat.

9. Valdè quoque hoc remedium corroboratur ex eo, quod quisque nostrum etiam Angelum tutelarem sibi jugiter adstantē habet, juxta illa Redemptoris verba: *Videte ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est.* Quæ verba S. Hieron. sic exponit: *Magna dignitas animarum, vt unaquaq; habeat ab ortu in custodiam & curam sui Angelum deputatum.* Perinde ac vir aliquis princeps filio suo dilectissimo pædagogum ac moderatorem consignat, à quo custodiatur, & bonis moribus informetur: sic pientissimus Deus tanto nos amore & affectu complectitur, tantique facit, ut singulis nostrum Angelum ceu moderatorem attribuerit.

Matt. 18. 10. su. Mat. ita sentiunt SS. Patres & graves DD. apud Ioann. Maldonat. in illu S. Mat. Gab. Vasq. in 1. p. S. Tho. to. 2. disp. 245. cap. 2.

Dæmon solum tentationes excitat.

10. Sed (ut ad propositum redeamus) omisso Angelo custode unusquisque nostrum adversantem sibi habet dæmonem, qui nos ad malum omni contentione impellere procuret, cuique hoc unum situm est, ut malas cogitationes & deteriores etiam motus in nobis excitet, atque ad hoc commodum, nunquam non occasionem & opportunitatem captat, utpote semper vigilans, numquam dormiens atq; in hanc rem inclinationem & propensionem nostram, & qua re quisq; magis capiatur, explorat, ut isthac nos aggrediatur & tentet, carne & sensualitate nostra, velut armis, ad nos oppugandos utens. Vnde alias satanæ dixit Deus, *Numquid considerasti servum meum Iob?* utpote qui semper illi immines, ut ad malum sollicites. De hoc quoque intelligendus est Vates Regius, dum canit, *Diabolus stet à dexteris ejus.* Adeò ut juxta nos Satanas semper obambulet, & ubivis circumstet.

Iob. 1. 8.

Ps. 108. 6.

Praxis hujus remedii de agnoscenda tentatione.

11. Quapropter cum sinister aliquis motus aut cogitatio te ad peccandum imperfectionemve aliquam committendam incitans, sollicitabit tibi persuadeas velim, hanc esse cacodæmonis tentationem, crucis signo pectus communias tibique caveas, perinde ac Satanam ipsum coram videres, & apertè dicentem, tibi audires, ut tale quid perpetres.

Exemplum. Duel. l. 2. c. 25.

12. Rei huic illustrandæ deservit quod Sancto Benedicto in monacho quodam contigisse refert S. Gregorius: Huic circa vocationis propositum mirè divexato, videbatur quòd Religionis austeritatem ferre non valeret, unde ad sæculum redire decrevit. Quam ille tentationem cùm S. Benedicto sæpiùs declarasset, is meram Satanæ dicens esse illusionem, pro rei necessitate quid facto opus esset consuluit. Quod cùm jam sæpè contigisset, sed incassum monacho ad sæculum revertendi facultatem sibi fieri instantissimè postulante; S. Pater die quadam nimietatis ejus tædio affectus, discedendi copiam fecit, vestesque sæculares adferri

ferri jussit. Nihilominus, quia pater erat, pro eo ac debuit, graviter hunc discessum tulit, proeoque Dominum cœpit rogare. Qui mox ut monasterio egressus est, immanem aperto ore contra se procurrentem draconem conspexit: qui cùm eum devorare vellet, cœpit ipse tremens & palpitans, magnis vocibus inclamare, *Succurrite, succurrite fratres, quia draco iste me devorare vult.* Accurrentes autem monachi draconem quidem nullum viderunt, sed trementem ac palpitantem monachum ad monasterium reduxerunt. Qui reductus ilico votum concepit nunquam à monasterio recedendi, in quo etiam ad extremum usque vitæ perseveravit: unde nec exinde ab hac tentatione fuit divexatus. Notat autem eo loco S. Gregorius, ipsum sancti Patris Benedicti orationibus, devorare parantem draconem, palam conspexisse, quem priùs non videbat, ac proinde tunc vocantem sequebatur, quia eum nec ut draconem, nec ut dæmonem habebat, at postquam vidit & agnovit, clamare & subsidium fratrum, ut ab illo eorum operâ expediretur, implorare cœpit.

Iob. 1. 9.

Psal. 108. 6.

Praxis hujus remedii de agnoscenda tentatione.

Exemplum. *Duel. l. 2. c. 25.*

Conclusio capitis.

13. Quare non est hæc, vana imaginatio, nec nuda quædam speculatio à cerebro nostro conficta, sed ipsissima veritas, scil. solum à dæmonibus omnigenas tentationes adversum nos excitari. Quamobrem non injuria Apostolorum princeps Petrus, tanquam sollicitus pastor, ejus rei nos commonet, (cujus & S. Mater Ecclesia quotidiè nobis memoriam refricat) tamquam rei quæ magni sit momenti: *fratres, sobrii estote, & vigilate: quia adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide*, nec ab illius vos dolis, technis, & suggestionibus inescari ullatenus ac seduci sinit, &c.

in Completorio.

1. Pet. 5. 8

CAPUT XX.

Quomodo nos in malarum ac spurcarum cogitationum tentationibus gerere debeamus: quodque in illis adhibendum remedium.

1. ADvertendum hic primò, esse nonnullos, qui nimium quantum affliguntur & animo anguntur, cùm à malignis se cogitationibus, blasphemis, vel contra fidem, vel etiam carnalibus & inhonestis infestari vident: adeò ut se usquequaque à Deo derelictos & oblivioni traditos, & illius gratia excidisse credant, quod tam horrifica animo & cogitatione volvant, qui sanè insignis est error.

Malę cogitationes non sunt signũ disgratiæ Dei.

2. Monachum quendam solitariæ vitæ in vasta eremo sectatorem fuisse refert Joan. Gerson, qui viginti ipsos annos à blasphemis spurcisque cogitationibus fuerat impetitus, tamen hactenus nulli tentationem illam aperire ausus fuerat, quòd quicumque inaudirent, quasi ob rem hactenus nec visam, nec auditam, scandalizandos existimaret. Evoluto tandem viginti spatio annorum, Religioso cuidam ætate & longo rerum usu

3. par. fol. 71.

Exẽplo id ostenditur.

venerabili, quem ea de causa adiit, eam non ore, ob verecundiam, sed scripto detexit. Quo lecto, senex ridere cœpit, & monachum jussit manum suo capiti imponere. Quo facto, ait super caput meum accipio totum istud peccatum tuum, & omne pondus eius: non est ergo quòd tu exinde eiusve causæ angaris. Obstupescens monachus; *Qui sic*, ait, *Pater*? Iam tum mihi in tartara videbar descendisse, & tu me securum esse jubes? Petit proinde senex: Placuitne tibi umquam turpis ista cogitatio? *Minimè gentium*, infert ille, *at summopere displicuit, magnæq; mihi afflictionis fuit occisio*. Hinc ergo patet (retulit bonus Pater) te hoc non tam egisse, quam invitum passum esse, antiquo hoste per illam te in desperationis barathrum dejicere machinante. Nunc ergo fili mi, audi consilium meum, & si te iterum invaserit talis turpis cogitatio, dic: *Tibi, & super te, inimice, nequam, sit hæc tua blasphemia, & sordida cogitatio: ego nullam habere in ea partem volo, sed credo & recipio quidquid S. Mater Ecclesia credit ac recipit, & vitam impendam potiùs quàm Deum meum offendam*.

Tentationes celare quam sit molestum.

3. Hoc pacto monacho facta medicina nec huiusmodi eum umquam exinde impetiit tentatio. Notandum hic obiter, in gratiam illorum qui ob eam, quam in patefaciendo experiuntur verecundiam, tentationes manifestare detrectant, longè esse gravius ac molestius reticere, quàm superiori declarare, uti suo loco fusiùs ostendetur. Viginti per annos monachus ille summa cum afflictione & angustia est conflictatus, quòd tentationem aperire non auderet; qua demum detectâ, quieti & tranquillitati redditus est. Quantum ille laboris redemisset, si, quod post vigesimum annum evolutum fecit, fecisset initio! Non est igitur novum aut mirum ab huiusmodi tentationibus aliquem divexari.

3. p. tract. 7. c. 6.

Cogitationes inhonestæ non sunt repellendæ corporum motibus.

4. Superest nunc exponamus, quomodo in id genus tentationibus fœdis & abominandis nos gerere debeamus. Nonnulli certè quomodo eas debitè à se propulsent, nesciunt: magnam enim sibi vim inferunt, miroque corporis annisu cogitationes illas illicitas à se repellere contendunt, modò sibi tempora constringendo, modò frontem corrugando, modò caput agitando, modò oculos occludendo, quasi dicere velint: hac non intrabitis. Interdum quoque nisi aperta voce dicant ac respondeant, *Nolo*, consensum præbuisse se putant. Hi profectò insolitis his motibus plus sibi officiunt, quam officeret forsan tentatio.

2. Reg. 26. 14. Simile aptum.

5. Non absimiles sunt illi Abnero, qui Regi Sauli dormienti adstans probe, alta voce increpabat illum qui eminus & longe in alio monte positus, altum clamitabat, quasi Regis quietem interturbaret: *Quis es tu qui clamas & inquietas regem*? O Abner; Tu teipsum inquietas & turbas domi, & conquereris quod tentatio tibi deforis molesta sit. Diligenter hoc punctum notari velim, quod hac re multi, præsertim scrupulosi, sibi caput & cerebrum fatigare soleant. Neque enim aut orationis assiduitas, aut

exer-

Tentationes fœdæ contemptu practicè abigendæ sunt.

Vti castelli allatrantes.

Vel pulvis infestans.

Imo quò fœdiores eo minus per gra-

exercitiorum spiritualium intensio caput obtundunt, ac sanitatem destruunt, sed scrupuli & modica discretio. Hoc nimirum versutus ille veterator tartareus spectat: novit enim te à consensu in tentationes esse quàm alienissimum, nec sanè modicum, imò luculentum hinc sibi fructum elicit, cum vel hunc elicit. Non est ergo negotium id huiusmodi, ut magna ad hoc cerebri contentione ac fatigatione opus sit.

Cogitationes inhonestæ non sunt repellendæ corporum motibus.

Tentationes fœdæ contemptu practicè abigendæ sunt.

6. Quo ergo modò id genus tentationes repellendæ & abigēdæ sunt? Concors Sanctorum Patrum vitæq; spiritualis magistrorum doctrina est, ad eas repellendas nulla opus esse cōtentione, cerebrum torquendo aut fatigando, aut ullam immaginationi vim inferendo, sed eas contemnendo. Atque hoc ipsum similitudinibus aliquot declarant, quæ tametsi obviæ & quotidianæ, rem tamen scitè declarant. Catelli siquidem prætereuntem allatrent, & is nihil eos moratus ulteriùs progrediatur, nec respiciat, ilicò, tacent & abeunt: at, si resistet, ac conversus eos abigere curet, iterum allatrant: Ad hunc planè modum se in hisce cogitationibus res habet. Remedium ergo sit, eas nihili facere; itaq; te citiùs ab iis expedies. Vel certe imitemur oportet eos, quibus per plateas incedentibus exsurgens repentè turbo multum pulveris in faciem inspergit: qui hunc contemnentes, & oculos tantummodo occludentes, viam suam pergunt.

Uti catelli allatrantes.

2. Reg. 16. 14. Simile aptum.

Vel pulvis infestans.

Imo quò fœdiores eo minus periculosæ.

7. Quin, ad maius eorum, qui ab hoc tentationum genere infestantur, solatium, utque hoc remedium usurpare tandem in animum inducant; notant iidem Patres ac Doctores, has cogitationes, quantumlibet etiam fædæ ac malæ sunt, nihilo seciùs esse contemnendas: imò quò peiores, eo minoris faciendas, utpote minùs periculosas: Essene possunt deteriores, quam ut contra Deum ac sanctos, contra fidem ac religionem sint? Hæ autem sunt minùs periculosæ: nam quanto deteriores, tanto sunt per Dei gratiam à voluntate & consensu tuo remotiores. Unde non est quod te aut crucies, aut angaris, quod hæ tibi oboriantur: nulla quippè in eo subest culpa, nec in tua id est manu: nec tam ipse quid in eo agis, quàm invitus pateris, quia hac via te dæmon satagit vel ad pusillanimitatem, vel desperationem, vel inordinatam quamdam tristitiam affl. ctionemve pertrahere.

Etiam Dei periculosæ sunt.

Exemplum.

8. S. Catharinæ Senensi, quadam die ab huiusmodi tentationibus valdè exagitatæ, & proptereà valdè dolenti, apparuit tandem sponsus eius Christus Iesus, ad cuius adventum omnes illa nebula derepentè disparuerunt. Apud quem illa peramanter expostulans ait: *ubinam eras Domine; cùm hæc & illa corde & animo agitarem?* Cui Christus: In medio cordis tui eram, filia. Tum illa: *Tu ne Domine Iesu, inter tam spurcas & abominandas cogitationes versari?* Cui Dominus vicissim: Dic mihi filia, ait, hæne tibi cogitationes placuerunt: *Imò verò* (respondit virgo) *ad animam usque me consauciarunt, ut nesciam quid non præ illis pati malim.* Rursum Dominus, quis fecit autem, ut hæ tibi displicerent,

rent, nisi ego qui in corde tuo residebam? Adeò ut, quantumvis spurcæ & nequam tuæ sint cogitationes, dummodo iis non delecteris, sed cōtrà crucieris & affligaris, adeò te Deus non deseruerit, ut hoc etiam ceu certissimam illius in animo tuo habitantis tesseram & argumentum capere possis. Ipse enim est, qui hanc peccati detestationem, ac Dei amittendi timorem in te causatur. Dicit enim per Prophetam suum: *Cum ipso sum in tribulatione.* Adhæc, medias inter spinas, rubum, & ignem apparuit Moysi.

Ps. 90. 15.

Exod. 3. 2.

9. Mellita ad hoc propositum S. Bernardi verba sunt: *Molesta est lucta, sed fructuosa: quia si habet pœnam* & laborem, *habebit & prœmium & coronam. Non nocet sensus, ubi non est consensus, imò quod resistentem fatigat, vincentem coronat.* In quorum confirmationem Lud. Blosius scribit, eum qui vel semel dumtaxat vana sui complacentia delectatur, deformiorem in Dei oculis reddi, quàm si ad multos annos id genus motus, & incidentias etiam pessimas, sentiret, modò illis assensum deneget. Idcircò non est quòd expostules, aut id genus sensus ac cogitationes magni facias; sed ita in iis te geras oportet, tanquam si per alium quempiam, non verò per te transirent, ac meritò existimare potes, eas (ut quidam Sanctorum ait) extra te fieri: nam in tantum cogitationes malæ intra te peraguntur & sunt, in quantum iis voluntas assentitur, nec ampliùs: quibus *dum assensum non prœbuisti, nondum in domum tuam intrarunt, sed foris stantes intromitti postulant, & ostium quodammodo pulsant:*

De interiori domo c. 19.

Solatium pro his qui abominādas imaginationes patiuntur ex SS. PP.

In specul. spirit. c. 6.

10. Notant prætereà vitæ spiritualis magistri, rebus istis permultum angi, eas primiopere timere, ac magni ducere, adeò non bonum esse, ut etiam noxium sit atque in primis damnosum, quod hac ratione tentatio adaugeatur, dum spes & confidentia vincendi amittitur. Id quod tum ipsa experientia, tum naturalis ratio clarè demonstrant: nam (ut Philosophi docent) metus suscitat imaginationem; & assidua rei cuiuspiam cogitatio, consideratio, & ponderatio altiùs ac profundiùs rem objectam memoriæ infigit. unde fit ut tentatio increscat ac valentior evadat.

Timere tentationes, noxium est.

11. Quemadmodum per trabem aut tabulam angustam humi positam intrepidè ac securè quis incedit; at, si eadem sublimi aliquo in loco ponatur, per timorem fit, ut tam intrepidus per eam, jam non transeat, sed cum magno cadendi periculo: quòd enim timor sanguinem omnem ad cor revocet, itaque membra extima potentia ac vigore suo quodammodo destituantur, titubat, non sine lapsus periculo trabem transit, imo labitur. Idē facit & timor & pusillanimitas in tentationibus: quare non est, quòd eiusmodi res nimiopere formidemus, aut magni faciamus, sic enim fiet ut citiùs oblivioni tradantur.

Simili declaratur, quomodo metus tentationes augeat.

12. Vbi tamen Gerson & alii solerter advertunt, quamvis nimius ille timor particularis tunc bonus non sit, nihilominus peccandi timorem generalem cumprimis salutarem & utilem

Bona cautela in concemptu tentationū adhibenda.

Mens bo[...] na aliqua cogitatione divertenda est, ad res alias.

utilem esse, petendo universum à Domino: *Ne me permittas Domine, umquam separari à te*; excitando quoque actus quosdam internos, quibus millies mori, præoptemus, quàm vel unum mortale crimen consciscere; nihil interim de tentatione, qua tum pulsamur, in particulari cogitando vel recordando.

Mens bona aliqua cogitatione divertenda est, ad res alias.

13. Iis quæ dicta sunt, aliud à Sanctis Patribus maximè laudatum & commendatum, punctum adjungam, quod simul universale adversus omne tentationum interiorum genus remedium erit. Nimirum, ut, cùm sinistra aliqua & impertinens cogitatio menti obversabitur, protinus animum alia salutari bonaque consideratione & cogitatione aliunde accersita divertere studeas, puta mortis Domini in cruce susceptæ, aut alterius similis: ita tamen ut nullam imaginationi vim inferas; non anxiè conquereris, non cerebrum fatiges; sed te ipsum duntaxat sinistræ cogitationi subtrahas ac velut suffureris, & alteri salutari recogitandæ applices. Ad eum planè modum, quo si quis gravioribus negotiis occupatus, ab alio quopiam compelletur; qui esto alter loquatur, non desinit interim quod agit agere, nec nisi admodum obiter ad ea quæ dicuntur attendit. Vel ad eum modum quo vir prudens & serius, si quando ineptias & nænias prolixas nugivendulus quis auribus eius oggerit, eas non moratus, caput aliò obvertit, nec respondere ad eas, nec omnino animum advertere dignatus. Quæ tentationibus, eiusmodi resistendi ratio optima sanè est, facillima simul & securissima. quamdiu enim animus bona illa cogitatione occupabitur, in malam consensum non præbebit.

Maxime ad eas res quæ solēt animum tuum valde trahere & affectuose occupare.

14. Cui rei mirificè deserviet, si quis inter meditandum considerationes quasdam quæ eum maximè movere solent, profundiùs & altiùs ruminet, easque sibi familiares reddat, ac penes se possideat, ut, cùm à tentationibus quibusdam & fœdis cogitationibus divexabitur ac pulsabitur, illic quamprimùm oportunum perfugium inveniat. Vnde consultum fuerit, hunc in úsum aliquot, velut asyla & refugii, loca unumquemque habere, ad quæ, similes ad angustias redactus, velut ad sacra loca homicida, confugiat. Nonnulli proinde, intra sacra Christi Domini vulnera se recolligunt, ac præsertim intra vulnus lateris, ibique *in foraminibus petræ, in caverna maceriæ*, tutissimi velut in asylo delitescunt. Alii mortis judicii extremi, vel inferni recordatione eas à se abigere conantur. *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus.* Quisque autem id deligat & apprehendat, quod sibi utilissimum, ac quo plus se affici senserit; detque operam ut harum materiarum aliquam profundè penetrarit, sibique familiarem fecerit, ut simili in tempore ad eam facili negotio recurrere, ibique expeditum accessum, & securum asylum invenire possit.

Can. 2. 14.

Iob 14. 13.

Lib. de gēma animæ. Exemplum.

15. Abbas Smaragdus rem non illepidam, uti nec inutilem, ad hoc propositum commemorat. Vidisse aliquan-

aliquando nescio quem Religiosum, dæmones duos inter se fabulantes: & horum alterum petiisse. Quomodo tibi res cum illo monacho succedit? respondisse verò socium: Optimè & ex sententia. Nam cùm aliquam ei cogitationem ingero, continuò subsistit, eam identidem versat, & longam super eam reflexionem facit, inquirendo scil. *Qualis fuit illa cogitatio? diu ne ei inhæsi? aliquamne in ea culpam contraxi? restitine pro eo atque oportuit? an consensum in eam dedi? undenam illa ortum habuit? aliquane mea hic intervenit culpa? num quod potui, in resistendo feci?* Hacque ratione misello cerebrum turbo, & ad insaniam propè redigo. Optimè ergo diabolo succedit res tunc, cùm quis in tentatione rationes excutit, & interrogando respondendoque, pro & contra se argumenta depromit: nam non deerunt illi, quas ex adverso opponat, rationes & replicæ. Tum alter querulus: Pessimè res mea cum meo monacho se habet: nam simul ac sinistram cogitationem ei injicio, ad Deum recurrit, aut alia meliori eam dissipat, aut de loco exsurgens aliis se rebus honestis occupat, ut hanc meã suffocet & contemnat, itaque nihil apud eum promoveo, nec aditum invenio.

15. Optima ergo hisce tentationibus & cogitationibus resistendi ratio est: nullum iis ingressum concedere, non responso eas dignari, nec cum iis disceptando in contentionẽ venire; sed caput ab iis avertere, & quasi tergum obvertere, easq; flocci pendere. Tunc porro id erit melius, cum, dum illis tergum obvertitur, & non auscultatur, simul caput ad bonã aliquam sanctamq; cogitationẽ convertitur; uti ante paulò faciendum monuimus. Cùm ne hæc quidem sufficiunt, consuluerim, externum aliquod opere inchoare, ut eo animusque divertatur.

Caput XXI.

Pro differentia tentationum differenter iis resistendum est.

Collat. 19 c. 16. & lib. 6. de instit. renunt. De reform. c. 3. & process. 4 relig. c. 1. Quomodo cum illis cõgrediendum, hę fugiend sint.

1. IOannes Climacus de discretione loquens, docet diversos esse tentationibus resistendi modos, idque pro illarum varietate & differentia. Sunt enim vitia nonnulla ex se fastidiosa & molesta, qualia sunt ira, invidia, rancor, odium vindictæ, appetentia, impatientia, indignatio, cordis amarities, tristitia, pertinax contestatio, & alia id genus. Sunt viceversa alia, quæ recreationem & delectationem involvunt: talia sunt omnia peccata carnalia ut edere, bibere, ludere, ridere, confabulari, aliaque sensualia oblectamenta & voluptates.

Cap. 26. Vitia alia gravant, alia illecebrosa sunt.

2. Et verò quo posterioris generis vitia magis tractamus, in eaque oculos fixiùs defigimus, hoc ea amplius animum attrahunt, ac post se abripiunt. Vnde contra ea nonnisi fugiendo nos pugnare vult, id est occasiones eorum declinando, atque oculos mentem memoria quantociùs ab iis avocando: at cum prioribus conferta manu cominùs decertare, id est, eorum naturã, malitiam fœdita-

Quedam vitia fugiendo, quædam decertãdo sunt superanda.

fœditatem considerando, ad eam facilius superanda quod eo minori fit cum periculo, quo minùs viscosa sunt, minusq; nobis adhærẽt. Quamquam in tentatione ad iram ac vindictæ appetentiam, necesse quoque esse dicat, se subducere, nec iis quæ ad eam incitare nos queant, recogitandis multum immorari.

Collat.19. c.16. & lib. 6. de instit. renunt. De refor. c.3. & process. 4. relig. c.12

Quomodo cum illis cõgrediendum, hęc fugienda sint.

3. Hanc ipsam doctrinam Cassianus, nec nõ D. Bonaventura tradunt, docentque, quod ad prioris generis vitia attinet, licere desiderare aliquam contra illa decertandi occasionem nobis offerri, quin & cum laude ultrò eam conquirere, ut sunt, cum iis qui nos persequuntur & injurii sunt, conversari, loqui, & agere, ut hoc modo patientiam discamus: adhæc eis nos subjicere, qui omnibus in rebus voluntatem nostram mortificent, ut hoc pacto obedientiam & humilitatem exercere assuescamus. At in sensualibus & carnalibus vitiis indiscretionem, temeritatem, & periculi neglectum saperet, id genus tentationes desiderare, aut in earumdem occasiones se ultro præcipitem dare. Unde nec Redemptor Christus ab ejusmodi, tentationibus se tentari passus est, ut suo nos exemplo doceret, non esse in hoc periculum nobis ultro prævolandum, quamvis majoris præmii ac triumphi spes affulgeat. est enim id peccati genus homini cumprimis innatum & connaturale: & quoniam tantum ei voluptatis adnexum est, non in voluntate solùm & mente, sed & corpore; hinc faciliùs in animam irrepit, irreptioque ejus damnosior est.

Simile à civitate habente rebelles.

4. Egregiam rei huic declarandæ similitudinem adfert S. Bonaventura. Quemadmodum, si inimicus in civitate quam obsidione cingit, aliquos civium sibi faventes habeat, faciliùs eam ad deditionem cogit: sic Satanas juratus adversari⁹ noster habet intra nos, qui sibi hac in tentatione nimiũ quantũ faveant, corpus inquam hoc nostrum, ob nimiam quæ inde in ipsum redundat voluptatem, juxta illam Apostoli sententiam. *Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est.* Et reliquis peccatis nõ tanta in corpus voluptatis pars derivatur; at ex hoc permagna: ideoq; cumprimis necesse est occasiones quaslibet devitare, & omnes illarũ rerum, cogitationes & imaginationes, quæ nobis obveniunt, quamprimum divertere, & summa cum diligentia abigere. Unde & eodem loco Apostolus mox subnectit; *fugite fornicationem.* Fugiendo scilicet & declinando tentatio carnalis oppugnanda & exsuperanda est. Atque hoc modo Cassianus & D. Thomas hunc Apostoli locum exponunt.

1.Cor.6.18.

1.Cor.6.18.

1.part.lib.6.c.38. Chronic. Minor.

Vnus modus resistendi carnis tentationibus.

5. Conferebant aliquando inter se de rebus spiritualibus FF. Ægidius, Ruffinus, Simon de Assisio, & Juniperus. Sermone aliquousque protracto, Ægidius tandem ex iis percunctatus est; quo pacto, fratres, contra carnales tentationes pugnatis, ac carni resistitis? Respondendi partes assumens Simon, *Ego,* inquit, *peccati hujus fœditatem ac turpitudinem ad animum revoco, quamque id non in oculis Dei solùm, sed & hominum detestabile & exosum sit*

sit considero: quantumcumque enim hi scelesti & vitiosi sunt, tamen tale quid admittere meditantes, latebras captant, nec ab hominum ullo videantur. Hæcque cogitatio magnũ vitii illius in me odium atque abominationem excidat, itaque tentationem haud difficulter eludo.

Alius modus.

6. Tunc Ruffinus, ego verò, ait in terram provolutus, & in lacrymas totus effusus, misericordiam & opem tum Dei, tum beatissimæ Virginis tamdiu supplex deposco, usquequo ab hac tentatione liberatum me videam.

Tertius modus.

7. Ast ego, inquit Juniperus, cum has diaboli faces mihi subjici sentio, eumque in sensûs carnis sese insinuantem percipio, quamprimum eo ipso momento cordis januam occludo, validumque sanctarum meditationum piorumque desideriorum, ad ejusdem custodiam, præsidium circum secus excubare jubeo; & cum jam hostiles illæ suggestiones ad ejus januam pulsantes intromitti petunt, ergo ob intus respondeo, nullatenùs tamen iis fores aperiens; *Abite, abite, procul hinc facessite, diversorium jam occupatum est; atque ideò hic intrare non potestis*: sic malignæ huic turbæ semper introitum nego: tunc ipsa confusa & victa quantociùs se subducit.

Atque is est optimus.

8. F. Ægidius tandem, singulis auditis, subjungit. Equidem Fr. Junipere, tecum sentio, hoc quippe cum vitio melius pugnatur fugiendo. Apparet ergo optimum tentationibus carnalibus resistendi modum esse nullum penitus in animã aditum malignis cogitationibus concedere nec permittere ut isthæc tentatio ullum penes nos locum inveniat: hoc quippe omnium factu facillimum. At si vel semel pravæ illæ cogitationes in animum se insinuent, nonnisi quàm ægertrimè inde poterunt effugari. Facili negotio à porta & ingressu hostis arcetur; ast semel illâ occupatâ, vix summo annisu inde expelletur.

9. Verum alio in loco uberiùs tum de isthoc tentationis genere, tum de remediis adversus eam *adhibendis differendi locus erit*: quæ simul & in reliquis tentationum generibus usui nobis esse poterunt.

p. 3. tract. de castitate. Vide plura remedia.

Caput XXII.

Quidnam magni momenti monita, tentationum tempore usui nobis futura.

1. MUlta quidem hactenus adversus tentationes remedia suggessimus quantũlibet tamen multa afferantur, dici nequeunt omnia. Nam quemadmodum corporales infirmitates, earumque remedia tot tamque diversa sunt, ut omnia scripto committi exponique commodè non possunt; sed plurima periti medici arbitrio judicioque relinquenda sint, qui pro ægroti necessitate ac conditione, ac prout particulares necessitates requirunt, remedium, quod sibi convenientissimum videtur, applicat: ita & de spiritualibus morbis censendum est.

Vt morbi multi, ita vitia: & ut medicinæ variæ esse remedia co monita.

2. Qua de causa SS. Patres, ac rerum spiritualium doctores, generale & pri-

1 monitũ Catholicum seu

generale remediũ est manifestare se

3. part. tract. 7.

& primarium adversus quascunque tentationes remedium præscribunt, earum medico spirituali manifestationem ac detectionem. Verùm, quoniam ea de re copiosiùs & ex professo in tertia tractaturi sumus parte, idcirco unam hic dumtaxat rem, quam quo adhoc Divus Basilius etiam observat, commonebimus.

In regul. brevior. reg. 129.

Cui sint tentationes aperiendæ.

3. Sicut, inquit, corporales morbi non passim cuilibet, sed medicis dumtaxat, qui eos curare debent, deteguntur: sic nec tentationes morbique spirituales promiscuè omnibus patefaciendi sunt, sed iis solùm, quos Deus nobis illorum medicos constituit, superioribus, inquam, & Confessariis: juxta illud D. Pauli monitum; *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmiorum sustinere.* Vnde etiam regula nostra præscribitur, ut cum id genus rebus ad præfectum rerum spiritualium, aut confessarium, aut superiorem recurramus.

Rõ. 15. 1.

3. p. Constit. 1. §. 12. regul. 41. summar.

Quanti sit ista discretio in manifestandis tentationibus.

4. Est hoc majoris longè momenti monitum, quam quis fortasse putet. Subinde enim quis perverso ordine tentationes suas aperire detrectat ei cui debet, sed vice versa revelat ei cui minimè deberet, & cui fortassis illarum retectione damnum creabit, uti & sibi, fieri enim poterit ut & alter eadem tentatione & morbo laboret; itaque fit ut tam ipse quàm alter in eadem magis confirmetur. Vt ergo tam hoc, quàm alia plurima inconvenientia, eatur, expediet quàm maximè, ut nonnisi spiritualibus medicis, qui eis mederi possint, tentationes & morbos suos spirituales quis communicet, quod si faciat, securus esse poterit, nullum inde ipsis damnum, magnum verò sibi commodum accessurum. Ita porrò faciendum monet Sapiens: *Non omni homini cor tuum manifestes.* Et alio in loco, *Multi pacifici sint tibi, & consiliarius sit tibi unus de mille.*

Eccl. 8. 22.

Eccl. 6. 6.

2. Monitum. Nihil tunc omittendum de spiritualibus exercitiis, cum simus in tentatione.

5. Suggerunt & aliud non contemnendum, & permagni sanè ponderis, pro tempore tentationum consilium; nimirum ut tunc temporis exercitia nostra spiritualia continuemus, magna cum constantia in iis perseveremus, caveamusq; quàm maximè, ne quod eorum omittamus, aut in iis segnescamus. Nam ut aliud cacodæmon per suam tentationem non faciat, quam quod nos ab his quodammodo deturbet, aut saltem in illis turbet, magnum certè sibi pretium operæ fecerit, rectéque se laborem suum ducet impendisse.

Imò sunt acrius tenenda, & augenda.

6. Quin imò majore tunc constantia exercitiis illis nos incumbere necesse est, & aliquid potiùs iis superaddere, quàm subtrahere. Etenim si nobis Satan arma spiritualia, quibus & nos ipsos propugnamus, illum verò oppugnamus, extorqueat, certum est, illum nos quò voluerit, faciliùs abrepturum. Quamobrem Deo nostro, fidelissimi simus, oportet in tempore tentationis: in illo enim qui veri & genuini ejus sint servi, patescit. *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Non est certè magnum quid,

Luc. 22. 28.

durante devotionis malacia insolitis pietatis exercitiis perseverare, at ob tentationum, ariditatum, & desolationum spiritualium tempestates, ea non prætermittere, laudem demum promeretur. Est enim evidens veri amoris argumentum, & quòd quis purè Deo ob id quod est, serviat.

3. Monitum. In Tentatione nihil immutandum.

7. Tertium monitum est, ne quam rerum tempore tentationis mutationem faciamus, nulla nova proposita concipiamus: neque enim hoc proprium res illi tempus est. In aqua turbida nihil clarè videbis: sinito illam subsidere & defæcari, ac tum minimos etiam scrupulos arenulasque intimi fundi conspicies. Per tentationem mirè quis turbatur & inquietatur, unde quæ sibi conveniant ac conducant, animus cernere nequit. *Comprehenderunt*, inquit Vates, *me iniquitates meæ, & non potui ut viderem.* Tentationis igitur tempus, non est deliberando, proponendo, aut rei alicui de novo suscipiendæ idoneum: subsidat sine & depuretur aqua hæc turbida; & illâ jam tranquillatâ & conquiescente, quid tibi expediat, meliùs perspicies. Consilium hoc passim ab omnibus vitæ spiritualis doctoribus mirè commendatur, atque inprimis à S. parente nostro Ignatio in libello exercitiorum, inter regulas illas quas ad spiritus discernendo assignat, cujus rei & hanc rationem tradit: *Qemadmodum dum fruitur quis consolatione, non proprio suo, sed boni spiritus instinctu regitur: ita obversante sibi desolatione agitur à malo spiritu, cujus instigatione nihil umquam rectè conficitur.*

Ps. 39. 13.

Reg. 5. ad discernēdos animi motus.

4. Monitum. Præscripta hactenus remedia opere exquēda

8. Quartò demum consulendum, ut in tempore tentationis, ea quæ hactenus suggesta sunt remedia, summo conatu & diligentia opere ipso exequi procuremus, ac nullatenus segnescamus, quod quanti referat, id quod sequitur, exemplum è Ruffino depromptum satis ostendit: Monachum quendam fornicationis spiritus mirè exagitabat; à cujus vexatione expedire se cupiens, seniorem in deserto agentem accessit, eique magno animi sensu ait: *Pone tibi sollicitudinem, beatissime Pater, & ora pro me, quia graviter me impugnat passio fornicationis.* His senex auditis, diu noctuque pro eo in oratione ad Dominum clamabat, ejus misericordiam exposcens. Aliquot elapsis diebus, rediens ad eum monachus, rogat, ferventius pro eo deprecetur, quòd hæc passio non minùs quàm ante eum infestaret. Senex ergo instantiùs ac majore fervore orabat, multoque cum gemitu divinam majestatem ad ejus miserendum flectere satagebat. Redibat tertiò, quartò ac sæpius ad senem monachus, nullum se orationum ipsius fructum efficaciamque percipere dictitans, unde hic contristabatur, & causam non auditarum precum suarum secum tacitus mirabatur. Hæc ergo sollicitiùs ei mente agitanti revelat de nocte Dominus, unicam non exauditæ orationis causam esse, supinam monachi negligentiam, & exiguum in resistendo conatum.

Exemplum.

Ruffin. li. 3. num. 13. legitur etiam in vitis patrum.

9. Hoc

Tentatus à laborante detecti in tentatione expellenda. Exemplum.

9. Hoc autem schemate id ei declaratum est: Vidit monachum sedentem, & spiritum fornicationis in diversis mulierum formis ante illum lusitantem; & ipsum, curiosè aspiciendo vanè iis se oblectantem. videbat autem & Angelum Domini adstantem, & graviter adversùs hunc fratrem indignantem, quòd loco nō exurgens, nec in terram se prosternens, ad Dominum per orationem confugeret, sed hisce cogitationibus magis sese oblectaret. Hinc senex intellexit, sua monachum culpa & negligentia in causa esse cur ipsius preces incassum funderentur. Vnde ei postea redeunti ait: *Tua culpa fit frater, cur me Deus non exaudiat, eò quòd fœdæ illæ cogitationes tibi placent: unde impossibile est, immundum illum spiritum à te discedere, aliis Deum pro te orantibus, nisi & ipse collabores jejunando, vigilando, Deumq́ cum lacrymis & suspiriis jugibus invocando, ut misericordiam tibi suam & robur ad resistendum pravis cogitationibus concedat: nam etsi medici omnia necessaria medicamenta ægris adhibeant, omnemq́ diligentiam & curam iis impendant; nisi tamen illi à parte sua cibis noxiis abstineant, incassum erunt omnia. Similiter & in animæ morbis usu venit: Licet enim sancti Patres (qui animarum sunt medici) omni contentione, & ex toto corde Dominum deprecentur pro iis qui ipsorum precibus postulant juvari; parum certè, profecerint, nisi & ipsi tentati operibus spiritualibus naviter insistant, & orando jejunando, aliaq́ Deo placita obeundo, eius opem pariter exposcant.* Hæc audiens frater, compunctus est corde & pii senis consilium secutus, per frequentia jejunia, orationes ac vigilias exinde se affligens, divinam tandem misericordiam est expertus, & à spiritu immunditiæ liberatus. Hoc ergo & nos in tentationibus omnibus oportet imitari, adhibere, inquam, quidquid à parte nostra adhibere possumus, & necessaria omnia media impendere. hoc enim pacto, & non aliter, victoriam nobis Deus dare vult.

5. monit. omni conatu & vi resistendum est. *Chronic. Minor. p. 2. lib. 7. c. 8.* Exemplū de diversis resistendi modis.

10. Et quoniam hæc tentationibus resistendi ratio, intendi potest & remitti, magna esse & parva; satis nobis non sit quoquo modo resistere, sed qua possumus maxima contentione. Ostendit aliquando per visum Dominus (ut Minorum Annalibus proditum est) F. Ioanni de Arvernia, eiusdem instituti viro pio & sancto, quàm diversis modis Religiosi tentationibus, ac præsertim carnalibus, resisterent. Vidit enim is innumeros propè spiritus nequam, qui plurimas in Dei servos sagittas assiduè ejacularentur: quarum aliæ in ipsos jaculatores quam celerrimè retorquebantur: unde horrendum clamantes & ululantes, ac velut pudore suffusi, in fugam agebantur. Aliæ Religiosos quidem tangebant, sed mox, casso eventu, in terram sine ulla eorum læsione residebant. Aliæ cuspide tenus carnem penetrabant; aliæ denique totum corpus transverberabant.

Optimus mod⁹ resistendi.

11. Hinc efficio, optimum resistendi modum, quem què procurare nos oportet, esse primum: ut nimirum iis dæmonem telis ac tentatio-

nibus feriamus, & in fugam vertamus quibus ille nos ferire molitur. Quod tum demum faciemus, cum illo per tentationes nobis damnum inferre satagente, inde vicissim aliquod bonum spirituale elicimus: cum verbi gratia, è tentatione ad superbiam & vanam gloriam, humiliandi & confundendi nos magis materiam: è carnali & immunda cogitatione immissa maius libidinis odium, castitatis amorem & circumspectiùs ac ferventiùs posthac ambulandi & sæpiùs ad Deum recurrendi propositum desumimus. Vnde etiam S. Augustinus, verba illa Psalmographi, *Draco iste quem formasti ad illudendum ei*, exponens, tunc Dei servos Draconi huic ait illudere, cum iis ipsis laqueis, quos illis tendit, illaqueatur & constringitur, & damnum in caput ipsius retorquetur: juxta illud eiusdem Prophetæ: *In laqueo isto quem absconderunt, comprehensus est pes eorum. Captio quam abscondit, apprehendat eum: & in laqueum cadat in ipsum.* quasi dicat. Prædam captatum venit, & ecce propriis exuitur. *Convertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.*

Augustin. Ps. 130. 26 — *Psa. 9. 16.* — *Psa. 34. 8.* — *Psal. 7. 17.*

TRACTATVS QVINTVS,

DE INORDINATO ERGA PARENTES ET CONSANGVINEOS AFFECTV.

CAPVT PRIMVM.

Quanti referat, Religiosum parentum visitationes, & crebras in patriam terram profectiones defugere.

Mensura amandi cognatos. *Cap. 4. examini. §. 7. & reg. 8 summar.*

1. QVoad amorem & affectum quo in parentes ferri nostros nos oporteat, talem S. Pater noster nobis regulam præscribit, ut simul omnes in genere Religiosos concernat: *Vnusquisque*, inquit, *eorum qui Societatem ingrediuntur, consilium illud Christi sequendos, qui dimiserit patrem*, &c. *existimet sibi patrem, matrem, fratres & sorores, & quidquid in mundo habebat, relinquendum, imò sibi dictum existimet illud: Qui non odit patrem suum & ma-*

Matt. 19. 29. — *Luc. 14. 26*

& matrem , adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus, & ita curandum est ei, ut omnem carnis affectum erga sanguine junctos exuat, atq; illum in spiritualem convertat, eosq; diligat eo solum amore, quem ordinata charitas exigit, ut qui mundo ac proprio amori mortuus, Christo Domino nostro soli vivit, eumque loco parentum, fratrum ac rerum omnium habet. Non sufficit mundum relinquere corpore, sed & animo relinquendus est, omnes affectus, qui erga ea quæ mundi sunt, vergunt, nobisque innexi sunt, exuendo.

Psal. 9. 16. — Psal. 14. 8. — Psal. 7. 17.

Motivũ genuinũ amoris in cognatis.

2. Amare consanguineum, eò quòd consanguineus est, ex se malum non est, nec improbandum; imo propterea plus aliis diligendus est: at si amor hic in sola natura fundetur, non est Christiano, ne dum Religioso proprius: cum omnes homines, tametsi barbari & inhumani, parentibus & consanguineis suis, jure cognationis sibi coniunctis, cupiant bene. Ceterùm Christianus, & multo magis Religiosus, ait S. Gregorius, amorem hunc naturalem transscendere, eumque, velut in camino, divini amoris igne deputare debet, suosque diligere, non tam quia natura duce ad eos amandos inclinatur, quàm quod eos Deus diligi jubet, id omne resecando quod ei nocere & à summi boni amore divellere queat; & eo solum nomine eos amando, quo Deus eos amat, & illos à nobis amari vult. Atque hoc est, quod suprà posita regula à nobis requirit, dum omnem nos carnis affectum exuere, & in spiritualem convertere jubet, faciendo ex amore proprio amorem caritatis, & ex amore carnali spiritualem. Cuius etiam mox rationem subjungit, quòd Religiosus mundo & amori proprio mortuus esse debeat; unde & vivere in eo debet, non mundi amor, sed Christi Domini.

Hom. 37. — Matt. 19. 29. — Luc. 14. 26.

Quam seria hæc res sit.

3. Advertendum autem, Sanctum Patrem nostrum regulam hanc quibusdam sacræ scripturæ auctoritatibus confirmasse; quod aliis in regulis ac Constitutionibus facere non consuevit, tametsi æquè facilè in illis atque in hac id facere potuisset, quia Constitutionum nostrarum doctrina ex Evangelii medulla deprompta est: noluit tamen, sed ea simplicitate & sinceritate nobis voluit hanc doctrinam consignare, qua à Domino acceperat. at, cum de parentum affectu mentio incidit, mox statuenda sacræ scripturæ testimoniis constabilit, uti & facere eum videmus, cùm de facultatibus in consanguineos non dispertiendis agit, adfert enim illud Psaltis: *Dispersit, dedit pauperibus*, & illud Christi Domini consilium: *Da pauperibus*: non dixit, inquit, da facultates amicis aut consanguineis, sed pauperibus. Videbat sanè S. Pater, talibus testimoniis opus hic esse, quòd affectus hic tam sit naturalis, nobis congenitus, intimis visceribus nostris tam profundè inhærens, tamque multum in nos potestatis habent,

Cap. 4. examin. §. 1. & 2. — *Psal. 111. 9.* — *Matt. 19. 21.*

In quæst. fusius dist. qu. 32. Consanguineorũ

4. Materia hæc per multum Religiosorum interest, proinde etiam pluribus est à SS. Patribus Basilio, Gregorio, Bernardo & aliis permultis

accu-

consuetudo Religiosum turbat, & peccandi occasionibus cōplet.

accuratè pertractata: cuius substantiam ac medullam omnem strictim hoc loco trademus. *Primò* igitur S. Basilius egregiè pertractat, quàm religioso expediat, omne cum parentibus commercium & conversationem fugere, eorum visitationes & profectiones in patriam terram devitare: multisque allatis argumentis, quanti hoc momenti & necessarium sit, ostendere conatur. *Nam præterquam ait, quòd illis nullam utilitatem exhibemus, insuper & nostram ipsorum vitam tumultibus & perturbatione replemus, & peccatorum occasiones attrahimus.* Id est, vix in eorum domos pedem intulimus, cum ecce protinus suas illi molestias, lites, facultatum atque honoris jacturam, & quidquid infortunii calamitatisvé patiuntur aut passi sunt, in nos exonerant, itaq; omni eo quod illos gravat & affligit, onusti domum redimus. Adhæc in multas peccandi occasiones diversimodè nos conjicimus. Nam primò ex illa consanguineorum conversatione renovari & regerminare incipit, vitæ prioris & antè commissorū memoria, quæ non parva peccandi esse solet occasio: hoc enim pacto veteres cicatrices & obducta jam vulnera recrudescunt, sanguis refervescit, memoriæque recurrit talis domus, talis locus, talis contubernalis, tale dictum & factum: atque ita rę una protrudente aliam, ex uno in aliud delabimur, ex una occasione in aliam, quæ simul juncta mirè dein nos inquietant, multumque spiritui damni inferunt.

Quomodo prioris vitæ liceat meminisse & oblivisci.

5. Quod quantum sit, vel inde æstimemus licet, quod sanctioris vitæ & perfectionis magistri nos prioris vitæ peccata singillatim recordari vetent, etiam ad dolorem & contritionem eorum excitandam; sed tantum in genere ex illis velut fasciculum quemdam conflando, ne nos illa postea rursus inquietent, & novarum imaginum repræsentatione perturbent. quanto ergo maiori damno afficiemur, si, nulla urgente necessitate ipsi ultro hanc occasionē captemus. Non est ergo, quòd postea de inquiete, evagatione mentis, & damno quod pateris conqueraris, quòd enim id ipse ultro capiti tuo accessieris, meritò id pateris.

Item per condolentiam. Ibidem.

Cap. 21. Constit. monast. Mores sæculares addiscūt Religiosi, cum iis conversantes.

6. Addit præterea idem Basilius, eos quibus volupe est apud parentes & cognatos identidem agere frequēti hac illorum consuetudine ac commercio sensim sine sensu pravos illorum mores, inclinationes, & affectus induere atque imbuere: unde anima de rebus sæcularibus identidem cogitando occupatâ, paulatim fervor ille spiritus intepescit, primorum desideriorum constantia & stabilitas flaccescit, ad sæculum denique aspirare, sæculum sapere incipiunt. Iuxta illud Psalmographi de filiis Israël: *Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & servierunt sculptilibus eorum factum est illis in scandalum.*

Ps. 105. 35.

Sensim ad sæculū trahūtur, per affectum ad delectationes eorum.

7. Quid enim Israëlitæ inter Philisthæos commorantes discere poterant aliud, quàm illorum idola adorare, & ruinæ, ac scandali sui occasionem

nem sumere? Pari modo si cum consanguineis & cognatis profanis frequenter agas, brevi linguam moresque eorum profanos addisces, scilicet non sincerè, sed fictè, dupliciter, & cum assentatione cum omnibus agere, uti sæcularibus solenne est: jam tum illorum idola tibi placent, nimirum de honoris punctulo concertatio, & recreationum vanarum captatio: adhæc, altum quid de teipso præsumis, ac voluntati tuæ morem geri cupis, atque hic est velut parvus mundus, quem tibi affricuerunt.

Item per condolentiam. *Ibidem.*

8. Aliam non minùs efficacem, ad nos à consanguineorum conversatione & commercio abstrahendos, rationem idem Basilius adducit, notabile scilicet detrimentum, quòd à naturali eorum compassione & commiserationis affectu in nobis nasci solet. Nam nimium cum iisdem commercium & familiaritas hoc naturaliter adfert, ut illorum prosperis lætemur, adversis & infortuniis contristemur: unde fiet, ut identidem hę nobis cogitationes & angores obversentur. Num abundè illis de necessariis prospectum sit quid illis desit: num hoc eorum negotium bonum sit eventum habiturum: num quod honorem & facultatum ipsorum augmentum concernit, satis bellè processurum. Qu bus cogitationibus & angoribus spiritus vires & virtus ita debilitantur & imminuuntur, ut pòst etiam minima ingruente tentatione dejiciantur & succumbant: &, eodem Basilio teste, nonnisi statuæ instar sint futuri, *Religionis quidem habitum circumferentes, illi nullo pacto virtutum studio correspondentes.* Corpus duntaxat in monasterio habent, cor verò in sæculo inter parentes habitat ac peregrinantur.

Exemplum. *collat. 14. cap. 11.*

9. Monachus quidam, cujus Cassianus meminit, haud procul à parentibus & cognatis cellam & habitationem fixerat, & hi illi de omnibus necessariis ita prospiciebant, ut tantum lectioni & orationi absque ulla distensione spiritus, indesinenter intenderet. Hic in eo vitæ genere mirè sibi placebat, quòd interior animi pax & tranquillitas nullatenus interturbaretur. Cùm die quadam S. Antonium adiisset, rogatus ab illo fuit, ubinam habitaret? respondit, se juxta parentes suos habitare, & illorum præbitione ab omni cura & solicitudine operis liberum uni Deo vacare. Petiit exinde sanctus senex: Dic mihi fili, cùm parentibus aliquod infortunium & casus supervenit, numquid animo unà cùm iis propterea dejiceris? & vicissim super eorum prosperitate congaudes? Maximè, inquit; hoc quippe filialis affectus requirit, apertè confessus, utriusq; se affectus participem reddi: Cui tandē Antonius: *Noveris,* inquit, *fili etiam in futuro sæculo eorum in sorte censendum, cum quibus in hac vita lucri detrimentive consortio vel gaudio vel mœrore concuteris.* sæcularibus in altera vita accensebitur, is qui in hac cum illis, & de rebus ipsorum tractat.

Vera relictio parẽtũ, &c.

10. Tanti igitur (ait Basilius) nostra interest, consanguineorum consortium & conversationem declinare, ut, quòd oculus non videt, cor de-

mum non concupiscat. Ac sicuti re ipsa possessionibus fortunæque bonis se abdicare (quod per paupertatis votum facimus) multum ad earum affectum penitus exuendum conducere SS. Patres tradunt: sic etiam à sanguine propinquis de facto divelli, nec cum illis agere, eorumque commercium omnino respuere, omnem nos faciet carnalem affectum deponere, ipsorumque oblivisci. Atque ita fiet, ut à multiplicibus ex illorum consuetudine manantibus periculis & incommodis liberis simus futuri. Plurimum refert, ab iis de facto avelli, ut & affectu & corde avellamur: nam si primùm illud non fecerimus, alterum non est quòd speremus. Etiam cùm corpore procul ab iis disiuncti sumus, contingit subindè ut animus & affectus inter eos versetur: quid futurum ergo si cùm ipsis coràm agamus & assiduè conversemur?

In patriā proficisci cur Religioso nō expediat.

11. Illa est ratio, cur in Societate tam strictè (ut norunt omnes) prohibeantur nostri in patriam terram profectiones superflua instituere. Quæ quidem laudatissima & sancta sanctio, ut executioni exactè mandetur, nostrum est pro modulo nostro adniti: ut, cum noverimus, parentes à Superioribus facultatē ad ipsos proficiscendi nobis fieri petiisse, ipsi primi nos opponamus, importunis illorum precibus obnitamur, iisque bonas per rationes persuadeamus, hanc profectionem minimè è re nostra esse, neque enim sufficientia umquam nobis ad hoc argumenta poterunt deesse, si modò velimus. Hoc pacto & debito parentibus respectui & venerationi consulimus, ac ipsis facimus satis tum nostro intuitu, tum subinde etiam ipsorum. Atque hæc Superiorum mens & votum est: quos non parum ædificamus, dum profectionem hanc minimè necessariam, ac parentibus eam haud ægrè nos dissuasuros asserimus. Sæpè enim Superiores aliter importunis petitoribus, atque intercessoribus, qui subinde hic interveniunt, nisi nos à parte nostra rem dissuadeamus, satisfacere nequeunt: itaque coguntur condescendere, & extortam quodammodò abeundi copiam facere; quæ certè non tam obedientia est, quàm permissio, mallet enim Superior nos domi manere, nec proficisci.

Superiorem suū Religiosus exosum non reddat, quasi is facultatē neget.

12. Est hoc utile cumprimis consilium, tam hoc in casu, quàm aliis plurimis. Quando v. g. consanguinei, vel amici, vel alii quicumque noti obsequium sibi aliquod exhiberi, vel negotium quodcumque à te curari petunt, quod à vocatione atque instituto nostro sit alienum, ne eos, te excusans, ad Superiorem ableges, ut rogatur is magno cum pudore suo illorumque offensione vel petita denegare, vel cum incommodo suo annuere. Ne sinas rem eò usque devenire; sed tu potiùs: amicè ac placidè eam petentibus dissuadeas; eosque à sententia dimoveas, hoc ab instituto nostro alienum esse dictitans. Hoc sanè bonorum & verorum Religiosorum est; secùs atque agunt nonnulli, qui ne externos offendant, sibique inimicos reddant, omnem

omnem excusationis invidiam in Superiorem derivant. S. Hierony. in illa Domini verba, *Estote prudentes sicut serpentes*, ita scribit: *Serpentis ponitur exemplum, qui toto corpore occultat caput, ut illud in quo vita est, protegat.* Parimodò & nobis semper est caput, ipse inquam Superior, defendendum, non contrà: ne corpus saucietur, caput discrimini objectandum: nam non rarò in Superiorem, ut nos ipsos excusemus, omnem culpam rejicimus. Quod inprimis in negotio, de quo in pręsenti agimus, nobis est observandum: nam communiter totus & hujus rei & aliarum similium, cardo in nobis vertitur, &, modò ipsi velimus, confecta res est, omnesque difficultates superatæ. Quamobrem ei, qui in conscientia quoad rem de qua hic singillatim agimus, esse volet tutus, consulerem ante omnia, ut, quantum fieri potest, has visitationes ac perfectiones effugiat: cùm verò commodè eas declinare nequit, obedientiâ cogente & invitus suscipiat, ac Superiorem, si quod in eo subesse videat, præmoneat: ac ne tum quidem sine omni metu sit oportet, sed præterea optimè præparatus se in viam dare debet.

S. Hier. c. 10. 16.

Superiorem suũ Religiosus excusum non reddat, quasi is facultatẽ neget.

13. Cùm ad Abbatem Theodorum invisendum mater ejus venisset, nullasque secum variorum Antistitum & Episcoporum litteras, quibus filii conspiciendi sibi fieri facultatem petierat, attulisset, & Sanctus Pachomius, qui monasterio præerat, Theodoro matris alloquendæ copiam fecisset; dixit: spondè priùs, Pater, me hujus visitationis rationem Deo in die judicii non redditurum, & illam alloquar. Cui senex: si è re tua non esse censes, fili equidem te ad hoc non cogo. Nolebat ei Abbas cautionem dare, & ipse priùs matrem alloqui, quàm Superior rem in se suscepisset, ideoque omissa allocutione discessum est. Sed melior optato rei successus fuit: mater enim in vicino virginum Deo sacrarum monasterio, cujus cura ad monachos Pachomii spectabat, Deo se consecrare constituit, spe filii inter alios fortè aliquando conspiciendi. Nolebat Theodorus matrem visere, nisi ex pura obedientia, & omne allocutionis periculum Superior in se susciperet. Hac conditione & lege bono Religioso in patriam abeundum est, si quidem abire opus sit. Et certè si, quidnam in hujusmodi profectionibus soleat contingere, sciremus, etiam magis illas formidaremus, majorique conatu ac studio eas declinare & impedire conaremur. Plenæ sunt omnes historiæ & priscorum Patrum Vitæ luctuosis exemplis eorum, qui id genus profectionibus susceptis, miserè tandem perierunt. Æquum proinde fuerit, periculo discamus & sapiamus alieno, ne postea sapere cogamur proprio.

Exemplum. *Surius in vita S. Pachomii & in vitis Patr.* lib. 1. fol. 87.

14. Audi eumdem, quæso te, Basilium: *Si mortuus es cum Christo à mundo, & à cognatis tuis secundum carnem, quid rursus inter eos versari cupis? Si verò quæ destruxisti propter Christum, rursus ædificas propter cognatos tuos, transgressorem teipsum constitutus:*

ep. ad Chil.

Vbi quęrendus sit Iesus.

ne igitur ob cognatorum tuorum necessitatem secesseris à loco tuo & quiete: nam discedens è loco, fortassis ex æquo discedes à moribus tuis & spiritu. quod ut plurimum fit. Neque enim *invenitur Iesus inter cognatos & notos.* Vndè egregiè mellifluus Bernardus: *Quomodo te bone Iesu inter meos cognatos inveniam, qui inter tuos minimè es inventus* à sanctissima matre tua? Si ergo invenire Iesum desideras, non inter cognatos, sed in templo, in orationis loco, in solitudine & recollectione, eum quæras oportet, & ibi invenies.

Luc. 2. 44 — *S. Bernar.*

Exemplum. *l. 1. c. 9. vitæ.*

15. S. Franciscus Xaverius Roma in Lusitaniam tendens, & inde in Indiam Orientis profecturus, cum tantùm quatuor à patrio solo leucis abesset, adduci numquam potuit, ut, vel paululum de via deflectens, consanguineos, imò & superstitem etiam tum matrem salutaret, quantumvis efflictum id illa sibi officii præstari expeteret; & ipse nosset, isthac occasione dilapsa, numquam exinde sibi ampliùs eorum visendorum facultatem fore. Idipsum præstitit & piæ memoriæ P. Petrus Faber, cùm nonnisi quinque à solo natali leucis abesset. Sanctus quoque Parens noster Ignatius, cùm necessitate quadam compulsus Loyolam venisset, ad fraternas ædes ut diverteret, adduci nullo pacto potuit, sed ad publicum xenodochium concessit.

Caput II.

Religiosus quoque, quoad eius fieri potest, caveat à consanguineis visitari, nec non frequentiorem per literas communicationem.

1. Est præterea boni Religiosi, sincerè Deo servire, professuique suo incumbere, & finem, propter quem Religioni nomen dedit, consequi cupientis, non solùm has parentum, cognatorumque visitationes, & in patriam instituta itinera, (tametsi honesto etiam titulo suscipiantur) omnimodis devitare; verum etiam, quoad eius fieri potest, omne cum consanguineis & amicis commercium communicationemq; præcidere: unde satis ei esse non debet, illos non intervisere, sed & omni studio cavere, ne ab iis ipse frequenter compelletur. Quin & S. Ephrem consulit, ut eos ipsi commoneamus atque inducamus, ne nos frequentiùs invisant vel accedant, nisi ad summum bis terve per annum: *sed, si inutilem, ait, illorum conversationem penitus præcideris, meliùs ages.* Nec iniuriam eam *inutilem* vocat, quo nomine & S. P. N. suis in Constitutionibus usus est: talis enim reverà est; nec inutilis modò, sed & damnosa cum primis, uti antè diximus.

Visitationes cognatorũ cavendæ quoque.

tract. de varia doct. c. 53.

c. 4. Exa. § 2.

2. Vt autem constaret omnibus, quàm hæc à parentibus abstractio, sequestratio, ac velut oblivio, & visitationum eorum repudium Deo grata sint, etiam miraculis quibusdam docere

Miraculis probata religiosa parentum oblivio.

docere voluit. Cyriacum monachum sanctum cum parentes & cognati salutatum venissent, & eius cellulæ januam pulsassent; ipse jam tum perspectum habens quinam advenissent, priùs Dominum deprecatus est, ut ab ipsorum conspectu se expediret, & modum inveniret quo illorum oculis subduci posset, finita oratione, & ostio cellæ aperto, exiit, ita tamen ut à nullo astantium conspiceretur, imò ne quidem an quis egressus ea esset, notaretur: ac procul inde in interiorem solitudinem digressus non priùs redire voluit, quàm certò consanguineos inde discessisse nosset.

Prat. spirit. Exemplum.

3. Abbatem quoque Patromium sororgermana visitatum venerat: ipse tamen nec videre eam, nec videri ab ipsa sustinuit, sed per janitorem nuntiari jussit. *Ecce audivisti me vivere, & rectè valere: vade in pace.* Profuit eius spiritui hæc responsio: nam (uti suprà de Theodori matre dictũ est) vicino in monasterio virginum ipsa sacrum velamen assumpsit, Deoque se dicavit.

Aliud Exemplum. *Surius in vita. 14. Maij. & vit. Patr. cap. præced.*

4. Neque solùm visitationes has consanguineorum, sed & nimiam per litteras communicationem bonus Religiosus, quantum in se fuerit, cavere omni studio debet: cum per hanc animi quies ac tranquillitas non minùs, quàm per visitationem, interturbetur. Ac sicut illos ipse non invisens, non multum ab iis visitaberis, ita nullas eis scribens litteras, non est quòd exspetes ab iis. Optimè proindè sanctus ille vir: *Si tu scis homines dimittere facere sua, ipsi te dimittent tua facta facere.* Totum in te vertitur, ut modò velis: si enim ipse velis, ad omnia quæcumque voles, media invenies. Iam tum semel patriam, domum, parentes, notos propter Deum reliquimus; quin ergo eos penitus relinquimus, eorumque omnem memoriam deponimus; ut hoc pacto ab omni affectu liberi & expediti simus, ad sæpiùs Dei recordandum, eique ferventius serviendum & diligendum?

Etiã litterarum frequentius commercium caveat Religiosus.

Thom. de Kempis.

5. Refert Cassianus de monacho quodam, orationi ac divinæ contemplationi, &, quæ ad hæc exercitia inprimis requiritur, cordis puritati & munditiæ deditissimo. Hinc quindecim ipsos annos in solitudine vixerat, cùm parentum amicorumque multorum de provincia Ponti complures ad eum epistolæ delatæ sunt. Quarum fasciculum in manus accipiens, diuque apud semetipsum volvens, *Quantarum*, inquit, *cogitationum causa erit mihi harum lectio, quàm diversi in corde meo affectuum fluctus exsurgent, quibus vel ad inane gaudium, si parentibus benè sit; vel ad infructuosam tristitiam, si malè, impellar? quot diebus horum qui scripserunt recordatione intentionem pectoris mei à proposita contemplatione & oratione revocabunt? post quantum temporis digerenda est hæc mentis concepta confusio? quantoque labore rursus iste tranquillitatis reparandus est status, si semel animus litterarum permotus affectu, eorumque recensendo sermones ac vultus, quos tanto tempore dereliquit, iterum eos revisere, ipsisq; cohabitare, ac mente & animo cœperit interesse? quid mihi profuerit eos corporaliter*

Exemplum. *l. 5. de instit. renunt. c. 32*

liter deseruisse, si eos corde incipiam intueri, ac memoriam eorum, quàm sæculo huic renuntians semel abdicavi, iterum resumam? Hæc dicens & animo agitans, litterarum fasciculum integrum nec resignatum igni tradidit concremandum: *Ite*, inquiens, *cogitationes patriæ pariter concremamini, nec me ulterius ad illa, quæ fugi, revocare tentetis.* Adeò hicne quidem unam legere epistolam voluit, imò nec fasciculum quidem dissolvere, nec scribentium nomina, cognomina sigilla inspectare, ne inscriptiones quidem intueri voluit, ne agnito charactere, scribentium memoria recurreret, itaque animi sui quietem & tranquillitatem tolleret. Simile quid de parente nostro Ignatio legitur.

L.5.c.1. vita.

Si literas acceperit Religiosus, saltē lectas aboleat.

6. Notari hoc velim ab iis, quibus satis non est, acceptas à parentibus litteras semel legisse, sed eas insuper studiosè asservant, iterato ac sæpiùs per otium relegant, relambant, ac regustent, itaque sibi consanguineorum memoriam velut recentem faciant. sed heus tu, qui illas nondum lectas igni tradere non potuisti, quin jam per lectas protinus flammis consecras? & una cum illis omnes de carne & sanguine cogitationes! ne re ultra inquietent & perturbent.

Caput III.

Etiam sub titulo concionum habendarum, fugienda Religioso parentum visitatio, & in patriam profectio.

Cognati nō visen-

1. SVnt qui suam de parentibus visitandis, deque patria adeunda tentationem specioso hoc velamine cohonestant, quòd concionibus & doctrina sua ipsorum animabus velint prodesse, & fructum inter eos edere. Quando autem boni alicuius specie & colore tentationes velantur, maius esse solet periculum, neq; enim tunc ut tentationes, sed ut æquissimæ rationes habentur.

di etiam prædicationis ergo.

2. Sanctus Bernardus in illud Cantici: *Capite nobis vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas*; ait hanc unam de vulpeculis illis esse, quæ fraudulenter, & sub specie alicuius boni ingrediens, multos subvertere & destruere consuevit: quorum nonnullos se ait novisse, qui hac via perierunt; nam dum alios lucrifacere volebant, semetipsos perdidere.

Serm.64. in Cantic.

Cant.2.15

Species boni est vulpecula demoliens.

3. Nam ut plurimum consanguinei idonea instrumenta non sunt, ut in consanguineis fructus fiat: nam quòd eos non ita pridem noverint secùm lusitasse & suo ritu vixisse, non ea ipsos in veneratione & honore habent, qua prædicatorem Evangelicum haberi par est. Noverat id & Redemptor noster CHRISTVS, qui idcircò de se dixit: *Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus est in patria sua.* Hinc Dominus Abrahamum illustrem sui nominis præconem & fidelium patrem constituere cupiens, de patria eum sua & universa cognatione jussit egredi, & in Mesopotamiam, ubi nulli notus erat, abire. Quin & Apostolo Paulo (quòd certè consideratione dignissimum) Ierosolymis in templo oranti CHRISTVS præcepit, ut isthinc digrederetur, & ad Gentes abiret, quòd

Cur in patria propheta sine honore sit.

Luc.4.24

Gen.12.4

Act.22.18

quòd nullum Ierosolymæ editurus esset fructum: *Non recipient testimonium tuum de me.* Quid ita Domine? objicere potuisset: *illic sum notus, secus pedes Gamalielis eruditus; sciunt acriter me insectatum esse eos qui nomen tuum profitebantur, ac Stephanum lapidantium vestes asservasse.* Nescis Paule, nescis; non capis mysterium. Egredere de terra in qua notus es: *ego in nationes longè mittam te*, & inter Gentes, ubi ignotus omnibus copiosum fructum facies. Et tu te, Religiose, fructum in patria facturum putas? & quem, obsecro, inter consanguineos fructum colligas? quomodo illis mundi voluptatumq; sensualium contemptum persuadeas, qui te inter carnem & sanguinem ac paternæ domus delicias versari in sæculo conspicient?

Inter nostros non fructus.

serm.64. in Cantic. Cant.2.15 Species boni est vulpecula demoliens.

Curin patria propheta sine honore sit.

Luc.4.24 Gen.12.4

Act.22.

4. P. Petrus de Ribadeneira in dialogis suis calamo exaratis, & nondum editis, historiam non illepidam de quodam Societatis nostræ commemorat. Hic intempestivo & nimio in matrem amore victus, Messanam in patriam profectus est. Hic cùm fortè fortuna templum, ubi Sacerdos quispiam ab energumena malignum spiritum consuetis exorcismis pellere conabatur; ingressus, eum adjuvare vellet, dæmonique interminaretur ac præciperet, ut in omnipotentis Dei nomine habitaculo illo egrederetur; non aliud ei nequam spiritus respondit, quàm *Mamma, mamma.* Quod omnibus adstantibus risum movit, ut qui probè nossent, qua is de causa Messanam appulisset, unde nonnisi confusus & rubore suffusus inde abiit. Idipsum & tibi à civibus tuis, cùm eos ad mortificationis studium, sæculariumque deliciarum & oblectamentorum repudium pro concione adhortari voles, poterit oggeri.

Exemplum.

5. Simile priori exemplũ, quamquam non ridiculum, sed horrendum, refert Severus Sulpicius. Adolescens quidam in Asia, prædives opibus, genere clarus, habens uxorem, & ex ea filium, cùm in Ægypto præfectum ageret, & frequentes profectiones ratione officii susciperet, quadam vice necessariò ei per eremum transeundum fuit, in qua plurimi ea tempestate Anachoretæ degebant, horum cellas & habitacula cùm inspexisset, tandem etiam in Ioannem Abbatem incidit; à quo verbum salutis accipiens, usque adeò permotus fuit, ut omnem de familia repetenda cogitationem abjiceret: sed mundo valedicens, tam admirabilem in deserto vitam ducere, ac virtutis iter tam impigrè calcare cœpit, ut brevi plurimos veteranorum, non dico æquarit, sed superarit. Tam prospero zephyro navigantem tentationis cuiusdam Aquilo ad ruinæ cautes impegit: subiit namque eum cogitatio, à diabolo hauddubiè injecta, satius longè fore, si ad sæculum reversus, uxorem simul & filiolum ad eumdem salutis portum vocaret, quòd jam tum in virtute tam esset constans, ut & alios ad eamdem, sine lapsus discrimine, posset pertrahere. Hoc specioso charitatis exercendæ velamine à cacodæmone deceptus, quadriennio jam in eremo transacto, in patriũ solùm

Aliud. *Dialogo 1.*

solùm proficiſcitur, ſed priuſquam illuc perveniret, ad monaſterium quoddam in via occurrens divertit, ubi fratribus propoſitum ſuum declaravit: qui uno ſimul ore dæmonis id illuſionem eſſe, & plurimos hac via in interitum à veteratore illo pertractos eſſe, affirmarunt. Quibus ille minimè credens, ſed in ſua pertinax ſententia, vale illis dicto, iter ſuum proſequi ſtatuit. Vix dum ſuum monaſterio pedem extulerat, cùm, ecce, Domino permittente, à maligno cœpit ſpiritu obſideri: à quo tam diris modis excruciabatur, ut ſeipſum dentibus diſcerperet, & tetram ore ſpumam ejiceret. Quare ad idem monaſteriū relatus, cùm coërceri in eo ſpiritus immundus non valeret, neceſſe eum fuit in ergaſtulum compingi, & manus pedeſque ferro vinciri. Non indigna pœna fugitivo. Et quamvis monachi identidem Deum pro eo deprecarentur, & exorciſmis ſacris dæmonium ab eo pellere niterentur, Dei permiſſu tamen, nonniſi biennio exacto, ab eo fuit tandem liberatus. Ergo ſuo ſapiens damno, ad priorem habitationem & vitæ genus reverſus eſt; evidens aliis exemplum exiſtens, ut in incepto inſtituto perſeverarent nec falſa pietatis ſpecie ſibi à cacodæmone illudi ſinerent.

6. Hinc diſcamus licet, quàm omnem in patrium ſolum profectionem, & cognatorum viſitationem deteſtari Religioſus debeat, ſi enim eas Sancti Patres ut ſuſpectas habent, & improbant, ac meram tentationem eſſe, multaque in illis pericula & incommoda contineri docent, etiam cùm concionum habendarum, & fructus apud eos faciendi titulo ſuſcipiuntur; quid ergò dicent, cū quis nonniſi ſolatii capiendi, aut aliis dandi cauſa eos viſitabit?

Caput IV.

Religioſus cavere maximè debet, ne ſe conſanguineorum negotiis tractandis occupet & implicet.

Caveat Religioſus ſæcularium negotia tractare.

1. SVper omnia autem cavere Religioſus debet, ne conſanguineorum negotia curandi onus in ſe ſuſcipiat, iiſdemque ſe occupet, idq; ob plurima, eaque gravia, incommoda ac pericula inde ſequi ſolita. Graviter præpoſteram hanc curam perſtringit Magnus Gregorius: Multi ſunt, inquit, qui cùm facultates & cuncta quæ in ſæculo poſſidebant, quodque maius eſt, ſeipſos reliquerunt, nullo ſe in pretio habentes, & pari vultus conſtantia proſpera æquè ac adverſa excipientes, nihilominus vinculo carnis cognationis conſtricti ſunt, dum amori propinquitatis indiſcretè deſerviunt, ad ea ſæpè per affectum cognationum redeuntes, quæ jam cum proprio deſpectu ſubegerunt. Cumque plusquàm neceſſe eſt, carnis propinquos diligunt, retracti exteriùs à cordis parente dividuntur, inſtitutique ſui obliviſcuntur hinc prætoria irrumpunt, terrenarum rerum jurgis vacant, libertatem intimæ quietis relinquunt, & mundi ſtudia in ſe jam dudum deſtructa reparant, non ſine aperto animarum

l. 7. Moral. c. 14.

matum suarum periculo. Idem quoque deplorat Sanctus Isidorus: *Multi monachorum*, inquit, *amore parentum, non solùm terrenis curis, sed etiam forensibus jurgiis involuti sunt, & pro suorum temporali salute animas suas perdiderunt.*

l.1.de sū. bono.

2. Est autem isthæc hoc in genere vorago & charybdis, longè periculosissima: cùm nimirum carnalis erga cognatos affectus usque adeò Religioso dominatur, ut eorum negotia curanda in se suscipiat, & optatum ad exitum conducere omni contentione allaboret: quod, eheu! hodie plusquàm vellemus, ob peccata nostra videre cogimur, & re ipsa experimur. Id autem Sanctus Basilius ortum habere existimat, ex invidia diaboli: hic enim minimè ferens, Religiosum in terris vitam cœlestem agere, media in carne vitam non ducere carnalem, ac quibus ipse excidit, ad ea consequenda omni studio contendere; specioso pietatis, nec non vinculi sanguinis, ac cognationis titulo, eum his nititur curis implicare, ut animæ suæ pacem & quietem hoc pacto amittat, & in amore, quo erga Deum ferebatur, nec non fervore, quo ad perfectionis apicem evolare connitebatur, intepescat. Et sanè, res digna notatu est, quo veterator hic studio & conatu huc allaboret, cùm ipsismet consanguineis ad hoc velut instrumentis utatur: ut in omnibus negotiis his conficiendis, litibus & contentionibus componendis, matrimoniis conciliandis ac disponendis, cunctis denique tricis extricandis, quamprimum ad Religiosum consanguineum recurrant: unus ipse ad crudam hanc lanienam peragendam ex obligatione teneri, ipso nullus ad hæc aptior, nullus plus otii habere, nec aliud quod agat, quam ipsorum negotia curare, habere videatur.

Quare id adeo cavendum sit.

Constit. monach. c.11.

l.7. Moral c.14.

3. Vnde egregiè Ludolphus Carthusianus, etiam de sæcularibus Prælatis & Clericis loquens, Deo illis sobolem & filios negante, diabolum iis ait cognatos & nepotes substituisse, citatque notos illos versiculos:

Ludolph. in vita Christi p. 1.c.6.

Versutia Satanæ insidiantis Religioso.

Cùm factor rerum privaret semine Clerum,
Ad Satanæ votum successit turba nepotum.

Hinc scilicet diabolus cognati negotium urget, & ut aliqua neptis elocanda veniat, ut ipse tandem horum in partem venias, remque operâ tuâ promoveas, quò te de statu tuo, atque instituti præscripto deturbet. Neque enim tam consanguineorum bonum, quàm tuum spectat malum & interitum. Sed, ah miserum Religiosum suas ipse facultates, honorem, commoditates & delicias omnes repudiavit, quò se ab his curis ac difficultatibus expediret; & tu eum vis alienis gravare, & velut obstringere, ut quidquid caro & sanguis negotiorum habet, unus ipse curare, promovere, & conficere teneatur, itaque vocationis suæ Religiosæ fructum amittat.

4. Quare egregiè hac in materia respondit Abbas Apollo, teste Cassiano. Cùm enim frater Germanus intempesta nocte ad eum venisset, implo-

Exemplum.

Collat. 24. c.9.

implorans ut de monasterio suo paulisper egressus, sibi in evellendo leone, qui in cœno palustri inhæserat, opem ferret, quòd eum solus extrahere non posset; Apollo pertinaciter obsecranti, cur, ait, fratrem nostrum juniorem, qui prætereunti tibi in via propior erat, non rogasti? Tum illo dicēte, jam ab hinc annis quindecim ille vita decessit; intulit Apollo: *Ignoras ergo & me ante annos viginti huic mundo defunctum esse, nullaque jam posse de hujus cellæ sepulcro quæ ad præsentis vitæ pertineāt statū, tibi conferre solatia?* Hoc ergo se modo similibus in casibus Religiosus se gerat oportet: qui si procurationes & negotia consanguineorum à se abdicare nequeat: aut nolit, certus sit, in magnum ea animæ suæ detrimentum cessura, quantumvis honestus pietatis titulus ea coloret, & æquissimis ad illa suscipienda causis amoveri videatur.

Damna ex curis sæcularium. *In regul. monachorum quam collegit Lupus de Oliveto.*

5. His consentiunt illa S. Hieronymi in regula verba; *Quanti monachorum, dum patris matrisque miserentur, suas animas perdiderunt*, & miserè perierunt! Quotidiana id experientia satis nos docet, & non pauca suppetunt exempla Religiosorum, qui ad infelicem hunc compassionis cognatorum consanguineorúmque scopulum fœdum & deplorandum naufragium fecere. Quot à sua vocatione desciverunt, & Religionem turpiter deseruere, quod consanguineorum vel negotia defendenda susceperunt, vel honorem nimis efflictim promovere studuerunt? Quot, pro dolor, apostatas videmus per vicos & plateas oberrare, eò quòd parentibus suis succurrere è pietate quadam voluerunt? qui nulli alii dein usui sunt, quàm ut illorum facultates consumant & àbliguriant, & senectutem ipsorum gravem & amaram vita sua scelerata reddant.

Cōpassio consanguineorum telū est diaboli.

6. Vnde non immeritò S. Basilius tentationem hanc diaboli telum atque armaturam nuncupat, quàm nos omni contentione effugere oportet, quod illo nobis tale is vulnus soleat infligere. *Scientes*, inquit, *itaque intolerabile detrimentum hujus erga cognatos affectus, fugiamus illorum curam tamquam diabolicam ad impugnandum nos armaturam habentem.*

Cap. 21. constit. monast.

Cavendi falsi in hoc genere prætextus.

7. Nemo verò hic sibi blandiendo se excuset, nec nimium sibi fidat, nec de sanctitate ac spiritus robore nimiopere præfidat, dicendo, quidquid hoc in genere facit, jam ab obedientia purgatum & velut colatum esse. Nam, quòd suprà de cognatorum visitationibus, & profectione in patriam dicebamus, hic quoque locū habet: nimirum: Superiores sæpe velle ne consanguineorum rebus te implicares, id namque sciunt longè esse consultius; id tamen eos permittere, quòd non sat virtutis, ad earum tractationem excutiendam, te habere videant. Quod non obedientia, sed nuda permissio est: condescendit tibi tuæque imbecillitati Superior, ac potiùs tuæ hic ipse, quàm tu ipsius voluntati, obsequitur. Denique si Religiosus ille, de quo suprà matrem suam videre noluit, quòd Superior pro eo in die judicii spondere nollet; quanto

quanto erit æquius, ne ipſe te conſanguineorum negotiis involvas & implices, niſi Superiore tibi expreſsè præcipiente, ac pro te fide jubente, cum tot ea res expoſita ſit periculis?

Caput V.

Hactenus tradita exemplis confirmantur.

Prat. ſpiritual. Ruff. in vitis Patrum. Exemplum. Abbas Pœmen pro capto nepote non vult intercedere, ne ſe ſæculi rebus implicaret.

I. De Abbate Pœmene ſic antiquos Patres narrare ſolitos, in Prato ſpirituali legitur: Quodam tempore cùm Ægypti judex, audita ſancta opinione, Abbatis Pœmenis veniſſet, eum videre cupiens, miſiſſetque nuntium deprecans ut ſuſciperet eum, quòd ipſum alloqui vellet, Pœmen contriſtatus eſt, cogitans apud ſemetipſum, ſi cœperint nobiles ad ſe ſalutandum & honorandum venire, mox etiam popularium plurimos eamdem ob cauſam confluxuros; itaq; ſecretam vitæ ſuæ converſationem, ſolitariaque exercitia perturbanda, nec non humilitatis gratiam, quam tanto cum labore, auxiliante Domino, à juventute ſtuduerat conſervare, diabolo ſurripiente, perditum iri, & à vanæ gloriæ aure ſe abripiendum. Hæc animo tum agitat, ſtatuit apud ſemetipſum ſe excuſare & judicem non ſuſcipere. Contriſtatus judex, cuidam de miniſtris ſuis ait: Peccatis meis imputo, quod hominem Dei videre non merear. Exinde autem quacumque occaſione quæſita, eum videre ſummopere expetivit. Hanc ergo tandem cauſam invenit, quam ſufficiens ei videbatur, ut ipſe vel ſe venientem gratanter ſuſciperet, vel etiam ultrò ad ſe compellandum eremo egrederetur. Comprehendit enim filium ſororis Pœmenis, miſitque in carcerem, & miniſtro ſuo clàm ait: Vade ad ſenem, eique nuntia ne propterea contriſtetur, ſi enim ad me venire voluerit, quamprimum Nepotem càrcere educam: quamquam crimen admiſſum ejuſmodi ſit, ut caſtigationem promereatur. Audiens hæc mater juvenis, ſcilicet filium libertati reſtituendum, ſi modò frater judicem adiret; eremum petiit, & ad ejus cellulæ oſtium multo cum fletu & ejulatu rogare cœpit, ut deſcenderet ad judicem, ac pro filio ſuo intercederet. Pœmen autem tametſi eam audiret, verbum non eſt locutus, imò nec oſtium ei aperire voluit. Tum illa excandeſcere, & in calumnias cœpit prorumpere, duriſſimum, crudeliſſimum, & ferreorum viſcerum hominem vocans; quòd lacrymas ac dolorem ſororis non moratus, pro unico quem haberet filio, à morte vindicando verbum loqui vellet. Tum Pœmen per fratrem qui ei miniſtrabat ſignificari ei juſſit: *Pœmen filios non genuit, & ideò non dolet.* His auditis, reverſa mulier eſt, cognitis autem quæ facta fuerant judex, dixit amicis ſuis: Scribite ad eum ut vel epiſtolam deprecatoriam mihi ſcribat, quatenus eum liberum queam dimittere. Tunc, quàm plurimis eo cum nuntio ad ſenem abeuntibus, ac rogantibus ut ad judicem ſcriberet, tandem in hæc verba exaruit,

Iubeat nobilitas tua diligenter inquiri in causam illius, & si quid dignum morte admisit moriatur, quatenus in hoc præsenti sæculo exolvat crimen peccati sui, ut pœnas evadat æternas & gehennæ.

Exempl. 2. Vti nec Abbas Pastor. VitæPatr.

2. In vitis Patrum simile quid de Abbate Pastore refertur, qui nullæ adduci ratione potuit, ut pro cognato ad mortem jam condemnato intercederet, ne se rebus ad carnem & sanguinem spectantibus immisceret.

Exempl. 3. Lib.3.c.5. Vitæ. S. Ignatius matrimonium neptis curare noluit.

3. Sic S. Parens Noster Ignatius, matrimonii neptis suæ, (quæ unica erat familiæ ipsius caput & heres) causam promotionemque in se suscipere noluit, rametsi multi illustres viri instantissimè id eum rogarent: ut, Naiaræ Dux & Albu quercius: quibus iis respondit matrimonium illud sua nihil interesse, sed ab instituto esse nimiopere alienum; se jam tot ante annos sæculo mortuum curis illis omnibus nuntium remisisse; non esse æquum id repetere quod pridem omiserat, & aliena seque indigna tractantem induere iterum tunicam quam exuerat, & rursus inquinare pedes, quos per Dei gratiam laverat, juxta illud scripturæ: *Exspoliavi me tunica mea, quomodo induar illa? Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?*

Cant. 5. 3.

Exempl. 4. Lib.4.c. 6, vitæ. Nec Frã. cis. Borgia filii sui.

4. A P. Francisco de Borgia numquam potuit impetrari, ut à Summo Pontifice facultatem peteret, qua Alvaro filio ipsius ex Apostolica dispensatione liceret Ioannam Aragoniam, sororis suæ filiam, Marchionatus Alcannisei jam heredem factam, uxorem ducere, quam vis tanti id filii interesset, quia tam illustris hoc matrimonio illi principatus erat accessurus: esto ex alia quoque parte illi constaret, Pontifici nihil adeò in votis esse, quàm ut ipsi, atque adeò omnibus rebus ipsius, suo favore consuleret. Quid? quòd ipse etiam Cæsar Carolus aliquando periculo Borgianæ constantiæ facto, mirificè delectatus comperit verissimum esse, quod vulgò jactarent, Franciscum omnem carnis & sanguinis, quin & filiorum suorum affectum exuisse, itaque se erga ipsos habere, quasi non essent.

Affectus in parentes sacrilegii periculum adducit, in materia S. paupertatis. Constit. monast. citt.

Documentum ex exemplis dictis.

5. Consideremus nunc, à quibus negotiis sancti illi viri abstinuerint, quæ tanti tamen erant, momenti, & tam brevi tempore confici poterant, contra verò videamus, quibus hodie rebus se Religiosi immisceant, si tanta sanctimonia viri tantopere mundanorum negotiorum tractationem subterfugerint; cur qui tam fragiles & imperfecti sunt, nõ pertimescant? Vnde etiam maiori nos periculo exponimus: atque hæc, credo, unica nostræ securitatis & exigui timoris est causa, quod tam modicæ sanctitatis sumus: si enim verè sanctitatis ac perfectionis studiosi essemus, grandia quæ in hac negotiorum tractatione continentur pericula, pertimescceremus, &, sanctorum illorum adinstar, illam remis velisq; fugeremus.

Excæcat etiam,

CAP.

Caput VI.

Alia nimii erga consanguineos affectûs mala & damna; & quomodo nos suo Christus exemplo eum exuere docuerit.

Affectus in parentes sacrilegii periculum adducit, in materia S. paupertatis. Constit. monast. cap.

1. NAturalis hic erga consanguineos affectus & compassio subinde, teste Magno Basilio, eò Religiosum redigit, ut, quò illorum succurrat inopiæ, sacrilegium committere, & Religioni sua subtrahere non vereatur. Ac licet ex iis quæ Religionis suæ sunt, nihil surripiat, ex iis tamen impendit quæ devoti fideles Religioni daturi erant; & hincinde, tum à pœnitentibus, tum ab amicis, corrogat quidquid potest, ut in illos eroget. Idque nonnunquam cum ministerii ac functionis suæ detrimento: neque enim ea qua oportet, in illos quibus opus habet, & quibus ita ob accepta beneficia obnoxius est, uti libertate potest. Alias quoque cum aliquo conscientiæ remorsu, quasi in paupertatis votum per hoc delinquat, dum dubitat: Mihine id datum, an cognato; egone id ei do, an alter?

Excæcat etiam.

2. His accedit, quod hæc in consanguineos affectio ita hominem excæcet, ut ne hic quidem sistat, & licitum putet, quod aliquando prorsus illicitum est, nec cum voto paupertatis pugnare, quòd directè & verè ei contrarium est. Et ut Religioni aliud nihil suffuretur, quam tempus quod consanguineorum negotiis curandis impendit, hoc certè ipso eam plus quam satis est defraudat, & furatur. Quia, ut idem Basilius prosequitur, non jam amplius tuus es, sed Religionis, cui etiam corpus, opera, ac labores tuos obtulisti; atque ideò ipsa non animæ tuæ solum, sed & corporis rationem & curam gerit, de omnibus necessariis tibi prospiciendo: tu verò, qui omnem sustentationem & fomentum à Religione capis, parentum & affinium negotiis totum impendis. Hoc ergo omne Religioni subtrahis & sacrilegè furaris: ut taceam offendiculum & scandalum, quod iis præbes qui te parentibus ita affixum & sanguini ac carni ita adhærescere vident.

Idcirco Domini odium illud suasit.

3. Non sine ratione ergo dixit in Evangelio Redemptor; *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Vbi benè advertit S. Gregorius, quòd eodem Dominus odio nos ipsos odisse jubeat, quo parentes ac consanguineos: ut, quemadmodum sancto quodam odio erga temetipsum ferri debes, in omnibus qua caro adversus spiritum ac rationem concupiscit, te mortificando & obluctando, ac nullatenus ei condescendendo; eo, quod illa maximus & juratissimus hostis noster est: cõsimili etiam odio parentes, consanguineos, cognatos, affines prosequi debeas, nullatenus iis obsequendo, sed in omnibus quæ salutem, profectum ac perfectionem tuam ullatenus impedire ac remorari queant, ipsis contradicendo. Hi quippe aliqua tui pars sunt; quin & inimici

Luc. 14. 26.

Lib. 7. Moral. c. 14.

inimici jurati, quo referas illud: *Inimici hominis domestici ejus.*

Michea 7. 6.

4. Cùm sæcularis quispiam F. Ægidio diceret, omnimodis apud se constituisse, Religioni nomen dare; ipse ante omnia ei suasit, ut, siquidem firmiter hoc decrevisset, omnes quos haberet consanguineos occideret. Tum ille in lacrymas effusus, ne te obsecro, inquit, per misericordiam Dei, mihi tot enormium scelerum auctor esse velis. Ægidius verò subridens. Tam ne, ait, tu stolidus & simplex es, ut paricidii te reum velle me putes? neque enim materiali eos gladio, sed mentali interfectos volo: nam *qui non odit patrem & matrem,* & ceteros cognatos, *suum discipulum esse* posse disertè Dominus negat.

1. p. lib. 6. cap. 20. Chronic. Minor.

Quomodo odiendi cognati.

Luc. 14. 16.

5. Et sanè observatu dignum est, quoties hanc ipsam doctrinam & consilium Dominus in Evangeliis inculcet, & quam diverso schemate proponat observavit hoc idem Basilius loco superiùs laudato, adfertque duo illa exempla, quæ ibidem legere est. *Primum* adolescentis illius, qui, cùm Christum sequi decrevisset, copiam sibi fieri de bonis & facultatibus suis disponendi ante omnia petiit. Cui à Domino responsum est: *Nemo mittens manum suam ad aratrũ, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* Ille autem respicit retrò, qui, cùm semel manum ad aratrum consiliorum Evangelicorum miserit, negotia sæcularia, quæ olim à se abdicavit, iterũ resumit: quapropter timeat sententiam Domini diserte pronuntiantis illum regno Dei ineptum esse. *Alterum* exemplum adolescentis illius est, qui etiam sequelæ Christi se dedicaturus, humandi patris gratiam ac veniam sibi fieri poposcit. Res sanè erat hæc quam honestissima, ac brevissimo tempore peragi poterat: vetuit tamen Dominus, & ait: *sine ut mortui sepeliant mortuos suos.* In quæ verba commentans Theophylactus, *si autem illi,* ait, *neque patrem sepelire licuit, væ his qui monasticen professi ad mundana regrediunt negotia.*

Christus & verbis cognatorum odium docuit & exemplis alie-

Constit. mon. c. 21.

Luc. 9. 62

Luc. 9. 60

Theophyl.

6. Neque verò satis Domino fuit, verbo & exemplis alienis id nobis declarare, sed suomet præterea exemplo hanc parentum & consanguineorum abdicationem parvamque curam nos voluit docere; ubi in plurimis Evangelii locis erga matrem suam asperius & æquo rigidius se habuisse visus est, uti patet in illa austeriore (prout quidem externis sonat) ad eam responsione, cùm eum in templo invenisset: *Quid est quòd me quærebatis? nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Nec non in nuptiis, cùm deficiente vino ab illa interpellatus dixit, *Quid mihi & tibi est mulier?* ut videlicet, inquit Bernardus, modum nos doceret, quo cum consanguineis & cognatis nos agere oporteat, ut, cum à professionis & instituti fine nos avocare volent, eis contradicamus, illud eis oggerentes: *In his quæ Patris mei sunt,* quæ ad Deum & animæ salutem spectant, *oportet me esse.* Denique illi qui ait, *Magister dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem,* præfractè & durè respondit: *Homo, quis me constituit judicem aut divisorem super vos?* non sum missus ut litem vestram dirimam

Imo & suomet exemplo.

Luc. 2. 49.

Ioan. 2. 4.

Serm. 1. Domin. 1. post octav. Epiphan.

Luc. 12. 14.

rimam. Præclarè hoc suo exemplo nos docens, id genus negotia tamquam professioni & vocationi minùs congrua, nobis esse declinanda.

Luc.9.60

Caput VII.

Theophyl.

Tentatio hæc non modò pietatis, sed & obligationis naturalis titulo velari solet: deque remedio contra eamdem.

Imo & suomet exemplo.

Quomodo argutæ tentationi occurrerit S. Ignatius.

Cap.3 Examin.§.3.

1. QVoniam verò hæc tentatio interdum non solo pietatis, sed & obligationis ac vinculi, velamine cohonestatur (id quod tentationes maximè periculosas solet reddere;) hinc S. P. Noster, damnis, quæ hinc in Societatem redundare queant, occursurus, eaque maturæ præventurus, suis in Constitutionibus omnes, qui in eamdem aggregari petunt, interrogari jubet, an dubium erit, num parentibus & cognatis succurrere teneantur, se permissuri sint regi secundùm id quod Societas eiusvé Superior quoad illis præscripserit, proprium in eo judicium neutiquam sequendo.

Luc.2.49.

Ioan.2.4. Serm.2. Domin.1. post octav. Epiphan.

Cur S. Vir eo remedio usus.

2. Etenim in propinquorum rebus, perinde ac propriis, affectus hominem excæcare, & errorum committendorum esse causa solet: unde ipsi hac in causa boni nequeunt judices esse. Quamobrem, ut omnes tuti, quieti, & ab omni prorsùs scrupulo immunes sint, hoc consilium ac remedium S. P. N. adinvenit.

Luc.12.14.

Quàm justè illo remedio utamur.

3. Vnde quilibet contentus esse, & acquiescere tenetur ei quod hac in parte Societas in Domino ipsi faciendum præscriberet, cùm tantam in ea invenire sit doctrinam, tam perfectum Dei amorem, & ipsa quid juxta scientiam ac conscientiam expediat, accuratè dispectura sit. Atq; ideò singulis in eamdem cooptari postulantibus id in principio proponi, & rogari consuevit: qui si hoc se paratos facere negent, in eamdem admitti vetantur. Adhæc ingentes quis Deo gratias agat oportet, quod jam sibi securè horum curam deponere liceat, ut tanto ferventiùs, & magis ex animo suo profectui & perfectioni vacare queat.

Aliud remedium eiusdem in bonorum erogatione.

4. Eamdem ob causam idem S. Pater statuit, ut, cùm facultatum temporalium hereditatisque partitio in cognatos & propinquos, eò quod egeni sunt, facienda est, omne quod hic facto opus est, duorum aut trium virorum, doctorum æquè ac piorum, quos cum Superioris assensu quisque delegerit judicio committat, qui sincerè inquirent ac dispicient, num ii verè sint pauperes, ac verè opus habeant; ne quem caro & sanguis nos hîc errorem faciat committere. Adeò quidem, ut, si facultates in externos pauperes distribuendæ sint, hoc nos judicium & examen minimè necesse sit subire; sed tantùm, cùm in pauperes consanguineos, ob periculum, quod ex amore & affectu naturali sequi solet.

Li.7. Moral. c.14. Luc.9.60

Periculũ in curandis rebus propinquorum.

5. Hoc periculum pridem S. Gregorius notavit in exemplo adolescẽtis illius, quem Christus patrem vetuit sepelire: non prohibuisset illum externum quempiam sepelire; sed potiùs consuluisset, fuissetq; id opus misericordiæ; id tamen officii vetat illum

illum præstare patri: ut intelligamus, sæpè, quod licitè externis præstari potest, propinquis & consanguineis exhiberi minimè posse, primò ob periculum quod ibi latet: deinde ob scandalum eorum qui Religiosum vident propinquorum & cognatorum negotiis assiduè implicari atque immisceri. Certum quippe est, aliter hominem externi cuiuspiam, aliter cognatorum consanguineorumque negotia curare. Priora enim eum non inquietant, nec intempestivis curis animum lancinant; at per hæc magnopere se sentit turbari, optatamq; animæ pacem convelli, exercitiaq; sua spiritualia nimiũ qúantum impediri.

Consiliũ, ut curentur propinqui sine periculo.

Quæst. fusius disp. qu. 32.

6. Vnde cùm aliquando ipsa necessitas exiget, ut cognatorum rebus succurrat, longè ei tutius ac consultius, ac maioris ædificationis erit, ut alter quispiam Pater earum tractationem suscipiat, & non ipse. Et sic ut fiat, in Societate per constitutiones decretum est, & faciendum monet S. Basilius.

Aliud commodum ex prædicto consilio oriens.

7. Vt taceam, quòd, cùm proprius ipse cognatus his negotiis intendit (siquidem adhuc aliquæ carnis & sanguinis reliquiæ in eo supersint) nollet ut consanguinei sui pauperes essent, aut aliquibus adversis & penuria rerum premerentur; Deus verò ex adverso eos velit egenos esse, & cum adversis conflictari, quòd id tum ad ipsorum salutem, tum illius humiliationem magis expediat. Solet verò alia his non raro intercurrere vanitas ac dementia, nempe, quòd nonnulli Religiosi cognatos & consanguineos suos magis eminere & plus possidere velint, quàm priùs eminebant & de facto possidebant, cum ipsi non tum essent Religiosi. Quo manifestè produnt corpore se, non animo, Religiosos esse: cùm enim esse deberent humiliores, vanitatis & præsumptionis plus habent.

Serm. 4[illegible] in Cant. ca. Ps. 44. [illegible]

Quomodo Religiosus debet esse affectus circa propinquos.

In regul. monach. quam colligit Lupus de Oliveto.

8. Denique quisquis finem, ob quem Religionem suscepit, consequi vult; omne consanguineorum suorum commercium, eorumque negotiorum tractationem deponat, atque à se penitus abdicet oportèt. *Qui* (ad perfectiùs Deo serviendum, consanguineorum oblitus fuit, &) *dixit Patri suo, & matri suæ, & fratribus suis, Ignoro vos, & nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum servaverunt*, nec non Evangelica consilia quæ professi sunt. Vnde egregiè S. Bernardus (cui & reliqui SS. Patres suffragantur) Religiosum velut alterum Melchisedec esse debere asserit, quem Apostolus ait fuisse *sine patre, sine matre, sine genealogia.* Non quòd is parentibus caruerit: quòd enim verus esset homo, adinstar aliorum necessariò parentes habere debuit: sed idcirco iis caruisse dicitur, quia sacra scriptura, cùm de illo ut sacerdote mentionem facit, nullibi horum, uti nec dierum eius initii aut finis, meminit. Vt significet, sacerdotes, atque inprimis Religiosos perinde ab his sequestratos & disiunctos esse debere, ac si nihil horum haberent, rebus verò spiritualibus & divinis ita addictos, ac si è cœlo prognati essent. In animo denique

Deut. 33. 9.

Exemplum.

Bernard.

part. 2. [illegible] Chronic. Minor.

Hebr. 7. 3.

Religiosus sit instar Melchisedec.

ita

ita constitutos, ut Melchisedech, nihil ut in hoc mundo habeant, quod eos constrictos teneat, atque impediat quò minùs citatis gressibus ad perfectionis fastigium contendant. Itaque iis S. Bernardi verbis huic tractatione finem imponamus, quibus ipsæ suæ: *Sede itaque solitarius sicut turtur, nihil tibi & turbis, nihil cũ multitudine ceterorum, etiam ipsum obliviscere populum tuum, & domum Patris tui, & concupiscet rex decorem tuum.* Ad quæ psalmistæ verba sic annotavit S. Hieronymus: *Grande præmium est parentes oblivisci, quia concupiscet rex decorem tuum.* Id est, magnum & sublime quid esse debet consanguineorũ ac parentum effectum exuere, cùm tam eximium exuentibus eum præmium addicatur, nimirum, ipsorum pulchritudinem Deum cõcupiscere.

Serm. 40. in Cantica. Ps. 44. 11.

In regul. monacho. quam collegit Lupus de Oliveto.

Exemplum.

9. Coronidis loco, historiam proposito congruam, hic addere placuit, ex Annalibus Minorum depromptam: Ordinem illum Parisiis susceperat quidam S. Theologiæ Magister, quem ad hunc usque gradum mater paupercula partim stipe corrogata, partim de domesticæ rei tenuitate in studiis educarat. Audiens hæc filium se Religioni dedicasse, improvisæ orbitatis impatiens, ad monasterium advolat, multisque cum lacrymis & importunis precibus, ostensis etiam quibus eum lactarat uberibus, & narratis quibus in studiis aluerat sumptibus eum sibi reddi efflagitabat, in extrema necessitate sibi & senectute decrepita solatio futurum. Ipse his lacrymis nonnihil motus, à proposito statuit resilire, die crastina monasterio egredi. Verùm amore divino aliud suadente, & magnam in animo luctam in diversa trahentem, sentiens, ad orationem ex more confugit: & ante Christi crucifixi effigiem prostratus, angustiis pressus undique: *Nolo te*, ait, *deserere, Domine nec tu, obsecro, hoc umquam permittas: matri dumtaxat mea extrema cum inopia conflictanti succurrere cupio.* Hæc dicens, & oculos ad crucifixum convertens, sanguinem è perfosso Domini latere ubertim procurrentẽ conspicit, simulque vocem dicentem audit: *Longè mihi pluris stetisti quam matri: nam te creavi, meoq; sanguine redemi, unde non erat cur matris me causa desereres.* Hoc Magister spectaculo perterritus, & amorem Christi materno potiorem ducens, in susceptæ vitæ proposito permansit, & adusque vitæ finem in eo constanter perseveravit.

part. 2. c. 11. Chronic. Minor.

10. Tametsi verò hoc in tractatu solos Religiosos allocuti & docuisse videamur; si tamen sæculares hinc discerent, (quod unicè optamus) Religiosis rerum suarum tractatione molesti non esse non inquietare, nec se regimini Religionis immiscere, importunè petentes ac procurantes, ut cognatus vel amicus ipsorum quispiam, ad hunc illumvé locũ mittatur, aut sedem figat; mirum, quantùm cùm sibi ipsis, tum nobis commodarent.

Prædicatorum applicatio ad sæculares.

TRACTATVS SEXTVS,

DE TRISTITIA ET LÆTITIA.

CAPVT PRIMVM.

De damnis ingentibus è tristitia provenientibus.

Eccli. 30. 24. Damnosa est tristitia. Lib. 9. de instit. renunt.

1. TRistitiam, suadet, Ecclesiasticus, *longè repelle à te, multos enim occidit tristitia, & non est utilitas in illa.* Cassianus in toto eo libro, quem de spiritu tristitiæ composuit, non minorem dicit diligentiam, cōtentionem & studium ad hunc morbum depellendum, quàm ad reliquas infirmitates & tentationes spirituales in hac vita nobis occurentes, requiri idque ob varia & grandia inde promanantia incommoda, quæ eo in loco pluribus è sacris litteris deducit:

Tristitiæ effectus, pessimi. 1 Separat ab exercitiis divinis.

2. *Si passim*, inquit, *tristitia spiritus per singulas incursus & incertos ac varios casus, obtinendi animum nostrum habuerit facultatem, ab omni nos per momenta singula separat divinæ contemplationis intuitu, ipsumque mentem ab universo puritatis statu derectam funditus labefactat ac deprimit. Non orationes eam explere cum solita cordis alacritate permittit, non sacrorum lectione remediis incubare.* Adhæc; *ad cuncta operantium vel Religionis officia impatientem & asperum reddit*, ut ne quidem ea, nisi cum nausea & tædio quodam videre sustineat, ut cum Propheta dicere queat: *Dormitavit anima mea præ tedio.* Hoc in versu, inquit Cassianus, tacitè, sed evidenter satis, propheta nobis damna tristitiæ exposuit. *Propriè satis non corpus dixit, sed animam dormitasse, verè enim ab omni contemplatione virtutum, & intuitu spiritualium sensuum dormitat anima, quæ perturbationis huius fuerit telo sauciata*; adeò ut ad omne bonum inepta ac torpens videatur. Subinde quoq; tanto rerum spiritualium fastidio laborat, ut & horrori illi sint & displiceant qui virtuti & perfectione student, & hos ipsos præterea à bonis exercitiis divertere & retrahere nitatur.

Ps. 118. 28. lib. 10. c. 4.

Secundo intractabilem facit.

3. Habet & illud, teste Cassiano, tristitia, quòd hominem fratribus suis asperum & austerum reddat. unde Magnus Gregorius: *Tristitia*, inquit, *ex propinquo habet iram.* Ita se rem habere quotidiana docet experientia:

l. 31. Moral. c. 31.

rientia: videmus enim, nos, cùm cõtristamur, facilè stomachari, indignari, & quamprimùm rei alicuius tædio capi. Reddit præterea in rebus agendis impatientem, suspicacem, & malignum. Interdum quoque usque adeò eum turbat, ut omni sensu & mente eum privare, & extra se rapere videatur. secundum illud Ecclesiastici: *Non est sensus, ubi est amaritudo* & tristitia.

Eccl. 21. 25

Tertio dementat etiam hominē.

4. Hinc videmus, eum cui mœroris & melancholiæ passio dominatur, subinde à tam exoticis apprehensionibus ac suspicionibus angoribusque tam umbraticis insideri, ut qui sui sunt compotes, ipsum rideant, & de illis velut de fanaticis commentis ac deliriis loquantur. Vidimus quoq; plures, alioquin gravissimos juxta ac doctissimos viros plurimisq; naturæ dotibus instructos, ita ab hac passione infessos fuisse, ut (quòd sine lachrymis dici vix potest) modò puerorum adinstar amarissime flerent, modò profundo è pectore tam alta ducerent suspiria, ut rugire viderentur. Atq; ideò, cùm rationis jam sunt potentes, & hanc sibi stultitiam (sic enim meritò nominari potest) imminere vident; cubiculo sese includunt, ut illic soli & absque arbitris ploratui & suspiriis habenas laxent, ne eam qua apud alios valent auctoritate & opinione, amittant siquid huiusmodi facere notarentur.

Quarto totū hominem subvertit.

5. Si verò jam inde à capite pestilentis huius tristitiæ effectus & damna, quos in animo causatur, scire desideras, Eos *satis evidenter*, ait Cassianus) *ac propriè spiritus divinis expressit*, paucis illis verbis apud Sapientem: *Sicut tinea vestimento & vermis ligno: ita tristitia viri nocet cordi; vestimentum namque tinearum esu attactum, nullius pretii, vel honesti usus poterit ulterius habere commercium: itidemque lignum vermibus exaratum, non jam adornatum vel mediocris ædificii, aut sustinendum aliquod pondus, sed ad combustionem ignis merebitur deputari: Ita & anima quæ edacissimis melancholiæ & tristitiæ morsibus devoratur, inutilis erit ad omne bonum.*

Prov. 25. 20.

6. Neque verò hîc mali est finis; sed, quod deterius, ipsa tristitia cordis plurimarum tentationum plurimarumq; ruinarum causa est. *Multos enim occidit tristitia, dans scilicet in peccata præcipites*: idcirco ipsa non inscitè nec injuria, à quibusdam latibulum prædonum, & spelunca dæmonum vocatur. Et ad hoc probandum adducunt illud Iobi: *sub umbra dormit*: In illa scil. umbra, obscuritate, nebula, & tenebris confusionis, quam in tristitia sentis, cacodæmon dormitat & delitescit; hæc illius nidus & spelunca est: in hac suas procudit insidias, hæ denique dispositio est, quam studiosè is quæritat id omnigenis tentationibus hominem aggrediendum. *Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt bestiæ sylvæ.* Quemadmodum serpentes & feræ noctis obscuritatem præstolantur ad speluncis suis egrediendum; sic dæmon serpens ille antiquus, tristitiæ noctem & obscuritatem exspectat, ut, ubi illa venerit, omne tentationum genus adversus nos in aciem producat. *Paraverunt sagit-*

Quinto Tentationum est irritamētum.

Eccle. 30. 25.

Iob 40. 16

Ps. 103. 20 & 22.

Ps. 10. 3.

sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.

Quomodo dæmon melancholia tentet.

7. Dicebat Sanctus Franciscus, dæmonem nimiopere lætari solere, cùm quis mœrore interno dejicitur: facilè namque tunc eum in tristitiæ aut desperationis barathrum pertrahit, aut ad mundi oblectamenta consectanda pellicit. Quod sancti viri monitum cumprimis notandum est, utpote singularis auctoritatis & momenti. Qui enim à melancholia aut tristitia est occupatus, hunc cacodæmon interdum indifferentiæ vel desperationis abyssum trahit præcipitē, uti, Cainum ac Iudam pertraxit: interdum verò, cùm hæc illi machina non rectè succedit, mundanarum delectationum illecebris inescare studet; aliàs quoque voluptatibus carnalibus ac sensualibus, persuadens his illum à molestia & tristitia quam sentit liberandum. Hinc est, quòd quàm primum mœrore quispiam affligitur, continuò ei tentationes de instituto Religioso deserendo obrepere solent: promittit enim diabolus futurum, ut in mundo hilarem ac jucundam vitam agat, & de facto multos tristitia & melancholiæ à Religione fecit desciscere. Alias denique carnales & spurcas cogitationes ei solet objicere, quæ aliquam sensualitati delectationem adferant; efficitque ut iis morosè revolvendis aliquantisper immorentur, quasi per illas tristitiæ nebula sit discutienda, animusque nonnihil à mœrore alleviandus. Quod sanè periculum inprimis metuendum est in tristitia & melancholia oppletis: quòd id genus tentationes hos ut plurimum impetant & vexent. Id etiam rectè D. Gregorius observat. Nam quoniam homo omnis natura duce semper aliquam delectationē ac gaudium quærit; hinc, cùm illam in Deo rebusve spiritualibus non invenit; diabolus cui nostra inclinatio exploratissima est, res sensuales atque inhonestas ei repræsentat, & ex illis eum voluptatem ac recreationem colligere facit, qua præsens tristitia ac melancholia illi mitigari aliquantulum & imminui videatur. *Sine delectatione*, inquit, *anima numquam potest esse; nam aut infimis delectatur, aut summis*: nisi, inquam in Domino rebusque spiritualibus recreationem & delectationem habeas, necessariò illam in vilibus & sensualibus captabis, nam sine delectatione homo vivere nequit.

l. 18. Mor. cap. 8. Idē notat S. Bonav. tom. 2. opusc. l. 2. de profe. relig. c. 2.

Mortem temporalē causat, imò æternā.

8. Denique tot tantaq; à tristitia & melancholia damna proveniunt, ut dicere Ecclesiasticus non vereatur: *A tristitia festinat mors*: & alio in loco: *Omnis plaga tristitia cordis est.* Ipsa, inquam, omnium malorum seminarium est; causa quoque mortis, & quidem æternæ, inferni videlicet. Atque hunc in sensum declarat Sanctus Augustinus illud Iacobi Patriarchæ apud filios lamentantis; *Deducetis canos meos cum dolore ad inferos. Videtur*, inquit, *hoc magis timuisse, ne nimia tristitia* ob Benjaminum absentem, *si perturbaretur, ut non ad requiem beatorum iret, sed ad inferos peccatorum; neque enim parvum animæ malum & tristitia, cum etiam Apostolus nos moneat ut ab illa caveamus: Ne qua radix amaritudinis sursum germinans.*

Eccli. 38. 19. Eccl. 25. 17.

l. 52. super Gen. ad litt. Gen. 42. 38. Heb. 12. 15.

minans impediat, & per illam inquinentur multi.

9. Cùm ergò tanta sint incommoda & mala quæ è tristitia consequuntur; hinc nos sacra scriptura & SS. Patres tam impensè monent, ut ab ea nobis caveamus: idque non ut ipse in consolatione & recreatione vivas (parum siquidem referret tristisne fores an hilaris) sed tantùm ne tristitia semel animo admissa innumeras tibi calamitates adferret, atque ideo tantopere eam procurat & desiderat diabolus, probè gnatus, multa ab ea mala & peccata proficisci.

Caput II.

Rationes aliquot adferuntur, ob quas quàm maximè expediat servire nos Domino in lætitia.

Phil. 4. 4. Hortamenta ad lætitiam sacram.

1. Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete, nos monet Apostolus: Idipsum quoque Psalmista nobis variis in locis inculcat: *Lætamini in Domino, & exultate justi, & gloriamini omnes recti corde.* Et, *Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te.* Et, *Iubilate Deo omnis terra, servite Domino in lætitia: introite in conspectu eius in exultatione.* Et, *Lætetur cor quærentium Dominum.* Et aliis pluribus locis nos cohortatur, ut Domino in lætitia & exultatione serviamus. Hac quoque inter salutandum Angelus Tobiæ est apprecatus: *Gaudium sit tibi semper.* S. Franciscus dicere solebat: *Diaboli & membrorum eius est tristari, nostrum vero jugiter in Domino gaudere. Nam vox exultationis & salutis in tabernaculis justorum.*

Psal. 31. 11. Psal. 69. 5. Psal. 99. 1. Psal. 104. 3. Tob. 5. 11. S. Fran. opusc. Ps. 117. 15.

Rationes cur serviendum sit Domino in lætitia.

2. In suam nos Dominus domum allegit, atque inter tot hominum millia elegit; quam ergo tristandi causam habemus? satis quidem erat ad perspiciendum, per magni nostra referre semper gaudere, quò toties id in sacris litteris repetitum & inculcatum videamus, ex altera verò magna illa notemus damna, quæ è tristitia promanare diximus: Ad maiorem tamen abundantiam, utque rei utilitate ad oculum perspectâ, ad eam complectendam magis animemur; aliquot alias rationes addemus, ob quas nos expediat semper miram cordis hilaritudinem in Dei servitio præferre.

1. Ratio. Vult nos Deus hilares esse.

3. Prima sit, quòd ita jubeat & velit Dominus. Dicit quippe Apostolus: *Non ex tristitia aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* juxta illud Sapientis consilium: *In omni dato hilarem fac vultum tuum.* Sicut omnes terrestres domini à servis suis hilariter & lætanter serviri sibi volunt: quos si tristes demissis auribus morosos, & fronte corrugata vident, adeò non tam ulatu ipsorum delectantur, ut nauseam provocet potiùs: Pari ratione Deo Domino nostro quàm gratissimum est, quòd mira animi alacritate & lætitia non morosè ac dolenter ei serviamus. Vnde etiam signanter in Paralipomenon libris dicitur, Israëlitas ad fabricam templi multum auri, argenti, & gemmarum obtulisse *cum ingenti gaudio*: atque ob hoc ipsum ingentes regem Davidem

2. Cor. 9. 7. Eccli. 35. 11. 1. Para. 29. 9. & 17.

Deo egisse gratias, hanc populi in donando alacritatem videndo. Hoc nempè magni Deus Opt. Max. ducit: nec tanti facit opus quod sit, quanti voluntatem qua fit. Etiam inter nos vulgò dicimus: Pluris certè est voluntas qua id facit aut dat, quàm reliqua omnia: Vt hanc permagni æstimamus, esto alioquin obsequium & opus exiguum sit. Contrà, quantumvis opus aliquod magnum sit, nisi alacriter & volenter peractum sit, id nihili æstimamus, nec placet imò displicet. Unde perinde se res hic habet, ac si quis cibum in se exquisitissimum amaro admixto condimento, à quo is infectus reddatur, alicui porrigeret.

2 Ratio. Hilares declarāt se libēter suas agere tristes illibenter.

4. Secunda ratio est quod in magnam Dei gloriam & honorem cedit, ei cum gaudio deservire: hoc enim pacto ostendit homo, id se libentissimè agere, ac sibi quidquid agit nimis quàm exiguum videri, respectu ejus quod facere vellet. Qui verò morosè & cum tristitia ei obsequuntur, tacitè innuere velle videntur, multum sese agere, ipso sub onere fatiscere, ac vix id posse sustollere, eo quod grave sit ac ponderosum, hoc verò Deo displicet & nauseam creat. Atque ideò inter ceteras causas, ob quas Sanctus Franciscus fratres suos tristitiam vultu præferre nolebat, erat hoc: quòd hinc evidenter colligatur, quandam esse in voluntate ad bonum exequendum aversionem, & in corpore torporem. Alii verò, prout quidem hilares, prompti & expediti in operando sunt, tacitè significare videntur, nihil penitus agere se, intuitu eorum quæ facere desiderant & vellent: uti dixit aliàs Sanctus Bernardus: *Opus meum vix unius est horæ &, si plus, præ amore non sentio.* Atque hoc Domino longè gratissimum est, unde & in Evangelio ait: *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans*, quasi dicat: Lætitiam & festivitatem vultu præfer, ut videaris non jejunans, & nihil facere: & *nolite fieri sicut hypocritæ tristes*, qui exteriori gestu & incessu omnibus indicatum volunt: se jejunare, & videri aliquid facere. Ubi obiter notemus oportet, esse nonnullos, qui non aliter se modestè & collectis sensibus incedere posse putant, nisi capite demisso, oculis dejectis, & tristi ac caperata fronte, & hæc ad illud requiri. Quorum insignis est error: nam, teste S. Leone Papa, *Religiosorum modestia, non sit mœsta, sed sancta.* Habeat ergo oportet Religiosus modestiam hilarē, & hilaritatem modestam. Atque hæc duo convenienter combinare nosse, insigne illi decus est & ornamentum.

Serm. 14. in Cantic.

Matth. 6. 17.

Ser. 4. Qua.

3. Ratio. Hilaritate proximus ædificatur.

5. Tertiò. Non solum in magnum Dei honorem, sed & in proximorum commodum & ædificationem, ac virtutis confirmationem redundat. Qui enim hoc modo Deo serviunt, exemplo suo potenter hominibus spectantibus persuadent, in via virtutis difficultatem ac molestiam illā quam sibi mali repræsentant, non inveniri, cùm eos tanta cum suavitate & alacritate per eam currere videant, quo viso, nemo non, cùm naturaliter omnes alacres & hilares esse gaudeant, egregiè ad virtutem consectan-

dam

dam velut subditis calcaribus exstimulatur. Ob hanc certè rationem nos inprimis convenit nostras functiones ac ministeria cum alacritate obire, quòd tam frequenter cum proximo nos agere oporteat, finisque noster & institutum sit animas Deo lucrifacere. Hoc quippè pacto multi, non ad virtutem modò, sed & perfectionem ac Religionem amplectendam permoventur & afficiuntur. Nonnullos sanè idcircò mundū scio reliquisse, Religiosumq; statum suscepisse, quòd Religiosorum in vultu & incessu alacritatem hilaritatemque cernerent. Nihil quippè homines usque adeò in votis habent, quàm vitam hanc ærumnosam in gaudio & jucunditate peragere: &, si scirent, quo bonus Religiosus gaudio perfruatur, credo equidem fore ut mundus exinaniretur omnesque ad Religiosam vitam convolarent. Verum est hoc manna absconditum quod occultavit & reservavit iis quos eligere dignatus est, tibi Dominus absconditum hunc thesaurum detexit, fratri verò tuo minimè: hinc in mundo ipse remansit, te verò inde assumptum ad salutis portum huc evocavit; quo nomine ingentes ei gratias referas necesse est.

3. Ratio. Hilaritate proximus ædificatur.

4 Ratio Lætitia meritum augetur.

6. Quarta plerumque majoris meriti ac valoris est opus, dum cum hujusmodi alacritate & promptitudine peragitur, hæc enim efficit ut ipsum meliùs & perfectiùs fiat. Quod & Aristoteles agnovit, sic scribèns: *Delectatio perficit operationem, tristitia corrumpit.* Et ad oculum & re ipsa videre est, magnam esse inter eum qui libenter, & alium qui invitus & illubenter opus aliquod obit, disparitatem: nam hic aliud nihil videtur intendere, quàm ut id à se factum esse possit dicere, ille verò omnem dat operam ut benè faciat, & quàm potest rectissimè, id obire annititur.

lib. Ethic. c.4.

7. His addamus quod, teste S. Chrysost. hilaritas & animi gaudium vires & robur ad operandum subministret. Undè de se canit Regius Psaltes: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum.* Lætitia enim & hilaritas animum dilatat & ampliat, ait ergo: Cùm hanc mihi lætitiam, qua cor meum dilatabatur, suggerebas Domine, per mandatorum tuorum viam agilis currebam. Tum quippè nullus sentitur labor. *Current*, ait Isaias, *& nō laborabunt; ambulabunt, & non deficient.* Tristitia ex adverso cor angustiat, constringit & coarctat: nam non solùm operandi aufert voluntatem, sed & vires; efficitque ut, quòd priùs homini erat facilè, grave ac perdifficilè videatur.

homil. 41. in Gen. Lætitia cōforat. *Ps. 118. 32.* *Isa. 40. 31.*

Sic suam Aaron Sacerdos imbecillitatē ingenuè confessus est, Moysi eum reprehendenti, quòd, duobus filiis suis simul uno in casu à Deo jam sublatis mœrore confectus sacrificium offerre Domino neglexisset, respondit: *Quomodo potui placere Domino in ceremoniis mente lugubri?* quoque Israel in Babylonem captivi abducti rogati ut canerent de canticis Sion dicebant. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Atque quotidiè ipsi in nobis experimur, cum mœrore conficimur ac dejicimur, tunc non spirituales

Lev. 10. 19. Exemplum. *Ps. 136. 2. & 4.*

les modò in nobis concidere & imminui, juxta illud Sapientis, *In mœrore animi dejicitur spiritus*, sed & corporales: adeò ut brachia & pedes singuli talento nobis graviores & ponderosiores videantur. Propterea conscribunt Sancti Patres, ut intentionibus animum prę mœrore non contrahamus: hic enim mentem vigore suo dispoliat, hominemque torpidum & pusillanimem reddit.

Prov. 15. 13.

tract. 4. c. 10. & 11.

Qui hilares sũt, plerumque in cœptis perseverant.

9. Ex hactenùs dictis potest & alia ratio colligi, ob quam maximopere desiderandum sit, ut Dei servus, & potissimum Religiosus, miram in omnibus animi hilaritatem præferat. Cùm enim quis opera virtutis & Religionis functiones, cum alacritate obire cernitur, quotquot eum intuentur, in spem veniunt: & evidenter hinc colligunt, eum perseveraturum, atque id quod cœpit, ad finem usque prosecuturum: at cùm tristem & melancholicum vultum ostendit, haud obscurum non perseverantiæ argumentum præbet. Sicut cum aliquem sub grandi lignorum fasce anhelantem, ac labantem ideoque per intervalla subsistentem, & modò hîc, modò illic oneris partem illi excidentem videmus; quamprimum dicimus. Hic tanto oneri ferendo non est, credo fore ut in media via succumbens, ipsum ab humeris excutiat: at cùm eum sub onere hilarem, cantillantem, &c. quasi si nihil oneris sustineret, properantem cernimus, mox dicimus. Hic etiam gravius onus portaret. Eodem modò, quando quis cum tristitia & animi amaritudine virtutis ac Religionis opera peragit, videturque sub pondere suspirare & reluctando succumbere; suspicionem sui concitat, fore ut in Religione minimè perduret: etenim perpetuò velut adverso flumine remigando obniti, nonnisi mancipiorum est, & res nimis quàm violenta, at si in abjectis vilibusq; ministeriis ac reliquisque Religionis exercitiis, corporalibus æquè ac spiritualibus, hilaritatem ac jucunditatem præferat, omniaq; ei facilia ac levia videantur, bonam de se spem excitat fore ut porrò gradiatur, & ad finem usque in instituto perseveret.

S. Hieron.

CAPUT III.

Ob quotidianas & ordinarias culpas, in quas labimur, non est hæc animi lætitia deponenda.

Testimonio Avilæ.

1. **U**Squeadeò verò Sancti Patres volunt hanc nos alacritatem & animi lætitiam colere, ut ne quidem ob lapsus aliquot animo nos cadere, plus nimio contristari, aut tristitiam melancholiam ve nimiâ præferre permittant: certè tametsi peccatum una sit ratio, ob quas nos meritò contristari & dolere oporteat, monet tamen Apostolus, hanc tristitiam, magna spe veniæ ac misericordiæ à Deo consequendæ temperari & imminui debere, ne quam desperationem aut diffidentiam pariat: *Ne fortè abundantiorem tristitia absorbeatur, qui ejusmodi est.*

Culpa debet solum moderata tristitia castigari.

2. Quare S. Franciscus, qui hanc in fratribus tristitiam tantopere detestabatur, unum eorum quòd in mœrore

Exemplo S. Francisci pratico. 2. Cor. 2. 7.

mœrore versari & animo dejectior videretur, acriter reprehendit, dicẽs: Non decet Dei servum ullatenus tristari, nisi cùm in aliquam culpam incidit: si quam ergo contraxeris, ejus te pœniteat, quamprimum confitere, illius veniam à Deo ac misericordiam exposce, eumq; regio cum Propheta obtestare, ut priorem tibi lætitiam restituat: *Redde mihi lætitiam salutaris tui* Domine quam in obsequio tuo sensi antequam peccarem, *&* in *ea principali*, magnifico, ac potẽti gratiæ tuæ *spiritu* sustenta & *confirma me.* Sic namq; hunc locum S. Hieron. paraphrasticè exposuit: *Redde mihi*, ait, *illam exultationem, quam in Christo habui, priùs* quàm peccarem.

S. Hieron.

Testimonio Avilæ.

3. M. Avila quosdam, nec immeritò, sugillat, quòd in via Domini, inutili quadam tristitia se corrodentes, in continuæ amaritudinis felle incedunt, nullum è rebus divinis ac spiritualibus gustum suavitatemve percipientes, sibi juxtà ac proximis graves & insipidi pusillanimes, melancholici, & animo dejecti: atque horum multos nulla mortalia dicit crimina committere: Sed quia Deo suo non pro eo ac debent & vellent, serviunt, nec nõ ob veniales culpas quas contrahunt, ideò se ipsimet testantur ita animo dejici. Hic certè insignis est error: quia haud dubiè majora sunt damna, quæ ex hac nimia cruciatione sui & tristitia consequuntur, quàm quæ ex admissis culpis ob quas mœrent: & hoc ipsum, quod, siquidem prudentia & insigni animi robore præditi essent, quamprimum rescindere possent, ita augeri ac proserpere sinunt, ut ex uno malo in aliud prolabantur. Atque hoc est, quod superflua & inutili hac tristitia diabolus maximè spectat, vigorem scil. & constantiam ad operandum necessariam illis subtrahere, & efficere ut nullum demum opus rectè perfecteque obeant.

Quid è nostris nos culpis discere oporteat.

4. Hoc autem è nostris nos defectibus & lapsibus oportet commodum elicere. *Primò*, ut nos indè magis humiliemus & confundamus videntes multo nos quam opinabamur, debiliores esse. *Secundò*, majorem à Domino gratiam postulemus quandoquidem ea opus habemus. *Tertiò*, posthac cautiùs ac circumspectiùs vivamus, è priore lapsu cautelam pro pòst secuturo capiendo, occasiones præveniendo, ab iisque generosè nos subtrahendo. Et hac ratione plus, quam inutili illa pusillanimitate ac tristitia proficiemus.

c. 23. super. Audi filia.

Ratio cur culpæ quotidianæ nos absorbere non debet.

Ps. 119. 19.

5. Vnde rectè R. P. M. Avila: siquidem ob culpas quotidianas & ordinarias, contristari & animo dejici nos oporteret, quis, obsecro, hominum in gaudio & tranquillitate viveret, quia omnes peccamus? *Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?* Tu conare Deo servire, & omnem adhibere diligentiam: si verò omnem quàm potes, non adhibeas, sed in aliquas adhuc culpas labaris non est id novum; noli id mirari aut idcircò animo cadere, tales enim sumus omnes: homo es, non Angelus, fragilis ac lubricus, non in sanctitate solidatus.

Solatiũ ex Dei misericordia

6. Probè quoque nostram miseriam & debilitatem Deus novit, nec ob

accersendum. ob eam nos vult animum abjicere, aut desperare, sed quamprimum resurgere, ac majus ab ipso robur ac gratiam efflagitare: more infantium qui cum cecidere, ilicò surgunt & cursitant uti priùs. Atq; ut infantium lapsibus, (ait S. Ambr.) pater non offenditur, sed potiùs ad eis compatiendum movetur; haud secùs nobiscum agit Deus, juxta illud Psalmographi: *Quomodo miseretur pater filiorum misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum, & recordatus est quoniam pulvis sumus.* Nostram Dominus infirmitatem & fragilitatem exploratam habet, nosque ceu debiles, & imbelles filios diligit: undè lapsus nostri eum ad commiserationem potiùs, quàm indignationem & iram emovent. Inter reliqua magna solatia, quibus nos ipsi quin Dei obsequio fragiles sumus, solamur; illud non postremum est, quòd Deum nostrum noverimus in amore & misericordia tam divitem esse, ut nos toleret ac diligat, etsi tam exactè ei in amore non respondeamus ac quidem æquum erat. Tam verò is *dives est in misericordia*, ut illa peccatis nostris præponderet. Quare sicut fluit cera à facie ignis, sic universa peccata nostra atque imperfectiones coram misericordia ejus dispereunt & evanescunt. Hoc ergò maximè nos animare debet, ut semper hilares & læti in omnibus incedamus, nosse videlicet, Deum nos amare, nobis bene velle, adeoque nos ob omnes hos ordinarios, quos admittimus, lapsus nihil omninò gratiæ & amoris divini deperdere.

l. 2. de rep. a gent. c. 3. & ult.

ps. 102. 13

Eph. 2. 4.

CAPUT IV.

Radices causæq; tristitiæ, ejusq; remedia.

1. IAm causas & radices è quibus noxia hæc tristitia progerminat dispiciamus, ut his visis, convenientia ac necessaria ei remedia adhibeamus. E multis eam radicibus nasci posse docent Cassianus & S. Bonaventura. Nonnumquam nascitur è naturali ægritudine, humore inquam melancholico in corpore prædominante. Ac tum quidem ejus curanda ratio ad medicos potiùs, quàm ad Theologos spectat. Notandum hic nihilominùs, humorem hunc melancholicum à tetricis ac melancholicis cogitationibus in homine suborientibus, produci & augeri. Vnde Cassianus non minore nos diligentia, in tristibus & melancholicis his cogitationibus animo excludendis, ne scilicet animum illæ subintrent, nosque post se abripiant, advigilare vult, quam in iis quæ contra castitatem aut fidem subinde irrepunt, ob magna quæ inde provenire posse diximus detrimenta.

l. 9. de inst. renū. tract. de refor. mē. c. 12.

Prima tristitiæ causa humor melancholicus.

2. *Interdum verò (ait idem Cassianus) & jam nullis existentibus causis, quibus ad hanc tristitiæ labem corruere provocemur, inimici subtilis instinctu, tanto repente mœrore deprimimur, ut ne charorum quidem ac necessariorum nostrorum adventum solita suscipere affabilitate poßimus, & quod ab iis competenti fuerit confabulatione prolatum, importunum nobis ac superfluum judicetur,*

Secunda passionum mortificatio.

S urius in vita S. Euphy. to. 1.

Exemplum, quod passiones nobiscum migrent.

tur, nullaque à nobis reddatur eis grata responsio, universos cordis nostri recessus felle amaritudinis occupante. Vnde manifestissimè improbatur, non semper aliorum vitio in nobis commotionum stimulos excitari, sed potiùs nostro, qui reconditas in nobismetipsis habemus offensionum causas ac seminaria vitiorum. Vnde secundum hunc Cassianum, *pax cordis non tam separatione hominum* (quam neque Deus præcepit) *quàm virtute patientiæ* passionumque nostrarum mortificatione *conquiritur.* Nisi enim has mortificemus, quocumque demum locorum abeamus ac fugiamus, tentationum turbationumque causam nobiscum circumferimus.

l.9.dein. stit.reni. tract.de refor.ma. c.12.

Prima tristitiæ causa humor melancholicus.

Surius in vita S. Euphy. to. 1.

3. Nota est historia illa de monacho stomachabundo, qui ob iracundiam & bilem, quam comprimere non poterat, & qua tum sibi, tum aliis gravis erat, monasterio Abbatis Euthymii, (in quo commorabatur) excedere, & in solitudinem concedere constituit, ratus cessante cum aliis fratribus agendi necessitate, & se in solitudine agente, etiam iram cessaturam, quòd nulla bilis concitandæ ibi occasio occurreret. Statutum, factum, cellæ ergo se includit, assumens secum vas aqua repletum: quod non multo pòst, dæmone allaborante, corruit: unde aquâ effusâ ipsum denuò replet: sed labitur & secundò. Tertiò igitur ipsum aqua adimplet; sed dæmon iterum in terram dejicit, totamque aquam effundit. Ergo ira percitus, solo sublatum vas, terræ allidit ac confringit. Quo facto, animadvertens, non aliorum fratrum consortium & commercium, sed exiguam suam mortificationem, impatientiæ ac bilis huius causam esse, tandem post liminio ad cœnobium revertit. In te ergo, Religiose, inquietudinis & impatientiæ tuæ causa residet, non in fratribus tuis. Tu te tibi impera, passiones tuas mortifica, & sic, ait Cassianus, *non dicam cum hominibus, sed etiam cum feris & belluis* optimè tibi conveniet, juxta illud Iobi, *Bestiæ terræ pacificæ erunt tibi.*

Exemplum, quod passiones nobiscum migrent.

Secunda passionum immortificatio.

Iob 5.23.

4. Tertiò, ex S. Bonaventuræ opinione, ortum tristitia habet è superveniente aliqua molestia ac tribulatione, aut rei cuiuspiam summopere desiderata non adeptione. Eamdem radicem notant quoque SS. Gregorius, Augustinus, & alii, docentque tristitiam sæculi, à nimio erga res terrenas, ac mundi huius affectu oriri. Eum quippe contristandum certum est, qui re quam amat & concupiscit, se frustratum videt. At quià rebus sæculi huius, affectum abstraxit, nec iis animo adhæréscit, totoque desiderio & affectu in Deum fertur, in eoque gaudet, à mundana tristitia nimium quantum distabit. Dictum proinde rectè à P.M. Avila, è desiderio haud dubiè nasci doloré, &, quo illud vehementius fuerit, eo maiorem fore dolorem; quo minus, minorem; si nullum, etiam nullum dolorem consecuturum. Nostra ergo desideria nostri sunt tortores & carnifices, à quibus excruciamur & torquemur.

Tertia superveniens de foris molestia.

Lib.22. moral.c. 14. in illud Psa.7. Concepit dolorem & peperit iniquitat. & tract. 14. in Ioan.

5. Verùm ut hac in re ad magis particularia descendamus, & mate-

Quarta tristitiæ

causa saepe est, quod nō simus indifferentes.

riam nobis applicemus, dico, saepenumerò tristitiae qua laborat Religiosus, causam esse, quòd se in omnibus quae obedientia praescribere posset, indifferenter non habeat. hoc scilicet est quod eum saepè tristem & melancholicum reddit, quod eum torquet, lancinat, divexat, dum sic secum disquirit: Quid si hoc mihi auferatur, quo cum mihi tam bellè est? quid si mihi injungatur, à quo tantopere sum alienus? Vnde S. Gregorius notat: *quia aut non habita concupiscit ut habeat, aut adepta metuit ne amittat: & dum in adversis sperat prospera, in prosperis formidat adversa; huc illucq; quasi quibusdam fluctibus volvitur, ac per modos varios rerum alternantium mutabilitate versatur.* At Religiosus, qui ad universa injungenda indifferens ac resignatus est, & cuius gaudium unicum est Dei facere voluntatem, semper hilaris ac laetus est, hancque hilaritudinem & gaudium nemo tollere poterit ab eo. Poterit quidem Superior ab hoc illove officio eum amovere, ad hoc illudve collegium mittere; quod tamen in eo sentit gaudium, ei eripere nequaquam potest; neque enim in eo id ipse repositum habet quod ibi, aut alibi habitet, huic illive functioni applicetur, sed in eo quod Dei faciat voluntatem. Hinc suum gaudium, ubicumque demum fuerit, & quocumque in officio versetur, semper circumfert. Si ergo semper hilaris & omni perturbatione tristitiaque superior vivere cupias, gaudium tuū sit Dei voluntatem in omnibus facere, non verò in hac illave re, nec in voluntate tua facienda repositum id habeas: hoc enim non tam gaudii, quàm sexcentarum amaritudinum & taediorum inveniendorum causa est.

Lib. 22. Moral. c.24.

Superbia vera radix tristitiae.

6. Vtque hoc enucleatius declarem, dico ut plurimum morositatis & tristitiae nostrae causam ac radicem esse, non humorem melancholiae, quàm superbiae, in corde nostro praedominantis, uti dicebamus tum, cum de humilitate ageremus. Certus proinde sis, quam diu humor hic tuo in corde locum habebit, tibi tristitiā, moerorem, aut melancholiam non defuturam, quia numquam deerunt occasiones: itaque semper in amaritudine & perpetua divexatione vives. Atque ad hoc caput reducere licet modicam illam, de qua jam jam agebamus, in qualibet re à Superiore injugenda indifferentiam; saepè enim non tam ob molestiam aut difficultatem officii (quia majores labores ac intolerabiliores difficultates altiora eminentioraque officia, ad quae aspiramus, quaeq; exambimus, secum trahunt) quàm à superbia & ambitione movemur & jussa declinamus. Ipsa, quod difficile est, facilè; quod contrà facile & leve, grave videri facit: in eoque nos tristes & melancholicos reddit. Imò vel nuda apprehensio ac timor, ne tale quid forsan aliquando nobis mandetur, ad hoc sufficit.

Tract. 3. c.12.

Vera cordis humilitas est mater faecunda laetitiae.

7. Huius igitur tristitiae optimè pellendae ratio videtur esse humiliare se, & humili ultimoque loco contentum agere. Quod quicumque fecerit, ab omni huiusmodi perturbatione moe-

ne mœrore, tristitiaque liber, mira animi pace & quiete perfruetur. *Discite à me*, inquit Salvator, *quia mitis sum & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* Quæ verba hoc in sensu declarat S. Augustinus, dicitque, si Christum magistrum nostrum in humilitate imitemur, nullam nos in virtutum exercitio difficultatem aut laborem, at magnam facilitatem ac suavitatem experturos. Amor enim sui, ac propria voluntas & judicium, nec non ambitio, æstimationis, commoditatum, ac recreationũ appetentia, sunt quæ ipsum difficile reddunt: omnia autem isthæc impedimenta removet ac discutit humilitas. hæc enim facit, ut homo se parui pendat, voluntatem ac judicium suum abneget, honores, illustre nomen, terrenas facultates & commoda repudiet. quibus jam sublatis nullum laborem aut difficultatem in virtutum exercitio sentit, sed incredibilem pacem & tranquillitatem.

Matth. 11. 29.

Caput V.

Ad tristitiam profligandam mirabiliter juvat ad orationem recurrere.

1. NVllum ad omnigenam tristitiam, quæcumque demum via & causa obveniat, pellendam medium Cassianus esse dicit efficacius, quàm ad orationis anchoram confugere, de Deo cogitare, nec non æternæ vitæ, quæ promissa nobis est, spem ob oculos ponere: hoc enim flabro omnes mœroris nebulæ dissipantur, & tristitiæ spiritus in fugam agitur: perinde a Davide citharam pulsante & cantante spiritus malus à Saule fugiebat, eumque deserebat. Vnde & S. Iacobus in epistola sua hoc nobis remedium suggerit, *Tristatur aliquis vestrum? oret.* Eo quoque usum se profitetur Regius Propheta, ubi ait: *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum.* Id est: Cùm me mœrore sentio confectum & desolatum, per orationem ad Deum confugio; & in ea consolationem invenio. Et alio in loco: *Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco peregrinationis meæ.* Id est: De te Domine ac mandatis & promissis tuis cogitare, mihi velut canticum & solatium est: illud me in hoc exilii peregrinationis loco in omnibus laboribus & desolationibus meis recreat ac consolatur. Et certè si jucunda cum amico quopiam hoc in mundo conversatio potest omnem mœrorem animi dispellere, & nos tristes recreare; quid non faciet assidua cum Deo fonte omnis jucunditatis per orationem tractatio? quamobrem Dei servus & bonus Religiosus ut tristitiam & animi mœrorem profliget, non debet ab humanis colloquiis, non à sensuum distractionibus & effusione, non à rerum vanarum & profanarum lectione medicinam mutuari, sed è recursu ad Deum, & è collectione sui ipsius per orationem: hæc eius esse debet consolatio & alleviamentum.

Lib 9 de instit. renunt. cap. ult.

Aliud remedium contra tristitiã est Oratio.

Iac. 5. 13.

Ps. 76. 4.

Ps. 118. 59.

Tract. 2. c. 13. in fine.

2. Expendunt SS. Patres id quod in Genesi de Noë legitur, nimirum quòd quadraginta diluvii diebus jam

Gen. 8. 9.

Noe ex arca corvũ & co-

lumbam emittens symbolicè designat solatia quærentem diversa.

jam transactis arcæ fenestram aperuerit, per eamque corvum emiserit, ut videret, num alicubi terra, subsidentibus aquis appareret arida, ut exscensionem ex arca faceret. Sed corvo non revertente (hinc nuntius missus sed non revertens communi proverbio vocatur *corvi nuntius*) non multò pòst columbam emisit, *quæ cùm non invenisset, ubi quiesceret pes eius reversa est ad eum in arcam.* Rogant ergo interpretes & SS. Patres: Cùm corvus non redierit, certum est invenisse eum, locum ubi pedem poneret: quomodo ergo columbam Scriptura dicat non invenisse ubi pedem figeret? Respondent igitur, corvum in locis cœnosis ac super fluitantia in aquis cadavera & morticina desedisse; ac columbam, animal simplex, candidum & pulchrum, cadaveribus minimè pasci, nec locis cœnosis delectari, atque ideò quantociùs ad arcam revolasse: quia non inveniebat ubi pedem figeret, aut ubi requiesceret.

Servus Dei columbam non corvum imitatur.

3. Ad eumdem modum verus Dei servus, ac bonus Religiosus in rebus hisce mortuis, in vanis, inquam, mundi huius oblectationibus, nullum invenit gaudium, nullam consolationem, atque ideo, ad columbæ imitationem, quamprimùm ad cordis arcam revolat, & unica eius in omnibus afflictionibus & mœroribus requies ac recreatio est ad Deum per orationem confugere; eius recordari; ad aliquod temporis spatium coram Vener. Altaris Sacramento se prosternere; ad inveniendum in Christo Domino solatium apud illum mœroris & afflictionis suæ causas exponere, ac dicere: *Quî fieri potest Domine, ut tristis incedam & lugeam, cum in domo & consortio tuo agam?*

Psal. 47. Augustin. Testimonia & exempla.

4. Super illud Regii Prophetæ: *Dedisti lætitiam in corde meo*, sic scribit S. Augustinus: *Non ergo foris quærenda lætitia est: sed intus in interiori homine, ubi habitat Christus in ipso corde, in illo cubiculo ubi Patrem cœlestem nos orare jubet in abscondito.* Sic S. Martinus Turonensium Episcopus nullum suis in laboribus, curis, defatigationibus solatium vel alleviamentum nisi in oratione inveniebat: ac quemadmodum fabri ferrarii, ut laborem nonnihil allevient ac solentur, irritis quibusdam malleorum ictibus, velut interludendo incudem solent tundere; sic ille, dum interspirare & quiescere nonnihil videbatur, orationi se dabat.

Matt. 6, 6. Severus Sulpitius.

Henricus Suso in horolog. Sapient. c. 14. Aliud præclarũ remediũ è Passione Domini.

5. Sic alius quidam Dei famulus, cùm gravissima oppletus tristitia, & afflictione incomparabili (qua illum Deus subinde explorare solebat) pressus intra cellæ latebras se abdidisset, vocem in intimis animæ penetralibus sibi dicentem audivit: *Quid hic in otio temetipsum affligis & consumis? quin surgis, & passionem meam recogitas?* surgit ergo, & maxima cum attentione illius mysteria meditari incipit, & ecce vix dum bene cœperat, quin omni tristitia protinus evanescente, consolationem invenit, & respiravit, quod exinde exercitium dum naviter prosequitur & continuat

nuat, numquam hanc mœroris tentationem amplius sensit.

CAPUT VI.

Ordinaria tristitiæ causa est, quod non pro eo atque oportet, in Dei obsequio nos geramus: deque incredibili gaudio quod à pacata conscientia sequitur.

Alia radix Tristitiæ negligentia vitæ.

1. INter primarias tristitiæ ac mœroris interni causas ac radices etiam hæc solet esse, quòd non ea qua par est cura & studio quis Deo serviat, nec professioni ac vocationi suæ usquequaque respondeat. Etenim id singuli in nobis experimur, & ad oculum videmus, nos, si quidem profectui nostro magno cum fervore ac solicitudine incumbimus, tanto solere tum gaudio & lætitia introrsum perfundi, ut ei vix ferendo simus; contrà, cùm officio malè fungimur, & muneri nostro delumus, tristes & afflictos incedere. Dicit quippe Sapiens: *Cor nequam gravabitur in doloribus*, &, *Cor pravum dabit tristitiam.* Quia peccatum & omne malum, hoc habet, ut naturaliter in anima tristitiam & amaritudinem ingeneret.

Eccli. 3. 29. Eccl. 36. 22.

Ostenditur ea in Cain in quo peccatū causavit tristitiam. Gen. 4. 6.

2. Hanc peccati proprietatem ac naturam Cainum, cum peccaret, fecit Deus persentiscere mox enim ut fratri Abelo cœpit invidere, *iratus est vehementer & concidit vultus eius.* Irâ ergo in animo æstuante, & rabie livoris intus sæviente contristari cœpit, adeò ut interiorem illam amaritudinem ac tristitiam etiam vultus proderet. Interrogat proinde eum Deus: *Quare iratus es, & cur concedit facies tua?* Caino autem non respondente, & obmutescente, Deus ipse respondet, hanc nimirum peccati naturam & peccatum esse: *Nonne si bene egeris, recipies* gaudium & hilaritatem animi? unde alia versio præfert: *Nonne si bene egeris, levabis caput tuum?* id est lætus incedes? *sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit*, velut tortor fores pulsans & intromitti postulans, ut te excruciet? quod & statim exterius è vultu apparebit. Vt enim virtus, quod ratione sit consentanea, magnam natura sua in corde lætitiam progignit; ita peccatum tristitiam & mœrorem: quia homo peccando, adversus semetipsum, & naturale rationis suæ dictamen velut insurgit; sed mox ipse conscientiæ vermis miserè eum interius corrodit & viscera laniando discerpit.

De interiori domo c. 45. Mala cōscientia gravissima est pœna.

3. Verissimè S. Bernardus: *Nulla*, ait, *pœna gravior est prava conscientia: mala conscientia propriis agitur stimulis: si publica fama te non damnat propria conscientia te condemnat: quia nemo potest seipsum fugere.* testis hic semper accusat & torquet, ac quantumcumque coneris, te tibi ipsi subtrahere & subducere non potes. Vnde etiam Seneca nullam maiorem peccato ac culpæ irrogari posse pœnam dixit, quàm ipsum commisisse, ob incredibilem illam, qua propria conscientia peccantem excruciat & torquet carnificinam. Quam idcirco Plutarchus calori ac frigori febricitantium comparat: nam ut hi æstu & frigore illo magis excruciantur, quàm sani æstu & algo-

Epist. ad Patium.

& algore illo quem æstatis & hiemis intemperies causat. Sic tristitia & mœror à nostris culpis proveniens, quam accusans & lancinans gignit conscientia, sæviùs nos torquet & divexat, quàm quæ è casibus quibusdã fortuitis & infortuniis, nulla nostra culpa, advenit.

Quomodo negligentia causet tristitiã.

4. Id quod vel maximè locum habet in illo, qui jam gustare delicias spiritus incepit, & in via Domini aliquo usque cum fervore & diligentia progressus postea deficit, & refrigescens lentiùs incedit: nam post amplarum facultatum possessionem ad inopiam redigi, longè sanè gravius ac molestius est, quàm numquam ullas possedisse, & pauperem natum esse. Quando enim quis ad animum revocat, aliàs se ferventer Deo servisse, in eius famulatu impigrum & serium exstitisse, mirisque ab eo gratiis solitum cumulari; modò verò, usque adeò à pristino fervore recidisse; non potest non summopere idcirco contristari, & magnam in animo amaritudinem sentire.

Tristitiã ergo odiens radicem istam fugiat.

S. Bernar.

5. Si ergo tristitiam omnem procul à te liminare, perpetuoque in gaudio vivere appetis, rectè, & vocationi professionique tuæ convenienter vivito. Vnde S. Bernardus paucis: *Vis numquam esse tristis, bene vive.* Teipsum excute, & peccata, à quibus hæc tristitia ortum habet, expunge: sic fiet, ut illâ effugatâ, succedat gaudium. *Bona vita semper gaudium habet, conscientia rei semper in pœna est.*

Verum gaudium est, ubi bona cõ-

6. Quemadmodum nullum remorsu & inquietudine pravæ conscientiæ, tormentum gravius atrociusvé excogitari: ita nec bonæ conscientiæ testimonio gaudium majus, aut voluptas sincerior. quia, teste Ecclesiastico. *Non est oblectamentum super cordis gaudium:* est enim, *secura mens quasi juge convivium.* Vt enim qui splendido convivio interest, primò ipsa ferculorum varietate, deinde convivarum aspectu colloquioque oblectatur: sic servus Dei, qui probè partes suas explet, officioque prout decet fungitur, bonæ conscientiæ testimonio, nec non divinæ præsentiæ odore, (cuius certa velut pignora & evidentes coniecturas in corde persentiscit) mire se oblectat & pascitur; secundum illud S. Ioannis: *Si cor nostrum nõ reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum.* Apostolus quoque Gentium, bonam conscientiam esse ait, velut paradisum terrestrem, & quamdam cœlestis beatitudinis & gloriæ hoc in mundo similitudinem: *Gloria nostra hæc testimonium conscientiæ nostræ.* Cuius, cùm à bona vita ortum habet, tantam esse vim S. Chrysostomus asserit, ut omnes cordis amaritudines ac tenebras protinus dispellat, sicut sole exoriente solent nebulæ pelli & dissipari: ita quidem, ut, cum, quidquid demùm tristitiarum & amarorum est, in rectam incurrit conscientiam, non secùs mox exstinguatur, ac si ignis scintillula in profundissimum lacum incideret. Addit Sanctus Augustinus, quemadmodum mel non modò in se dulce est, sed & rebus insipidis & amaris quibus admiscetur suum dulcorem communicat: ita bonam conscientiam non in se ipsa dumtaxat suavem & lætam

scientia est.

Eccli. 30. 16.

Prov. 15. 15.

1. Ioan. 3. 21.

2. Cor. 1. 12.

Homil. 15 ad popul. Antioch.

S. August.

& lætam esse, sed & medios inter labores hominem oblectare, & sua dulcedine hos quodammodo condire, sapidosque reddere. unde Propheta: *Iudicia Domini*, id est præcepta, ejusque legis adimpletio, *vera, justificata in semetipsa: desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super mel & favum.* Quippe Deo famulari, non in se modò dulce est, verùm etiam omnes vitæ hujus labores, afflictiones, & amaritudines dulcorat.

Psal. 118. 10.

7. Narratur in historia Ecclesiastica, fidei Christianæ hostes, novum quid ac superiorum sæculorum tyrannis inusitatum tormenti genus commentos esse. Quòd eos qui in judicium vocati, vel tormentis irrogatis cedentes, fidem jam abnegassent, in eumdem cum constantibus in fide Martyribus carcerem compingerent; utque eorum supplicium omnis consolationis expers foret, non jam ceu Christianæ fidei confessores, sed ut homicidæ, ac perduelles, aliorumque eximium rei accusabantur. Hoc porro, etiam exteriùs & in vultu & oculis, inter utrosque affectuum discrimen fuisse, ibidem annotatur: quòd sancti Martyres ad tribunalia & tormenta hilares ac læti properabant, adeò ut è vultu ipsorum quidam divinitatis radii promicare viderentur, vincula quoque ac compedes ipsos non secùs quam gemmæ & margaritæ pretiosæ exornabant; carceris denique graveolentia nihil illis pœdoris & fœtoris afflabat, se & suavissimam inde exeuntes tum Deo & Angelis, tum sibi invicem fragrantiam aspirabant, ut non in carceris squalore ac putiscenti situ, sed odoriferis in hortis egisse viderentur. Apostatæ verò tristes, demisso capite, aspectu horribiles, & omni deformitate deformiores inde egrediebantur. Hos quippe magis ac dirius sua ipsorum torquebat & excruciabat conscientia, quàm compedes, numellæ, vincula, catenæ, & carceris horror: illos verò bona conscientia, certaque quietis & gloriæ brevi consequendæ spes medios inter dolores ac tormenta consolabatur & recreabat.

Ruf. lib. 4. c. 3. Exemplum.

8. Ita rem habere se bonus quislibet communiter experitur. Tanta quippe bonæ innocentisque conscientiæ lætitia & vis est, ut sæpenumerò vir bonus, cùm ita undique angustiis premitur, & amaris tristitiæ fluctibus tantùm non obruitur, ut, quocumque oculos convertat, nihil omnino quod solatio sit, inveniat, si tandem eos ad se ipsum introflectat, conscientiæque suæ pacem, ejusdemque testimonium consideret, quamprimum consolationem sentiat, atque incredibili intus vigore animetur: Probè gnarus, reliqua omnia, quomodolibet demum succedant, & quacumque fortè cadant, rei suæ nec detrahere quidquam, nec addere, sed à sola conscientia momentum omne dependere.

Experimentum quotidianum.

9. Sequitur hinc doctrina magna plena consolationis, nimirum, si è bona conscientia, & plena cum Deo amicitia oritur animi lætitia, & vultus hilaritas, hanc vicissim hilaritatem

E bona consciẽtia nascitur lætitia, è lætitia vicissim bona cõscientia.

tatem haud dubium bonæ pacatæque conſcientiæ, & quod homini benè cum Deo conveniat, inque ejus gratia & amicitia verſetur, argumentum & ſignum futurum: Cauſa enim optimè è ſuo effectu perſpicitur. Quod etiam S. Bonaventura obſervat, docetque, *maximum inhabitantis in anima Dei & ejus gratiæ ſignum eſſe ſpiritualem lætitiam.* Et jam olim Pſaltes: *Lux orta eſt juſto, & rectis corde lætitia. Impii autem in tenebris ambulant,* & ſpiſſa triſtitiæ caligine. *Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognoverunt.*

In ſpecul. diſcipl. p. 1. c. 3. Pſ. 96. 11. Pſ. 81. 5. p. 2. lib. 1. c. 26. Chronic. Minor.

Iugis lætitia, eſt ſignũ divinitatis.

10. Ob hanc ſcilicet ipſam potiſſiũm cauſam S. Franciſcus fratres ſuos lætos in Domino, & ſpirituali hac lætitia repletos videre cupiebat, quod hæc indicio erat, Deum in ipſis commorari, & illos in ejus gratia & amicitia vivere. Nam teſte Apoſtolo, *fructus ſpiritus eſt gaudium*: Spiritualis nempe illa hilaritas, quæ è cordis munditie, & puritate vitæ ceu è fonte rivus, exoritur & promanat, fructus eſt ſpiritus ſancti, ſimulque infallibile ejuſdem inibi commorantis teſtimonium. Hinc tanto idem Franciſcus gaudio perfundebatur, cum hanc in ſuis videbat lætitiam, ut diceret: Cùm à ſpiritu acediæ ac triſtitiæ tentor, ſimul ac fratrum ſociorumque eorum hilaritatem ac lætitiam conſidero, quamprimum illa tentatio abſcedit, itaque intus recreor, ac ſi totidem Angelos vidiſſem. Servorum ergo Dei in ejus gratia & amicitia agentium, lætitiam videre perinde eſt, ac ſi Angelos videres, juxta illas ſacræ ſcripturæ locutiones. *Vidi te Domine, quaſi Angelum Dei.* Et, *Bonus es tu in oculis meis ſicut Angelus Dei.*

Gal. 5. 22. Eſther. 15. 16. 1. Reg. 29. 9.

Caput VII.

Eſſe & bonam ſanctamque triſtitiam.

1. AT dicat quiſpiam, ſemperne ergo lætandum, numquam triſtandum? nullane triſtitia bona eſt? Reſpondeat Sanctus Baſilius ac dicat, triſtitiam poſſe & ſalutare & bonam reperiri. Nam inter octo beatitudines, quas Chriſtus in Evangelio enumerat, una eſt, *Beati qui lugent quoniam ipſi conſolabuntur.* Unde SS. Baſilius & Leo Papa, (ac refert Caſſianus) duo triſtitiæ genera conſtituunt.

Duplex eſt triſtitia, conſolans & crucians. In regul. brevior. reg. 129. & 194. Matt. 5. 5. Leo Papa Lib. 9. de inſtit. renuntiant.

2. *Vnum mundanum*, cùm nimirum quis ob rem aliquam mundi hujus, puta infortunium quodpiam, aut difficultatem alicujus negotii, contriſtatur: & hoc à ſervis Dei nimis quam remotum eſſe debere aſſerunt. Hinc ſanctus Apollonius (uti in vitis Patrum refertur) dicere ſuis ſolebat. Servos Dei, qui ſuas in Deo repoſitas ſpes habent, ad eumque tota animi contentione aſpirant, contriſtari nefas eſt. Contriſtentur, ait, Gentiles, Judæi ac ceteri infideles; peccatores item aſſiduè plangant: at juſti, qui fide viva excitati bonis illis exerciti æternis potiri ſperant, ſemper gaudeant, & perpetua in lætitia vivant: *Lætamini in Domino, & exultate juſti, & gloriamini omnes recti corde.*

Triſtitia mundana. S. Apollon. Pſ. 31. 11.

Sic-

Hoc genus tristitiæ est moderandum.

3. Si enim filii hujus sæculi, rebus caducis & perituris inhiantes, bono illarum successu & casu gaudent; quanto jure potiori nos in Domino & æterna gloria quam speramus, gloriari & exultare par est? Hinc Apostolus ne in amicorum & consanguineorum quidem morte nimiopere nos vult tristari. *Nolumus*, inquit, *vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri qui spem nō habent.* Non ait absolutè, non debere nos tristari; etenim aliquem in carorum obitu doloris sensum ostendere, naturale est, nec improbandum, sed bonum, & amoris affectusque signum: sic enim & Redemptor noster Christus in amici Lazari morte est lacrymatus, unde circumstantes Judæi invicem dixerunt: *Ecce quomodo amabat eum.* Sed ne contristemur sicut infideles, qui aliam vitam post hanc non sperant. Vult ergo tristitiam nostrā esse temperatam, utque hac spe nos solemur, brevi invicem in cœlesti gloria visuros. Qui enim demortuus est, præcessit, nos subsequemur propediem. Adeò ut, tametsi hujus vitæ, rebus non possimus indolere, & sensu earum affici, (utpote homines) nihilominus in iis non sit nobis magnopere sistendum, sed obiter tantùm per eas pertranseundum. *Qui flent*, ait Apostolus, *tamquam non flentes, & qui gaudent, tamquam non gaudentes.*

1. Thess. 4. 14.

Duplex est tristitia, consolans & crucians. In regul. brevior. reg. 129. & 194. Matt. 5. 5. Leo Papa Lib. 9. de instit. renuntiant.

Ioan. 11. 36.

Tristitia mundana.

S. Apollon.

1. Cor. 7. 30.

Filiorum Dei seu Spiritualis tristitia bona est.

Ps. 31. 11.

4. Aliud tristitiæ genus spirituale est & secundum Deum; eaque bona & laudabilis est, servorumque Dei propria. Atque hæc testibus S. Basilio & Cassiano, quatuor è rebus ac causis ortum habet.

Item Aug. ser. 11. ad fratres in Eremo.

Primus fons Sp. tristitiæ est peccata propria.

2. Cor. 7. 9.

5. *Primò* quidem è peccatis adversus Deum commissis secundùm illud Apostoli: *Gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam: contristati enim estis secundum Deum: quæ enim secundum Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Quod quis delicta sua deploret, doleatque ob offensum à se Numen, næ bona ex tristitia & secundum Deum est. Adfert doctrinæ hujus S. Chrysostomus dignam suo ingenio rationem. Nulla omnino rei cujuspiam jactura dolore, mœrore, planctu, tristitiave reparatur, præterquam ea, quæ peccato incurritur: unde nulla alia in re bene ac fructuosè dolor ac tristitia, nisi in hac una impenditur: reliquæ enim jacturæ dolore, planctuvé non resarciuntur, sed increscunt potiùs & adaugentur: peccati autem damnum solum tristitiâ ac dolore reparantur, quare ob hoc unum æquum nos est plangere.

Chrysost.

6. Nascitur secundò, dolor hic è peccatis alienis, dum nimirum quis Deum spretum & despectui habitum, ejusque legem proculcatam videt. Hæc quoque bona ac salutaris tristitia est: nascitur quippe ex incenso honoris gloriæque divinæ, ac salutis animarum amore & Zelo. Hoc sanè dolore sanctos illos veteris ævi Prophetas, singularesque Dei amicos contabuisse, & in corde consumptos fuisse cernimus, videntes peccata, quibus divina

Secund. fons aliena peccata.

Majestas offendebatur, quibusque ipsi occurrere sua industria & zelo nequibant. Sic de se testatur Propheta Regius: *Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.* Tantus hac è re dolor & afflictio ipsum incessebat, internus ut animi mœror corpus debilitaret, & sanguinem quodammodo corrumperet. *Tabescere me fecit Zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Et, *vidi prævaricantes & tabescebam, quia eloquia tua nō custodierunt.* Sanguis videlicet intra venas illi computrescebat, cùm injurias & transgressiones passim in Deum patratas videbat. Id genus quoque planctibus & gemitibus Jeremias totâ suâ prophetiâ scatet: Hæc ergo tristitia nos cumprimis decet, ac maximè propria est, cum instituti nostri finis sit procurare, ut Dei nomen ab omnibus mortalibus sanctificetur ac glorificetur, unde summopere dolere nos oportet, quòd ipsum non solùm minimè glorificetur, verùm etiam neglectui habeatur.

Ps. 115. 13. 139. 158.

Tertius fons desiderium perfectionis.

7. Tertiò, dolor hic potest è quodam perfectionis desiderio ortum habere; nimirum ut tanta in perfectione jugiter progrediendi cupiditate teneamur, ut continuò ingemiscam^9 ac plangamus, quòd meliores perfectioresq; non simus: juxta illud Redemptoris in Evangelio pronunciatum; *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam*, virtutem & perfectionem, *quoniam ipsi saturabuntur*, eorumque desiderium Dominus explebit.

Matt. 5. 6.

Quartus fons cōsideratio patriæ.

8. Quartò, solet Dei servus sanctam quamdam adferre tristitiam ipsa cœlestis patriæ, à qua se exclusos & diutiùs exulare ingemiscunt, consideratio, & cœlestium bonorum desiderium. Ad hunc modum filii Israël in exilii suo loco flebant, quando terræ suæ dilectissimæ reminiscebantur: *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus, dum recordaremur tui Sion.* Regius quoque Propheta vitæ hujus exilium & longam peregrinationem deplorabat. *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est!* Illud item, *Ad te clamamus exules filii Evæ, ad te suspiramus gementes & flentes in hac lacbrymarum valle*; suspiria sunt, gratam ac suavem in Dei auribus harmoniam efficientia.

Ps. 136. 1.

Ps. 119. 5.

Proprietates bonæ tristitiæ.

Cassian.

9. Vt autem discernamus, ecquæ bona & secundum Deum, ecquæ mala, & à cocodæmone causata tristitia sit, hæc signa statuit Cassianus. *Prima*, inquit, obediens est, affabilis, humilis, mansueta, suavis & patiens: atque, ut ex amore Dei nascitur, sic omnes fructus Spiritus sancti, quos enumerat Apostolus, in se continet. Sunt autem hi. Charitas, gaudium, pax, longanimitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia. *Altera* autem aspera, impatiens, rancore & amaritudine infructuosa plena est, ad diffidentiam & desperationem nos inclinat, atque ab omni nos bono retrahit. Adhæc, nullam mala hæc tristitia consolationem, nullam hilaritatem includit: bona verò & quæ secundum Deum, teste Cassiano, *est quodammodo læta*, magnamque continet consolationem, corroborationem, & insignem ad omne bonum peragendum, vigorem: sicut videre

Gal. 5. 22.

Proprietates malæ tristitiæ.

Collatio utriusque.

videre licet, si per quatuor supradicta tristitiæ genera discurramus. Nam vel ipse de commissis peccatis dolor, tametsi una ex parte affligat & cruciet, ex altera tamen miram dolenti consolationem adfert. Et reipsa & per experientiam videmus, quàm nobis benè sit, quàm abundè satisfactum, quam gaudeamus, cum peccata nostra debitè planximus. Atque in hoc, inter cetera, discrimen, & prerogativa vitæ spiritualis ac Religiosæ, præ mundana & sæcularium elucet, quòd maius ipsi in animo gaudium & voluptatem è commissorum criminum deploratione sentiamus, quam hi ex omnibus deliciis & voluptatibus quas suis mundus propinat. Vndè egregiè id ponderans S. Augustinus, si vel primum, ait, verum Deo servire incipientium opus, justorum, inquam, luctus, & planctus, tristitia, tanta eos voluptate complet, quâ demum compleantur oportet, cum ipsos Dominus in oratione consolatur, cum spiritualem illum gustum dulcedinis, quo electos suos demulcere consuevit, illis immittit? quid, cùm ab oculis ipsorum omnem lachrymam absterget & exsiccabit? *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* Adhæc, aliena peccata ad instar Ieremiæ jugiter plangere, etiam liquet, quàm suave, sapidum & volupe sit: Etenim boni filii signum è, honoris paterno zelo moveri. Præterea, quid suavius ac sapidius dici fingique potest, quàm ad vitæ perfectionem continuò anhelare, & ad cœlestis patriæ fruitionem semper aspirare, ob eiusque dilationem suspirare? Nam, ut idem S. Augustinus dicit: *Quid pulchrius, quidve dulcius, quàm inter tenebras huius vitæ, divinæ dulcedini inhiare, & æternæ beatitudini suspirare, illicque teneri mente ubi vera haberi gaudia certissimum est?*

Ps. 126.1. | Ps. 119.5. | Proprietates bonę tristitiæ. | August. | Cassian. | Gal 5.22. | Proprietates malæ tristitiæ. | Apoc. 21. 4. | Collatio utriusq. | cap. 37. Medi.

10. Hinc simul eadem operâ patebit, lætitiam, quàm in Dei servis petimus, non esse vanam quamdam, quæ in risu, in cachinnis, in verbis leviculis ac superfluis, in facetiis & leporibus, quos obruo cuilibet obtrudamus (hæc enim in Dei famulis nō tam lætitia foret, quàm distractio, libertas ac dissolutio) consistat; sed exteriorem quamdam hilaritatem, quæ ab interiori promanet, juxta illud Proverbiorum: *Cor gaudens exhilarat faciem.* Nam quemadmodum spiritus animique tristitia ita in corpus derivatur, ut non carnem solùm, sed & ossa arefaciat & emedullet: quia *spiritus tristis exsiccat ossa*: ita & cordis lætitia in corpus diffunditur, adeò ut etiam è vultu emicet & eluceat: Sic multos Sanctos talem intus in animo pacem & lætitiam habuisse legimus, ut & in vultu & oculis eiusdem serenitas, dans velut testimonium interioris, exsplendesceret. Talis porrò nobis lætitia & hilaritas necessaria est.

Quæ lætitia deceat Religiosos. | Prov. 15. 13. | Prov. 17. 22.

TRACTATVS SEPTIMVS,

DE THESAVRO ET INGENTIBVS BONIS, QVÆ IN CHRISTO POSSIDEMVS, DEque modo in meditatione mysteriorum sacræ passionis eius obseruando, & fructu inde colligendo.

CAPVT PRIMVM.

De thesauro & ingentibus bonis, quæ in Christo Iesu reposita habemus.

Gal.4. 4. Gratiæ & Iræ tempus duplex.

1. AT *ubi venit*, inquit Apostolus, *plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Elapsa hactenus tempora gratiæ quodammodo vacua fuerunt: illud verò tempus cum gratia, tum donis spiritualibus plenum est, ideoque non immeritò lex gratiæ vocatur: in illo namque illa nobis data est gratia, quæ omniũ gratiarum principium & origo est. Misit enim Deus filium suum unigenitum, ut nos à peccato liberaret, redimeret, & à dira potestate ac servitute cacodæmonis, in qua agebamus omnes, vindicaret. *Nunc princeps huius mundi ejicietur foras*: ut nos Deo reconciliaret, filios suos adoptivos faceret, ac januam cœlorum, qui peccatum occluserat, reseraret.

Ioan.12.31

Tempus Iræ incepit in lapsu Adæ.

2. Verum post deplorabilem illum nostrorum protopatrũ lapsum, quo tum sibi, tum universæ posteritati extremam perniciem accersivere, & ter beatum illum justitiæ originariæ statum (in quo à Deo primùm conditi erant) amisere, & partim ipsi, partim omnes posteri ipsorum, infinitis miseriis obnoxii mansere: (*Deus fecit hominem rectum, & ipse se infinitis miscuit quæstionibus*) unicum iis tot inter miserias & afflictiones mansit solatium, quòd mox à perpetrato peccato, cùm serpenti decipienti jam malediceret, Salvatorem, nempe filium suum unigenitnm, aliquando se missurum Deus addixerit, ut hic homo,

Isaia 16.1. Isai. 64.1.

Eccle.7. 30.

homo, pro nobis mortem opetens, ab iis nos malis liberaret, in quæ occasione peccati prolapsi eramus. Dixit enim. *Immicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum.*

Gen.3.15.

3. Quæ divina pollicitatio mirificè eos est consolata, magnoque ad pœnitentiam ob peccatum agendam fuit incitamento. Atq; filiis exinceps suis exposuere, quam felici in statu fuissent conditi, quamque miserè eo sua ipsi culpa excidissent; at venturũ aliquando Redemptorem, qui publicam salutem restitueret ac vindicaret. Hanc porrò promissionem Deus ipse deinde sæpiùs confirmavit, iis præsertim qui præceteris ipsi placuerunt, uti Abrahamo, Iacobo, Davidi, apertè pollicitus, ipsorum è semine illum vindicem nasciturum. Hocquoque universa Iudæorum religio discretè asserebat; Prophetæ etiam mira de illius adventu prædicebant adeoque multos per clamores, gemitus & orationes ad eum anhelabant & expectabant. Huc pertinent hæ ipsorum voces: *Emitte agnum dominatorem terræ. Vtinam dirumperes cælos, & descẽderes. Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Quin & in Canticis sponsa deliciosis illum suspiriis adesse optat, dum ait: *Quis mihi det te fratrem meum, sugentem ubera matris meæ. ut inveniam te foris, & deosculer te, & jam me nemo despiciat*, cum Deum habeam in fratrem? hæc erat denique universa mundi totius exspectatio: unde de eo dicitur: *Et ipse erit exspectatio gentium.* Etenim cùm velut captivi redemptione egerent, eam quasi sui assiduè exspectabant, & qui eruditi erant à maioribus suis fide, hac sese spe identidẽ solabantur: & in virtute huius qui venturus erat, peccata ipsis condonabantur. Et quemadmodum nos eum jam venisse credimus, sic illi venturum credebant, nec aliter eum nisi, *Qui venturus est*, nominabant. Atque sic intelligenda est illa discipulorum Ioannis petitio: *Tu es, qui venturus est, an alium exspectamus?*

Sap.10.2. Hoc tamen aliquo solatio gratiæ temperavit Deus Fide Spe & dilectione in Messiam, excitata.

Isaiæ16.1. Isai.64.1. Cant.8.1 Exspectatio venturi Messiæ. Gen.49.10 Matt.11.3

4. Ergò ubi venit plenitudo temporis, & hora illa optatissima, qua misericordiam hanc magnam mundo exhibere decreverat, eluxit, misit nobis filium suum unigenitum. Noluit remedium ac redemptionem hanc statim submittere, ut suam homines miseriam explorationem haberent meliusq; perspicerent & illius remediũ ardentiùs desiderarent, & ipsum cum jam exhiberetur, pluris æstimarent. Sæpè enim ideò remedium Deus differt nec statim nos consolari cupit, ut, quàm ipsi parum possimus, quamq; nos necesse sit ad Deum confugere, perspiciamus, nihil autem nobis adscribamus.

Cur adventum ipse suũ distulerit.

5. Cùm ergò jam inde ab initio Deus Opt. Max. nobis mederi decrevisset, & optatissimum ac ter beatum illud tempus jam advenisset; cùm lapsum hunc & damnum dignè & prout quidem oportebat, reparare nemo posset (hominis quippè vires nimis quàm fragiles erant, ut seipso surgeret; uti & Angelorum, ad eum revelandum: unde divinis viribus opus erat:) & quoniam ad redemptionem

Quomodo Salvatoris missio executioni sit data.

nem

nem plena culpæ requirebatur satisfactio, hæc autem pœnam subire necessario debebat; Deus autem natura & per se pati nequibat; idcirco infinita ipsius sapientia hanc prorsus admirabilem ratione & medium adinvenit, ut videlicet filius Dei fieret homo, &, duabus naturis, divinâ inquam & humanâ, in una hypostasi & persona unitis, maximum illud redemptionis humanæ opus perficeret.

Redemptionis opus est maius quã creationis mundi.

6. Quæ sanè inventio plena fuit sapientiâ & bonitate, atque infinitam Dei potentiam magnitudinemque magis declaravit, quàm ullum operum ab illo umquam patratorum. Vnde etiam eum rogat Propheta: *Excita, Domine, potentiam tuam & veni, ut salvos facias nos.* Rogat, inquã, ut hoc in adventu suam potentiam ostendat, quia opus hoc erat huiusmodi, ut maiorem in ullo potentiam Deus non posset ostendere. Magnũ fuit hauddubiè opus mundum creare, ait Augustinus, magnum & infinitæ potentiæ argumentum, creaturas tam perfectas condere: unde canit Ecclesia: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ*; at, si cum mundi redemptione comparetur, nonnisi instar puncti est. Vnde etiam Psalmographus rerum è nihilo creationem vocat opus digitorum Dei: *Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & stellas quæ tu fundasti*: ut generis humani redemptio à spiritu sancto opus brachii divini vocatur: *fecit potentiã in brachio suo.* Quæ ergo inter digitum & brachium reperitur disparitas, eadem inter utrumque hoc opus reperire est.

Psal. 79. 3.

l. 10. de Civit. c. 29.

Psal. 8. 4.

Luc. 1. 51.

Etiã homini dedit ingẽtem dignitatem.

7. Hoc præterea opus, non solùm potentiam & magnitudinem Dei, sed & hominis dignitatem & præstantiam, nec non quanti is à Deo fieret, dèclaravit; magis certè, quam in rerũ creatione ostenderat. Vnde etiam orat Ecclesia: *Deus qui humanæ substantiæ dignitatem mirabiliter condidisti, & mirabiliùs reformasti.* Multum certè homini Deus dedit cùm eum condidit, plus verò cùm redemit. unde S. Leo: ad eminentissimum statum Deus hominem evexit, cùm eum ad sui imaginem & similitudinem fecit; at longè eum evexit altiùs, cùm Deus non solùm ad similitudinem & imaginem hominis factus est; sed & verus homo.

Leo Papa & S. August. serm. 9. de tempore.

At ingentia attulit bona.

8. Tanta porrò & tam eximia nobis ex hac Dei nostri redimendorum ergo incarnatione secuta sunt bona, ut, si ea recogitemus, ipsam Adami prævaricationem & culpam mundo salutarem & nõ infructuosam fuisse confiteri debeamus: quod intelligens nostra sancta mater Ecclesia excessu quodam amoris extra se rapta, & cũ Christo sponso suo dulcissimè quasi dissuavians, in officio sabbati sancti canat: *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere redemptorem! ô certè necessarium Adæ peccatum, quod Christi morte deletum est!* ô felix malum, è quo tantum hominibus bonũ accessit! ô beata infirmitas, quæ tali est medicina depulsa! Plus nobis per Christum accedit, quàm per Adamũ decessit: maiusque est redemptionis compendium, quàm culpæ dispendium.

Rom.5.15. dium. Vnde Apostolus: *Non sicut delictum, ita & donum*, ostendens, maiorem fuisse gratiam quam orbi Christus contulit, quàm damnum quod culpa Adami invexit. Hinc mellifluus Bernardus hæc Apostoli verba exponens: *vehementer quidem*, inquit, *nobis, dilectissimi vir unus & mulier una nocuere: sed gratias Deo, per unum nihilominus virum & mulierem unam* (Christum scilicet, & Beatam Virginem) *omnia restaurantur; nec sine magno fœnore gratiarum: neq; enim sicut delictum, ita & donum, sed excedit damni æstimationem beneficii magnitudo.*

Etiā homini deditingētem dignitatem.

Ser.7. de B. Maria sup. verb. Apo.12. signum magnum in initio.

Leo Papa & S. August. serm. 9. de tempore.

Tam sunt magna dona ut sint ineffabilia.

9. Nullis certè verbis exprimi, nulla cogitatione comprehendi, bona ac thesaurus quem in Christo Iesu habemus, potest. Hinc Apostolus gloriatur, *mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia hæc, in Gentibus Evangelizare investigabiles divitias Christi.* Hæc quoque gratia nobis jam necessaria & optanda esset. Quin & Redemptor ipse Samaritanæ mulieri dixit: *Mulier si scires donum Dei*, & gratiam quàm orbi præstitit; jam dedit de facto ei honorarium illud munus, filium inquam suum, quod toties daturum se promiserat: Donum videlicet omnium donorum maximum, & quod solum donum meretur vocari, proptcrea quod omnia dona divina in eo comprehenduntur. *Omnia nobis cum illo donavit.* O si donum hoc, & ingentia, quæ in illo possidemus bona, sciremus & intelligeremus! Si hunc thesaurum incomparabilem nobis Deus detegeret, & aurifodinam aperiret, quàm divites & beati essemus! Sancto Augustino certè hanc gratiam Deus cōtulerat, unde ajebat: *quisquis tibi ob beneficium creationis non servit; Domine, infernum sanè promeretur; at, qui ne ob beneficium redemptionis quidem tibi servit, novus illi infernus paretur necesse est.*

Ephes.3.8

Atingentia attulit bona.

Ioan.4.10

Rom.8.32

Saltem ea dona aliquo modo æstimari possunt, dona & amor Dei.

10. P.M. Avilæ usque adeò hoc exercitium familiare erat, ut, si quis ob gratiam aliquam ei à Domino collatam miraretur, quamprimum qua erat humilitate replicaret: Non est quòd hoc, vir bone, in me mireris, mirare potiùs & obstupesce, quòd Deus ipse usque adeò te dilexerit, ut tui causa homo factus sit. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium unigenitum daret.* Non potuit Sanctus Ioannes, supremum amoris Dei erga nos homines gradum & perfectionem meliùs exprimere & designare, quàm juxta dati & doni magnitudinem eum metiendo. Etenim è doni nobis collati immensitate & excellentia, amoris quo nos prosecutus est, magnitudinem colligere possumus. Quàm immensum enim fuit donum, tam immensus & intensus fuit amor. Vsque adeò namque mundum Deus dilexit, ut filium suum unigenitum dederit, qui humanam naturam indueret, ut hic moriendo vitam nobis adferret. Vnde, canit Ecclesia: *O mira circa nos tuæ pietatis dignatio! ô inæstimabilis dilectio charitatis! ut servum redimeres, filium tradidisti.*

Ioan.3.16.

In Sab. sanct.

Ecstaticus est ille amor Dei ostēsus in redemptione.

11. Quis tale quid umquam cogitare & mente concipere ausit? quis inter Mauros captivus, à Rege suo petere præsumat: Mitte huc obse

cro, Domine unicum quem habes filium, ut ille inter barbaros & infideles crudelem mortem oppetat, quò ego in libertatem asserar & vinculis eximar? quod autem ipse ne dicere quidem audeas, imò nec cogitare imaginatione fingere, quin nec in mentem venire tibi posset, hoc tui causa Deus ipse ultrò suscipit.

Deus factus homo ut nos fieremus filii Dei. quantū hoc! Gal. 4. 5. 1. Ioā. 3. 1.

12. Neque solùm captivitate nos, in qua agebamus eduxit, sed ad eam etiam dignitatem exerit, ut filii Dei dicamur & simus: nostram siquidem naturam assumpsit, ut participes nos redderet suæ: Dei filius factus est homo, ut nos faceret filios Dei. Unde Sanctus Joannes: *Videte qualem charitatem*; ait, *dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus*. Vereque Deum vocemus Patrem, & JESUM ejus filium fratrem. *Propter quam causam*, inquit Apostolus Paulus, *non solùm non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis*; verùm etiam hoc nomine velut illustrissimo gloriatur. Hinc est quòd eo sæpiùs vocari gaudet, nosque passim fratres suos vocat. Qui ergò Deum in patrem, Christum in fratrem habet, cui *data potestas omnis in cœlo & in terra est*, quid ultrà desideret?

Heb. 2. 11 Matt. 18. 18.

Simile quo Christi amor erga nos declaratur. Gen. 41. 55. Ioseph fuit figura Christi

13. Cùm fratrem Josephum ad sublimem dignitatis gradum evectum, toti terræ Ægypti dominantem, & secundum à Rege Pharaone, cujus opera hic in præcipuis regni negotiis utebatur, ita ut diceret: *Ite ad Ioseph*; vidissent: majestatis ejus grandi pondere quasi incurvati sunt, & postea multo vehementius prostrati sunt audientes ipsum esse Josephum, quem ita malè tractasse se meminerant. At cùm idem eos securos reddebat (timebant enim ne fortè ob commissam à se aliàs in eum injuriam pessimè ab ipso exciperentur) omniaque necessaria ipsis procuraturum se spondebat verbo illo dulci: *Nolite timere, ego pascam vos*, quàm lætos & hilares eos exstitisse putamus! Omnes enim ad se jussit accedere, currusque plaustra & jumenta iis dedit, ad facultates suas in Ægyptum deferendas: *Venite ad me, & ego dabo vobis omnia bona Ægypti*. Idem omnino nobiscum agit Redemptor Christus, qui noster est frater, ac majore nos amore prosequitur quàm Joseph fratres. Etenim nos omnes ad se trahere & rapere vult. Hinc apud Joannem Evangelistam ait, *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum*. Plaustra quoque & currus, quibus eò commodiùs perveniamus, subministrat, sanctissima inquam sacramenta, & tot alia adjumenta & subsidia ad illuc perveniendum destinata.

Gen. 50. 23. Gen. 45. 18. Ioan. 17. 24.

Efficax remediū contra pusillanimitatē est, Christus noster apud Dūm mediator est.

14. Ac si fortè peccata & transgressiones in illum aliàs commissa tibi occurrant, ut te animum abjicere & desperare faciant; non est quòd timeas, quia jam tum ob pœnitentiam pro iis susceptam, eorum memoriam Deus facit non esse nocivam, posita pœnitentia in loco iniquitatis. Insuper ipsemet noster apud patrem cœlestem mediator & intecessor est, ut commissorum nobis veniam & misericordiam

diam ab illo obtineat. Hoc enim Joannes Evangelista nobis ad animos addendos in Canonica sua proponit: *filioli*, ait, *hæc scribo vobis, ut non peccetis; sed, &, si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem* JESUM *Christum justum.* Apostolus quoque Paulus ideò Christum cœlos conscendisse scribit, ut in Patris cœlestis curia advocatum & patronum nostrum agat: *Vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Etenim, (ut piè mellifluus Bernardus meditatur) sua is in cœlis patri cœlesti irato exhibet & demonstrat vulnera: quòd enim illa nostri causa & ipso jubente susceperit, minimè ipsum permittere debere, ut, qui tam caro illi stetimus, peccamus. Atque ut sacratissima Angelorum Regina filio suo dilectissimo pro nobis intercedendo, quibus eum lactavit, ubera profert, ita filium Patri æterno sua vulnera & plagas, quæ nostri causa excepit. Atque hanc inter ceteras causam esse perhibent SS. Patres, cur à resurrectione illorum cicatrices & notas suo in corpore remanere voluerit.

1. Ioan. 2. 1.

Heb. 9. 24.

S. Berna.

15. Jacobo Patriarcha jam demortuo, ejus filii in Ægypto agentes Josephum fratrem pariter accesserunt, veriti, ne, quas in se olim irrogatas injurias patre superstitite ulcisci noluerat, illo jam defuncto forsan vindicaret: dixeruntque: *Pater tuus præcepit nobis, antequam moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus: obsecro ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ quam exercuerunt inter nos quoque oramus, ut servo Dei * patri tuo dimittas iniquitatem hanc.*) Ubi notandum, nullas Iacobo fuisse injurias ab iis irrogatas, sed illum ex amore paterno filiorum delicta sibi condonari oravisse: quasi ipse ea admisisset, quæ filii sui commiserant. Consimili modo Redemptor noster CHRISTUS, ex ingenti quo erga nos fertur amore, delicta & crimina nostra computavit pro suis: quia illa in se luenda suscepit, nostrumq; se fidejussorem fecit. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrûm.* Et, *Iniquitates eorum ipse portabit*, ait Isaias.

Gen. 50. 15.

* *vulgatæ legitur.* Servus Dei patris tui.

Isa. 53. 13. & 11.

16. Nos ergo cum hac postulatione ad Patrem æternum abeamus, dicamusque ei quisque supplices: *Obsecro te, Pater, ut hæc peccata mea dilecto filio tuo IESV Christo ignoscas: etenim nihil ipse in hora mortis suæ impensius suis commendavit: moriens quippè ad te clamavit: Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.*

Modus efficax orandi Deū Patrem.

Luc. 23. 34.

17. Quis ergo jam de peccatorum suorum venia obtinenda desperet? Apostolus quoque Paulus ait: *Habemus sanguinis Christi aspersionem melius loquentem quam Abel*: hujus enim loquens clamabat vindictam, at Christi sanguis misericordiã implorat iis pro quibus effusus est, quin & iis qui ipsum effuderunt. Cùm ergò scelerum tibi tuorum ac miseriarum multitudinem diabolus ob oculos ponet: ut te animo deficere & de eorum venia consequenda diffidere faciat; ex alia tibi parte IESUM Christum repræsenta, atque imaginatione

Fundamentum confidētiæ nostræ.

Heb. 12. 24.

 finge

finge quamprimum ab illo te arrepta manu ad Patris sui thronum deduci, eumque patroni partes obeundo, pro te loqui & intercedere; suisque meritis atque obsequiis à se Patri aliàs exhibitis, tuam confusionem, atque ignominiam tegere. Atquæ hæc cogitatio novos tibi animos suggeret, omnisque diffidentia tua in spem, tristitia in gaudium convertetur: ipse enim (ut loquitur Apostolus) *factus est nobis justitia, sanctificatio & redemptio.*

2.Cor.1. 30.

18. Vnde præclarè Sanctus Ambrosius: *Omnia*, inquit, *habemus in Christo, & omnia Christus est nobis. Si vulnus curari desideras, medicus est. Si febribus æstuas, fons est. Si gravaris iniquitate, justitia est. Si auxilio indiges, virtus* & robur est. *Si mortem times, vita est. Si cœlum desideras, via est. Si tenebras fugis, lux est. Si cibum quæris, alimentum est.* Quæcumque demum re opus habebis, & quamcumque desiderabis, in ipso invenies. Alio verò in loco sic loquitur: *Si in te insurrexerit lupus, petram cape, & fugit: petra tua Christus est: si ad Christum confugias, fugit lupus, nec terrere te poterit. Hanc petram quæsivit Petrus, cum titubaret in fluctibus,* & statim *invenit, quod quæsivit; quia dexteram amplexus est Christi,* quam ipse porrexerat, itaq; periculum mersionis evadit.

3.de vir. In Christo habemus omnia.

l.6 Hexa. cap.4.

19. Sanctus Hieronymus quoque explicans hæc Apostoli, *De cetero, fratres, confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus: induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli*, ait, ex iis quæ mox subnectuntur, atque adeò ex omnibus quæ de Salvatore nostro Iesu Christo in sacra pagina leguntur, manifestè colligi, Dei armaturam quam eo in loc nos Apostolus induere jubet, non esse aliam quam ipsummet Redemptorem Iesum: adeò ut perinde sit dicere: *Induite armaturam Dei*, atque *Induite Dominum Iesum Christum.* Ostenditque multis singillatim, Christum nostram esse loricam, galeam, thoracem, scutum, & gladium *ex utraque parte acutum* & sic de reliquis. Arma ergo quibus nos indui & amari, ad omnes cacodæmonis tentationes excipiendas, omnes illius insultus & machinamenta eludenda, deque illo victoriam referendam oportet, alia non sint quàm virtus Christi ut autem id meliùs intelligamus, Sacra scriptura varia, eaque speciosa, illi dat nomina ac titulos, puta Regis, Magistri, Pastoris, Sacerdotis, medici, amici, patris, fratris, sponsi, lucis, vitæ, fortis, & alia ejus generis sexcenta.

Eph.6.10 Christus nostra est armatura.

Apoc.7. 14.

Apoc.1.16 & 2.12.

Quare Ecclesia omnes orationes concludit per Dominũ N.&c.

Ps.10.33.

20. Nam ut in eo Apostolus *omnes thesauros sapientiæ & scientiæ absconditos* dicit; ita etiam omnes nostri thesauri & facultates in eo continentur; illi enim *data est omnis potestas in cœlo & in terra* & in eàdem traditum ac consignatum est ei omne nostrum bonũ, medicina, remedium: & universa opera nostra, si quid meriti habent id ab illo mutuantur; & sacratissimo illius sanguine tincta valorem acquirunt: unde S. Ioannes in Apoca-

Coloss. 20.3. Imò omne bonum. Noster quoque thesaur.

Isaia 45.4 4.Reg.19. 34.

Apocalypsi de multitudine illa magna, quam ante Dei thronum conspexit, quamque dinumerare non poterat, albis indutam vestibus, & palmas in manibus habentem, dictum fuit: *Hi sunt qui laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni.* Omnia nostra bona quædam velut segmenta, portiunculæ, ac reliquiæ sunt divitiarum Christi: omnia quoque quæ nobis adveniunt bona & dona, per illum, nec nisi per merita eiusdem nobis accedunt. Per illum etiam à tentationibus ac periculis liberamur, omnes item virtutes acquirimus; denique quidquid habemus, habemus in Christo, ac per Christum obtinere, & Christo acceptum referre debemus.

Apoc.7. 14.

Quare Ecclesia omnes orationes concludit per Dominū N.&c. Psal.10.33.

21. Hinc omnes orationes & postulationes suas Ecclesia, rei huius conscia, hac clausula concludit, *Per Dominum nostrum Iesum Christum*; illud Davidicum secuta, *Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui*: quasi dicat: *Id nobis, Domine, filii tui dilectissimi causa concede; & ob amorem, quo illum prosequeris, peccatis nostris ignosce, cum pro illis ipse in cruce sit mortuus: intuere, obsecro vulnera quæ nostri causa suscepit, ac nostri miserere.* Sane si Patriarcharum Abrahæ, Isaac, Iacob, merita in Dei conspectu ita placuere, ut illis delinitus, iram quam in populum suum prævaricantem aliquando conceperat, deposuerit, eique fuerit reconciliatus, quin & ipsorum intuitu multa & eximia in eum beneficia contulerit, uti de se ipsemet in sacris litteris passim testatur: *Propter servum meum Iacob, & Israelem electum meum*; &, *propter David servum meum*: quanto magis putamus Patrem cœlestem ob merita unigeniti filii sui Iesu Christi placandum; *in quo ei bene complacuit?* Vnde ait Apostolus: *Gratificavit nos in dilecto filio suo.* Quin Christus ipsum rei huius sponsorem ac promissorem habemus: *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in filio.*

Isaia 45.4 4.Reg.19. 34.

Matt.15.7 Ephes.1.6

Ioan.14. 13.

Christus omnia nostri causa facit.

22. Quàm ergo meritò dixit Angelus Pastoribus nato jam Christo, & in illis, nobis: *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus.* Neque verò id unum singulare & simplex gaudium est, sed multa simul juncta, & bona plurima connexa. Quærit proinde curiosè Origenes, cur, dicente Isaia in singulari, *Annuntiantis bonum*; S. Paulus hunc locum producens, dicat, *Evangelizantium bona?* ac respondet causam esse, quod Christus non unum dumtaxat bonum, sed simul bona sit omnia. Ipse quippe *nostra est salus, vita, resurrectio, lux mundi, veritas, via, porta cœli, sapientia, potentia, & bonorum omnium thesaurus pro nobis natus est & mortuus, ut nos viveremus: pro nobis resurrexit, ut & ipsi ad novitatem vitæ resurgamus: pro nobis cœlos conscendit*: unde ait: *Vado parare vobis locum*: &, *Expedit vobis ut ego vadam.* Inde nobis misit Spiritum Sanctum, *ac dedit dona hominibus.* ibi quoque, ut ad dexteram Patris sedens, continuo in nos munifica manu beneficia & gratias effundit. Ac propterea S. Cyprianus eum vulnerum cicatrices ac

Luc.2.10.

Origenes.

Isaia 52.7 Rom.10.15.

Ioan.14.2.

Ioan.16.7.

Ephes.4.8

Cyprian.

vestigia retinuisse dicit, ut disceremus, hæc foramina velut fontes, & scatebras quasdam esse, è quibus thesaurorum gratiarum ac donorum divinorum fluenta perenniter manant, atque incredibili cum liberalitate jugiter in nos manatura sunt, neque umquam manare cessabunt. Hinc etiam in Canticis *manus* habere dicitur *tornatiles, aureas, plenas hyacinthis*: quæ quia torno velut perforatæ, hinc per illa foramina in homines dona cuncta defluunt.

Cant. 5. 14

Hebr. 4. 14.

Quanta fiducia in Christo nobis proponatur.

23. Itaque cum Apostolo concludamus: *Habentes ergo Pontificem magnum*, & tam potentem mediatorem & intercessorem, *Iesum* Christum, inquam, *filium Dei, qui penetravit cœlos; adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.*

Exemplum.

24. Cùm S. Bernardus, (ut habetur in eius vita) in gravi qua laborabat infirmitate, in exstasim raptus esset, stare sibi visus est ante Dei tribunal, & audire accusantem dæmonem, quasi gloriam cœlestem minimè esset promeritus. Cui sanctus vir respondit: Equidem fateor illa me gloria planè indignum esse, & illam Domino meo Iesu Christo deberi, idque duplici titulo, primo quidem quod æterni Patris unigenitus sit filius, heresque regni cœlestis: altero, quòd suo eam sanguine sibi compararit, factus obediens Patri usque ad mortem, horum titulorum primo ipse contentus est, isque ei plus quam satis est: alterum mihi communicat & cedit, atque in illius virtute ad cœlestem gloriam jus habeo; unde & hoc uno nitor. Hoc audito responso malignus ille accusator confusus abiit, & universa illa judicii forma evanescente, Bernardus ad se rediit. Huic ergo rei & nos confidere oportet, hæc spei nostræ summa esto. Iacob vestibus fratris sui, majoris indutus paternam benedictionem obtinuit: ad eum modum induamur & nos Iesum Christum fratrem nostrum maiorem, pelliculas Agni illius immaculati nobis circumdemus, ipsius merita ac passionem nobis applicemus, atque hoc pacto Patris æterni benedictionem consequemur.

Gen. 27.

Caput II.

Quam & nobis utilis, & Deo grata sit Passionis Dominicæ meditatio.

Meditatio passionis Dominicæ commendatur.

1. S. Augustini sententia est, *Nihil tam salutiferum nobis esse, quàm quotidie cogitare quanta pro nobis pertulit Deus & homo*: cui accedens suffragator Bernardus, *Quid tam*, inquit, *efficax ad curanda conscientiæ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quàm frequens ac sedula Christi vulnerum*, passionis, ac mortis *meditatio*? Ad hæc, nullum adversus omnes tentationes, præsertim carnales, sancti Patres esse dicunt remedium præsentius ac præstantius, quàm ad passionis Dominicæ meditationem confugere, intraque vulnera Redemptoris nos abscondere: Denique contra omnem morbum malum in illa remedium & auxilium inveniri. Vnde S. Augu-

Serm. 32. ad frat. in eremo.

Serm. 61. in Cantic.

In manuali c. 34

Augustinus: *In omnibus non inveni tam efficax remedium, quàm vulnera Christi.* Quin & æquè præclarè S. Bonaventura: *Qui se*, ait, *intentè & devotè in sanctissima vita & passione Domini exercet, omnia utilia & necessaria sibi abundanter ibi invenit: nec opus est, ut extra Iesum aliquid quærat.*

Collat. 7.

Gen. 17.

2. Quam ob causam videre est sanctis & servis Dei hoc exercitium perfamiliare fuisse, & hoc illos medio ad summum sanctitatis & perfectionis gratum pervenisse.

ss. semper fuit valde familiaris.

3. Et sanè quamvis hoc in exercitio aliud bonum non includeretur, quàm quòd Dei recordemur, grataque memoria recolamus beneficia quæ à munifica eius manu recepimus, assidueque de iisdem cogitemus; magni sanè vel idcirco id apud Deum pretii & valoris esset: amoris quippe proprium est, efficere, ut amans unicè desideret & magni faciat, ut is erga quem amore fertur, ipsum sæpe in mente habeat, de beneficiis ac bonis ab illo receptis frequêter cogitet, jugiter de iisdem agat ac loquatur; unde is qui verè amat, hac grata sui recordatione impensiùs delectatur & gaudet, quàm si amatus multa illi munera & donaria in acceptorum recognitionem mitteret. Patet id in matre illustri & opulenta filium absentem tenerè diligente: cui si dicatur, filium multam & honorificam eius mentionem facere, sæpius ipsius recordari, nunquam non cum grata animi significatione referre, quo ipsum affectu, studio, deliciis educarit, nec non beneficia commemorare quibus ab ea affectus est, denique grata cum memoria recensere molestias, quas ipsius causa passa est; longè id illi gratius est, magisque hac relatione oblectatur, quàm si, nulla harum rerum factâ mentione, multos ei parvos sericos pretiosaque monilia submitteret. Ad eumdem modum Dominus Deus noster, qui omnibus in rebus amoris leges & proprietates observavit, eos etiam in hac egregiè servat (hoc quippe verè & ferventer amantium proprium est:) unde maximopere desiderat magnique facit, si jugem ipsius memoriam habeamus, deque ipso, & singularibus ab eo receptis beneficiis, nec non mirabilibus quæ pro nobis est operatus, frequenter, quasi perpetuò, recordemur.

Est exercitiū gratitudinis gratissimū Deo, ob memoriam sui.

Meditatio pass. Dominicæ commendatur.

Serm. 32. ad frat. in eremo.

Serm. 61. in Cantic.

In manuali c. 34.

4. Præsertim cùm (si cum grata animi significatione hæc beneficia frequenter recolamus) brevi futurū sit, ut fervens aliquod Domino sincerè serviendi desiderium in nobis accendatur, uti experientia frequens testatur. Et sane si ulla re peccatorum corda dura emollescunt ad pietatem unica memoria passionis Domini emollescent; ad quam rem indicandam in eâdem Petræ scissæ, & monumenta olim aperta fuerunt. Si ulla re glorificatio Domini de corde justorum exprimitur, passionis Dominicæ torcular eam exprimit. Verè erat iste filius Dei, dicebant astantes cruci.

Et adhuc gratius ob affectum inde enascentem.

5. S. Gertrudi virgini à Deo revelatum fuisse Lud. Blosius tradit, quoties quis cum devotione & intimo pietatis sensu, Christi crucifixi imaginem respexerit, toties vicissim

Cap. 2. monil. spiritual.

eum

eum amorosè à benignissima Dei misericordia respici, aptè sane ad hoc propositum. Ex quo hoc saltem eruamus, cùm ipsi grave & molestum non fuerit nostri causa pati, nobis minimè molestum videri debere, grata memoria recolere id quod pro nobis est perpessus.

p. 6. lib. 1. cap 86. Chron. Minor. Exemplum.

6. Cùm F. Franciscus aliquando haud procul à S. Maria de Portiuncula transiret, & alta voce multisque cum singultibusploraret, contigit virum aliquem venerabilem insignem Dei servum, cui ipse notus erat, cadé forte præterire. Qui cum virum Dei afflictum', plorabundum & lacrymis suffusum videret, ratus insperatò aliquod ei infortunium aut calamitatem supervenisse, petiit ex eo, ecquid fleret, aut quorsum tantopere cruciaretur? Tum S. Franciscus multis cum lacrymis, & profundè singultiens: Quidni, inquit, doleam & fleam cum ob immensos illos cruciatus & tormenta, quos Dominus meus Iesus nullo suo merito passus est; tum quod homines incomparabiles huius beneficii usque adeò obliviscantur, cum tamen nos passionis ipsius causa extiterimus.

Caput III.

Quis modus in Dominicæ paßionis meditatione servandus sit; ac de compaßionis affectu ex ea eliciendo.

Passionis Dominicæ meditandæ modus idem qui reliquæ Vitæ Christi.

1. IDem autem in passionis Dominicæ meditatione modus, ex communi spiritualis vitæ magistrorum præscripto, servandus est, qui in reliquis orationis & meditationis generibus. Circa quam monent, non esse tempus omne nudæ historiæ excussioni & percursioni impendendũ, sed ante omnia dandam operam, ut voluntas per affectus & desideria quædam concitetur: qui primò in animo & corde concipiuntur, ut deinde in suo tempore opere ipso expleantur, atque huic affectuum concitationi potissimum in oratione nobis insistendum est. Sicut enim is qui ad aquam indagandam, vel ad latentem aliquem thesaurum eruendum, terram effodit, tunc à fodiendo cessat, cum quod quæritat invenit, nec ulterius penetrat: pari modo non est, quòd auro & thesauro veritatis & affectus, quem quæritas per meditationẽ & intellectus discursum jam detecto, & aquâ vivâ, quam anima tua maximopere concupiscit & sitit, jam reperta, ulteriùs intellectu penetres & excaves; sed in illis voluntatis affectibus ac desideriis tamdiu immoreris oportet, usque dum hac aqua animum expleas, sitim restinguas, ac tibi usque quaque facias satis. Hic quippe finis est quem in oratione habere propositum oportet; nec nõ fructus, qui ex ea eruendus: atque hunc ad scopum universæ meditationes & intellectus discursus ac considerationes sunt dirigendæ & ordinandæ. Hic ergo modus etiam in Dominicæ passionis meditatione nobis est observandus. Quare singillatim hic affectus, quos hac è meditatione elicere, quibusque immorari nos oportet, deducemus: quibus eâdem opera considerationes aliquot,

Hũc modum meditandi passioné valdè illustravit Commétarius D. Georgii ab Eische super 4. Evangelistarum passioné editus Coloniæ Titulo, Aula 1. 2. 3. 4. Vbi ad singulos versus vel verba habes affectus & colloquium cũ Deo.

quot, quæ huc nos excitare queant, adnectemus.

I. Affect. in pass. Dom. est compassio.

2. Multi quidem, iique varii sunt affectus, quos hic magno cum fructu in nobis excitare, iisque insistere possumus: hos tamen qui hac de materia tractant, ad septem ferè genera communiter reducunt. *Primus igitur est Affectus compassionis.* Alicui autem compati, est ejus dolore dolere, cruciatu cruciari, eum suis in afflictionibus ac malis cum passionis sensu & lacrymis cordis prosequendo: quo pacto dolor, afflictio, cruciatus inter utrumque ex æquo velut dividi, & alter ea quam ipse in me ei compatiendo partem transfero, alleviari, minoremque dolorem & afflictionem sentire jam videtur: quemadmodum è contrario cum quis malo & damno alterius lætari se ostendit, eique irridendo insultat, efficit ut ipsum increscat, & vinacius sentiatur. Et quamquam rerum sit, hac ratione nos efficere non posse, ut Redemptoris nostri Christi dolores & cruciatus allevientur, utpote jam præteriti, hæc tamen nostra compassio ei gratissima est, quòd per eam dolores & supplicia ipsius in nos quodammodo transcribamus. Atque idcirco dixit Apostolus. *Si autem filii & heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi, si tamen compatimur, ut & conglorificemur.*

Rō. 8. 17.

Excitatur hic consideratione magnitudinis cruciatuum Christi.

3. Huic tamen compassionis affectui in nobis excitando mirè conduxerit, pœnarum, cruciatuum ac tormentorum quæ Christus Redemptor perpessus est, magnitudinem considerare secundum extensionem & intensionē & appretiationem: nam ut Theologi & SS. Patres communi consensu tradunt, majora fuere tormenta Christi, quàm vllus mortalium hactenus est passus vel pati quisquam possit, juxta Propheticum illud: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus.* Primò, quia nulla in corpore ejus pars exstitit, quæ non gravissimis tormentis fuerit excruciata: unde Isaias: *A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas:* manus quippe & pedes clavis fuere transfossi, caput spinis transfixum, vultus sputorum illuvie fœdatus, & alapis inflictis tumens, universum denique corpus flagris concisum & conceptum, &, cum in cruce extensum, miserè luxatum. *Dinumeraverunt omnia ossa mea.*

Thren. 1. 12.

Extensivè quia ejus corpus totū dolores passum est.

Isa. 1. 6.

Ps. 21. 18.

Itē passus in anima.

4. Neque solum passus est in corpore, sed & in anima: etsi enim natura humana divinæ unita personæ esset, nihilo tamen minùs tormentorum acerbitatem sensit, quàm si illa unio non exstitisset. His accedit, quòd, quo dolor hic extensior foret, omnis consolationis inter patiendum expers esse voluerit: Atque idcirco in cruce pendens ad patrem exclamavit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Sancti Martyres suis in tormentis cœlesti ac divina quadam consolatione perfundebantur, qua vigorati & confirmati ea non tantum fortiter ac constanter, sed & hilariter excipiebant: Redemptor verò Iesus, quo intensior ipsius cruciatus foret, & nostri causa amplius pateretur, o-

Matt. 27. 46.

mnem undique cuilibet consolationi & alleviamento, tam quod cœlitus quàm de terra & ab hominibus poterat accedere,(quod ad inferiorem sui partem attinebat) aditum præclusit,itaque derelictus ac desertus fuit non ab amicis solùm & discipulis, sed & à Patre suo. unde per Prophetã suum expostulans ait: *Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mortuos liber* à peccato, à morte & supplicio ullo, quod commeritus videar.

Ps. 87. 5.

Sanguineum furorem eorum cogitatio Christo expressit.

5. Magnitudo tormentorum Christi vel ex eo satis intelligi potest, quòd sola illorum imaginatio ac viva repræsentatio sanguineum ei sudorem in horto Gethsemani expresserit, & quidem tam copiosum, ut in terram decurreret. Si tantùm angorem & agonem in eo causarit nuda ipsorum cogitatio, quantum causari oportet illorum de facto perpessio & inflictio?

Intensive etiam fuerunt maxima tormenta.

6. Deinde quoad intensionem omnes illius cruciatus & dolores tam atroces fuere, ut negent SS. Patres mortalium quemquam citra miraculum, per quod in vivis conservaretur, posse inter illa subsistere & vivere, sive spectetur dolor irrogatus, sive ignominia, sive depauperatio, & destitutio necessariorum, unde necesse fuisse Christo à Divinitate sua tunc aliquod subsidium petere, ne inter illa, antequam finirentur, fatiscens exspiraret.

Miraculosè in illis perduravit.

7. Non sic tamen illa in partem venit, ut dolores excruciatus ejus adminiculo verè non senserit; sed, ne excessivus tormentorum sensus quamprimum ei vitam tolleret, quò sic plura pateretur. Unde infinitam Domini misericordiam & liberalitatem colligere possumus: utpote qui ut sancti Martyres nullum in tormentis dolorem sentirent, miraculosis modis eum mitigabat; nulla verò in se miracula edebat, quò illa nostri causa intensiora pateretur, & vivaciùs sentiret.

Interni dolores Christi fuerunt maximi ex duplicis caritatis principio.

8. Præter hæc exteriora corporis tormenta & dolores, interna quoque Redemptor,(uti suprà diximus) eaque haud paulò prioribus acerbiora, pertulit, quæ animam ejus sanctissimam intimè & immediatè torquebant: etenim jam inde à primo conceptionis suæ articulo, ad ultimum usque vitæ momentum, universa omnium hominum peccata, tam quæ à mundi principio eatenus commissa erant, quàm quæ exinceps ad finem usque sæculi committenda erant, semper sibi præsentia habuit: qui, quia ex una parte Deum Patrem tam impensè diligebat, & illum peccatis offendi & lædi videbat, ex altera verò tanto erga animas amore ferebatur (quas passim in interitum & exitium ruere videbat) maximopere inde affligebatur, quod, tametsi passionem & mortem ipse suam ad eas juvandas & liberandas offerret, infinitas tamen illarum fore, quæ isthoc remedium in utilitatem suam conversuræ non essent, sed mortem præ vita diligerent; erat hoc ei velut gladius anceps, ex utraque parte vulnerans, hinc quidem quod Dei majestas ita violaretur & offenderetur, illinc verò quod animæ in interitum miserandum & quidem æternè deflendum

Ps. 37.

flendum ruerent præcipites, sequente damnatione inexplicabili. Unde nec verbis exprimi, nec cogitatione comprehendi possunt incomparabiles illi dolores, qui hinc in sanctissimam illam animam derivabantur.

Interni dolores Christi fuerunt maximi ex duplicis caritatis principio.

Vt mirũ non sit sanguinẽ sudasse in horto

9. Hæc igitur omnia, simul & universa tormenta, dolores, opprobria & contemelias, quæ dum in oratione in horto Gethsemani fusa menti illius obversabantur, sanguinem tam copiosè eum sudare fecerunt, ut in terram is decurreret.

Quẽ toto vitæ tẽpore su dare potuisset.

10. Neque verò tunc solum cum in horto erat angustiabatur Dominus, simili modo intus toto sanctissimæ vitæ tempore passus est, quia jam inde à primo conceptionis instanti quoad usque in cruce spiritum emisit, semper dicta præ oculis habuit; juxta illud Prophetæ dictum: *Dolor meus in conspectu meo semper.* Vnde colligere licet, totum vitæ ipsius tempus, tam ei dolorosum exstitisse, quã sint dies passionis: quin inde subinde magis affligere & torquere solet ipsa impendentis mali & supplicii exspectatio, quàm ejusdem perpessio. Quamobrem universa ipsius vita velut ingentium dolorum pelagus fuit, cujus fluctus noctu & interdiu assiduè sanctissimam illam animam extra omnem modum concutiebant & tundebant.

Ps. 37.

Quanti affectus in nobis oriri deberent ex pass. Domini.

11. Jam quisquis hæc singula subinde considerabit & ruminabit; adhæc, eum qui illa patitur, Dei esse filium, & nostri causa & è puro amore nostri illa pati; saxeo corde sit oportet & ferreo, si ad compassionem emoveatur. Meritò proinde S. Bernardus. *Cum*, inquit, *terra contremiscat, petra dißiliant, monumenta aperiantur, velamen templi in duas partes scindatur, sol & luna obtenebrescant; æquißimum certè fuerit nos compati iis, quæ Dominus pro nobis tam libenter passus est.* Nefas est manere nos petris & saxis duriores, & creaturis rationis expertibus insensibiliores: Præ doloris ergo sensu cor nobis diffundatur, & viscera disrumpantur. Si David Rex audita & perpensa filii sui Absalomi, qui tamen dum regno paterno perduellis imminebat, interfectus est, nec usque adeò indoluit, ut plangens exclamarit: *Fili mi Absalom, Absalom fili mi, quis mihi tribuat ut ego moriar pro te, Absalom fili mi, fili mi Absalom?* quanto nos erit æquius eodem plangendi modo filii Dei mortem prosequi, qui illa solùm de causa eam oppetiit ut nos à ditissima cacodæmonis servitute & captivitate liberaret, ac Patris sui cœlestis regni consortes efficeret?

Serm. fer. 4. hebdõ. sanct.

Matt. 27. 45. & 51.

2. Reg. 18 33.

Caput IV.

De affectu doloris & contritionis de peccatis nostris, quem è Dominica passionis meditatione elicere oportet.

2. Affect. ex pass. Domini est dolor de peccatis.

1. Alter è Dominicæ passionis meditatione eliciendus & exercendus affectus, est dolor & contritio de peccatis. Qui unus est de maximè propriis & primariis fructibus, quos ex ea elicere possumus, eo quòd peccati gravitas & malitia in ea valdè evidenter elucescat &

 colli-

colligatur. Idcircò S. Bernardus, *Agnosce*, inquit, *ô homo quàm gravia sint vulnera, pro quibus necesse est Dominum Christum vulnerari.*

Peccati gravitas unde elucescat.

2. Nihil sanè peccati gravitatem æquè declarat, quamvis certum sit infernalibus suppliciis æternùm duraturis illud dignum esse, quàm quòd necesse fuerit, quò illius debitum ex æquo dissolveretur, Deum ipsum hominem fieri: alio enim modo non potuisset in rigore justitiæ id solvi, nec justitiæ divinæ fieri satis: quia enim offensa quodammodo fuerat infinita, utpote in Deum infinitum commissa; atque is qui nonnisi purus erat homo, pro ea non poterat satisfacere, ob nimiam quæ est inter Deum & purum hominem distantiam; hinc qui eum pro satisfaceret, infinitæ necesse erat esse dignitatis, & æqualem ei in quem offensa & peccatum commissum erat, & eiusdem cum illo bonitatis.

Indignitas peccati simili declaratur.

3. Declarant id Theologi obvia similitudine: Si quis bubulcus vel agrestis, aut etiam plebeius regem suum retundat, alapamve infligat, certum est Regi haudquaquam factum iri satis, si hic fustuario vicissim colaphove excipiatur, imò ne quidem si ducentis flagrorum ictibus aut suspendio injuriam luat: quod immensa sit inter læsum & lædentem distantia: quæ enim inter alapam & injuriam Regi irrogatam & alapam & mortem rustici cuiuspiam paritas? quomodo ergo Regi huic fiet satis? si videlicet rusticus ille æquè potens ac magnus esset aut fieret, atque is quem læsit, ac tum parem ex lege talionis satisfactionem alteri offerret, hoc demùm modo credunt illi satisfactum iri.

Proportio Hominis ad Deum, inidonea est ad eũ læsum placandum.

4. Eodem ergo modo hic se res habebat. Graviter homo vilis ac nihili, qui nonnisi terra & cinis est, summum cœli gloriæque Regem offenderat & læserat: colaphum, (ut ita dicam) Deo infregerat hoc enim omnis qui letaliter peccat, quantum est ex parte sua, facit: etsi ergo vilis ille homo mortem oppetat, injuria minimè resarcietur.

Hæc improportio sublata est incarnatione.

5. Quæ ergo ei satisfaciendi ratio? non alia sanè, quàm si homo fieret Deus, & sic offenso æqualis; tunc ac pateretur, injuriæq; ex parte personæ fieret satis. Quid ergo remedii cum non sit alius Deus, præter eum qui solus verus Deus est?

Et sic passione unius Hominis pro omnibus est satisfactum.

6. Hanc ergo infinita Dei misericordia, planè admirabilem adinventionem artificium, & modum excogitavit quo homini sine ullo justitiæ suæ detrimento, eaque salvâ possetignoscere: nimirum quòd, cùm ipse, offensus esset, & alius qui offensæ satisfaceret, non esset Deus, se Deus faciat hominem, ut sic homo pateretur & moreretur homo, quòd homo Deum offendisset ac læsisset: atque, ut hæc passio ipsa valoris foret infiniti, eò quòd offensa & culpa infinita quodammodo fuerat, is qui patitur, simul sit Deus, cuius opera valoris sunt infiniti, utpote opera infiniti Dei.

Hinc elucet peccati gravitas, & plenitudo redemptionis.

7. Atque hæc fuit passionis Christi necessitas, è qua ipsam peccati gravitatem & malitiam nemo non colligat. Vnde S. Ioannes Damascenus non

Lib. 1. c. 5. Idem.

non dubitat asserere; si quidem Deus ob peccatum omnes & qui fuerunt, & ad finem usque sæculi futuri sunt homines ad inferos detruderet, non tam plenè tamen divinæ justitiæ satisfaciendum fuisse, quàm per Christi incarnationem & mortem est satisfactum. Neque verò & hyperbolicè aut exaggerativè quis dictum putet, quia ipsissima est veritas. Vniversa enim inferorum tormenta, quamvis semper duratura nullam cum vita & morte Christi analogiam habent, nec comparari mereantur, perquam, quia Deus erat qui satisfaciebat, justitiæ plenè & abundanter quidquid ei debebatur, atque etiam plus, est persolutum: in inferno autem ne unius quidem peccati debitum, quantumlibet semper solvatur, umquam dissolvitur aut plenè persolvitur.

Illa considerans facile cōteritur de peccatis.

9. His ita præstitutis, dico: unum de primariis, quos è passionis Dominicæ meditatione nos elicere oportet, fructibus; contritionem, dolorem, odium & detestationem peccatorum esse debere. utpote quæ Redemptori nostro Iesu tanto stetêre: Dicet itaque meditator passionis Dominicæ intra se: *Peccata scilicet, mea, Domine, has tibi spinas & flagella inflixerunt: ego te harum in pænarum tormentorumque pelagus peccando conjeci. Ego sum qui peccavi: ego iniquè egi: vertatur, obsecro, manus tua contra me. Tollite me & mittite in mare: scio enim quoniam propter me tempestas hæc grandis venit.* Hanc ego Domine crucem commerebar: ipse conspui, flagris cædi, & ab omnibus illudi dignus eram.

2. Reg. 24. 17.

Iona. 1. 12.

10. S. Bernardus commodam huic proposito considerationem adfert: *Ludebam,* inquit, *ego foris in platea cum contubernalibus meis, & in secreto regalis cubiculi super me ferebatur judicium mortis. Audivit hoc unigenitus Regis: exiit posita diademate sacco indutus, aspersus cinere caput, nudus pedes, flens & eiulans, quod morte damnatus esset servulus eius. Intueor subitò illum procedentem, stupeo novitatem: causam percunctor & audio; illum mei causa ad mortem properare. Quid facturus sum? adhuc ludam & deludam lacrymas eius? planè, nisi insanus sum & mentis inops, non sequar eum, nec simul cum lugente lugebo?*

Prosopopœia piissima peccatoris & patientis Domini. *Serm. 1. de nativ. Domini.*

11. Has ergo, & alias eius generis considerationes, in oratione nos excitare oportet, peccata nostra, quæ unica passionis Christi causa exstiterunt, plangendo & detestando. Vndè S. P. Noster in exercitiis passionis Domini, pro petitione (quam semper in meditatione facere nos jubet) hanc assignat, dolorem, sensum & confusionem pro peccatis: quia propter peccata mea Dominus tam atrocia tormenta subiit. Petitio autem quàm in singulis Exercitiis pro præludio S. P. assignat, semper illud ipsum est quod nos ex iis vult colligere & elicere.

Modus optimus meditandi pass. Domini, à S. Ignatio commendat. *l. exercit. spirit.*

12. Hoc exercitium à Sanctis Patribus mirificè commendatur, neque sanè eius umquam nos par est oblivisci, sed identidem id usurpare ac frequentare, tam eos qui primùm viam

Item à SS. PP. pro omnibus Hominibus.

Domini ambulare incipiunt, quàm, qui aliquousque in ea sunt progressi: quòd non contemnenda eo bona contineantur.

Alii fructus plures ut humilitas.

13. *Primò* namque per hoc homo in humilitate ac timore Domini egregiè se conservat: Etenim ad semper & ubique nos humiliandos & confundendos, nulla dari consideratio potentior & efficacior potest, quàm commissorum aliàs criminum consideratio, deque iisdem conceptus dolore sensus & contritio. Quas enim ignominias, quas iniurias, probra, contemptus detrectet aut non æqui bonique consulat is, qui Deum creatorem ac Dominum suum offendit, & propterea ad sempiterna tartari supplicia condemnari merebatur; idque in scelerum adversus divinam maiestatem admissorum expiationem & satisfactionem!

Item fiducia in Deum magna.

14. *Secundò*, exercitium hoc nos veniæ peccatorum consequendæ securos ac propè certos reddit. Nulla quippè res certiorem quempiam reddere de peccatis tibi à Deo condonatis potest, quàm quod illa deplorarit, planxerit, insigniterque ob illa contritus animo fuerit. Si enim tua ipse peccata jugiter præ oculis habeas, de iis indolendo, & ob illa erubescendo; illa Deus minimè respiciet, sed oblivione perpetua velut sepultorum non recordabitur. Hanc ob causam sua sancti viri peccata tam sibi frequenter antè oculos ponebant, & in memoriam reducebant. Vnde Psaltes: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum contra me*, id est coram me, *est semper*; ut nimirũ suos Deus oculos ab iis averteret, eorumq; practicè oblivisceretur, nempe ad iram, ad vindictam. Pænitentis vox est: *Averte faciẽ tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.* unde super hæc verba ait Sanctus Hieronymus: *Quia si tu ponis illud antè te, Deus illud non ponet ante se.* Nihil quippè divinos oculos sic à peccatis nostris oculos avertit, quàm si ipsi jugiter ea intueamur, ob eaque erubescamus & confundamur. Vndè etiam hoc inter castra in hora mortis maximè servos nos reddet, & lætitia perfundet: quare necesse est dum vivimus, ipsum frequenter usurpemus, & horam illam præveniamus.

Ps. 50. 5. & 11.

Exercetur amor Dei.

Exemplum. l.2. recogni.

Præservat à peccatis.

15. *Tertiò*, est id non solùm præteritorum criminum depulsivum, sed & antidotum præservativum, ne posthac in ullum labamur: qui enim semper, quòd Deum suum peccando offenderit, confunditur, & ex animo pœnitet, nullum de novo crimen consciscere præsumet.

Consolatio est in tentationibus scrupulorum.

Sequamur S. Petrum amore flentem.

16. *Quartò* denique potest id egregiè solari & securum reddere eum qui tentatur, quod tentationibus & scrupulis, à quibus exagitatur, nequaquam consenserit: qui enim frequentes contritionis actus excitabit, in eisque se assiduò exercebit, cũ peccatum omne insigniter detestando, tum firmiter proponendo vitam potiùs amittere, quàm vel unum mortale crimen committere; certus & securus esse potest, nullatenus se tentationibus ac scrupulis, à quibus vexatur,

vexatur, consensum præbuisse: neq; enim quis facilè in id quòd usque adeò execratur, consentit.

Exercetur amor Dei.

17. Præterea, quisquis hoc exercitium frequenter usurpat, se in amore erga Deum exercitat: quia vera & genuina contritio ex Dei amore nascitur, dolendo nimirum quòd tam bonum, tamque dignũ quem omnes & ament & serviant, Dominum offenderimus: Ideoque quanto quis Deum magis cognoscit & amat, tanto ampliùs eius offensa illi displicet.

Exemplum. l.2. recogni.

18. Apostolorum Princeps Petrus referente S. Clemente Romano, memor suæ in Dominum perfidiæ & negationis, tam eam continenter plãxit, ut calidarum lachrymarum decursus vultum quodammodo aduteret, & quosdam in maxillis sulcos & lacunas efficeret. Additque illum singulis noctibus, primo galli cantu audito ad orationem, peccatique sui veniam petendam exurgere, nec deinceps illa ipsa nocte quietem repetere, solitum: & hanc quoad vixit consuetudinem retinuisse.

Præservatà peccatis.

Sequamur S. Petrum amore flentem.

Consolario est in tentationibus scrupulorum.

19. Hoc ergo exemplum nos imitari oportet. Et sanè, inter reliqua tum in oratione, tum ex illam usurpanda, per quæ quis proficiat, exercitia non postremum est actus cõtritionis excitare, peccatum cane peius & angue detestando, ac firmiter statuendo vitæ, imò mille vitarum, potiùs facere jacturam, quàm unum letiferum crimen designare, & instantissimè à Domino petendo, ut hac è vita nos educat priùs, quàm tale quid fieri permittat. *Ne permittas me Domine separari à te.* Ad quid obsecro velim vivere, nisi ad tibi serviendum? si enim, tibi non serviam, vivere nolo: me potiùs hinc tolle, quam te umquam offendam.

Caput V.

De affectu Tertio ex passione Domini eliciendo, qui est Amor Dei.

Amor est illex amoris in profanis.

1. Tertius, quem è mysteriorum passionis consideratione elicere debemus, affectus, est amor Dei. Nihil sic hominem ad amandũ movet, quàm dum se amari cernit, nec sic ullis vinculis ac compedibus manus ac pedes constringuntur, atque cor amore. Atque hoc ipsum est instrumentum quo multa millia animarum seducuntur, quod quidem amorem quendã simulare noverunt, & illo miseros & incautos fascinare, ut erronee putantes se amari, vicissim ament, falsos amatores ad suam licet ruinam.

Etiam in sacris.

2. Cum ergò anima seriò, attente, mature summum Christi erga se amorem, qui hic undique tam clarè elucescit, considerabit ac perpendet; vicissim illius amore inflammetur & inardescat oportet, à quo tam est impensè amata. Hinc meritò S. Ioannes scribit: *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum vnigenitum misit Deus in mundum, ut vivamus per eum.*

1. Ioan. 4. 9.

Excessivus fuit amor Christi.

3. Qui amor quia tam immensus & incomparabilis erat; hinc à Luca vocatur amoris *excessus*. Domino enim coram discipulis transfigurato, apparuisse illic ait Moysen & Eliam, qui *loquebantur cum illo de excessu.*

Luc. 9. 30.

excessu eius, quem completurus erat in Ierusalem. Non sine ratione autem eum vocavit excessum. *Primò*, quia pro inimicis suis mortem oppetiit. Magnus hauddubiè amor sit oportet, qui hominem impellat, ut suam pro amicis vitam ponere non dubitet: unde & Christus Dominus hac maiorem inveniri dilectionem posse negat: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Vlteriùs tamen ipse filii Dei amor progressus est, utpote qui etiam pro inimicis animam posuit. Vnde in eo suum erga nos amorem Deum ostendisse, Apostolus testatur: *Commendat autem charitatem suã Deus in nobis quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.*

Quia pro inimicis passus est.

Ioan.15.13

Rom.5.8.

4. *Secundò*, vocatur excessus; quia, cùm vel unica sanguinis, quem in circumcisione effudit, vel sudoris, quem in horto Oliveti exsudavit, gutta; adhæc, vel minimum, quod ad nos redimendos fecisset, opus toti mundo, imò mille mundis redimendis, secundum omnem justitiæ rigorem (ut Doctores unanimiter asserunt) abundè sufficeisset, justissimaque pro illis fuisset satisfactio, quòd infiniti valoris fuisset opus, quippè à Deo, qui infinitus est, profectum: id tamen infinitæ illi bonitati & misericordiæ satis non fuit, sed universum sanguinem suum, quin & vitam voluit profundere.

Quia tã copiose est passus.

5. Vnde & Apostolus vocat illam dilectionem, nimiam: *Propter nimiã, inquit, charitatem suam, qua dilexit nos;* quia amor hic omne quod aut dici, aut cogitationi fingi potest, infinitis modis excedit. Hinc quoque est, quòd Zachariæ, Ioannis Baptistæ patri, de hoc ipso beneficio tractanti, satis non fuit dicere, id à Dei nostri esse misericordia profectum; sed ex intimis animi eius penetralibus & viscerali affectu provenisse asserit: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.*

Ephe.2.4.

Vere dici potest nimius Christi in nos amor.

1. Ioan.1. 9.

6. Quis ergò Deum adeò amantem non redamet? undè dilectus ille discipulus suos adhortatur: *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* in amore saltem reciprocè es respondeamus, amoris vicem rependamus, &, quo ipse modo nos dilexit, eo ipsum diligamus: ipse suum amorem ostendit operibus, & quidem tam carè ei stantibus; per quæ sanè amor se magis prodit & probatur.

Vrgemur itaque ad amorem Dei.

1. Ioan.4. 19.

7. Vndè S. Ambrosius: *Plus*, ait, *Domine Iesu injuriis tuis debeo, quòd redemptus sum; quàm operibus, quòd creatus sum.* Ingens certè fuit beneficium, quòd nos crearis, at nullo id tibi sudore, nullo labore stetit; nec enim ulla re alia opus fuit, quàm verbo dicere, & mox res confecta fuit. *Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt.* At nostri redemptio pluris quàm verbo tibi stetit, quia sanguinem & vitam te oportuit impendere.

l.2. in Lucam.

Collatio beneficii redemptionis & creationis.

Psal.32.6. & Psal. 148.5.

8. Et nos ergo amorem, quo erga eum ferimur, ostendamùs non verbis, sed operibus, suadente hoc Apostolo: *filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.* Dei filius suum erga nos amorẽ ostendit, cum

Amor opere probandus vicissim ex nostra parte.

1. Ioa.3.18

cum pro nobis contemni, despici, & illudi sustinuit; nos nostrum in ipsum probemus, propter illum despici & nullo in precio haberi cupientes, & gaudentes, aliqua humiliationis & mortificationis occasione occurrente.

Maximè patientia mortificationũ.

9. Suum ipse amorem patefecit, totum quantus quantus erat, se in sacrificium Patri æterno in crucis ara offerendo, adeò ut nihil ei, quod non nostri causa totum profunderet, superesset: nos pariter nostrum, nos totos ei offerendo ac dedicando, & totum cor nostrum illi sacrificando, intenseque desiderando, ut ipsius in nobis voluntas per omnia, & non nostra fiat in ipsum vicissim amorem expromamus. In hoc scilicet amor apparet & elucescit, non in verbis, unde nec lingua dicendo, Domine vehementer te amo. Atque hoc in sensu exponunt SS. Patres illud Apostoli Jacobi: *Patientia opus perfectum habet.* Qui enim, inquiunt, laborem omnesque mortificationis & humiliationis occasiones avidè arripit, gratanter amplectitur, & patienter sustinet; re ipsa ostendit, amorem suum non modis verbis contineri, sed operatorem, efficacem & verum esse, quòd tentationis, tribulationis, & adversitatis tempore, quo sinceri ac veri amici, ut Lydio lapide aurum, explorari solent, minimè deficiat.

Iac.1.4.

Ista patientia & sui resignatio maximè eliciatur

10. Hic fructus vel unus omnium potissimus est, quem è Dominicæ passionis consideratione nos elicere inprimis oportet: unde in eos nos ut orationis tempore exerceamus, omni studio conniti debemus: præcipuè verò in integra & cordiali nostri ipsorum Deo oblatione, & ipse de nobis quodcumque quandocumque & quomodocumque voluerit liberè pro nutu suo disponat: in eo ad casus particulares qui possent occurrere, difficultatem aliquam involventes descendendo, nullumque prætereundo locum, officium, gradum, aut functionem, quantumvis vilem & abjectam, quam non illius amore amplecti & suscipere gaudeamus. Est enim hoc permagnæ utilitatis & perfectionis exercitium, & è quo, num verè quis amet, colligi certissimò queat.

è passione Domini.

Caput VI.

De quarto affectu ex passione Domini excitando in nobis nimirum gratitudine & gratiarum actione.

1. Quartus affectus, in sacratissimæ Domini passionis meditatione & commendatione nobis excitandus est gratiarum actionis. *Quid melius*, ait Sanctus Augustinus, *& animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quam, Deo gratias? hoc nec dici brevibus, nec audiri lætius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius quidquam potest.* Tanti certè Deus Opt. Max. hanc gratitudinem & gratiarum actionem facit, ut, cum eximium aliquod populo olim suo beneficium præstaret, statim sibi ab illo canticum laudis & eucharisticum cani vellet. *Immola Deo sacrificium laudis.* Plena sunt sacra volumina id genus

Gratitudo & gratiarum actio est virtus cara etiã Deo.

nus canticis, quæ sancti varii ac filii Israël, pro acceptis à divina munificentia beneficiis, in gratiarum actionem ea prompserunt.

Ingratitudo est exosum vitium.

2. Communem Hebræorum traditionem fuisse ait S. Hieronymus, gravem illam ægritudinem Ezechiæ Regis Juda, qua *ad mortem usque ægrotavit*, indè ortum habuisse, quòd, acceptâ tam notabili ac prodigiosa victoria, cum Angelus Domini nocte una in castris Assyriorum centum octoginta quinque hominum millia interfecisset, canticum laudis, exemplo aliorum similibus beneficiis affectorum, Deo illius datori non cecinisset. Sanctus Augustinus de decem illis leprosis à Christo sanatis agens, curiosè observat, illum vnum ab eo laudatum fuisse, qui reuersus benefactori suo gratias egit, reliquos vt ingratos tacitè sugillatos fuisse: *Nonne decem mundati sunt, & nouem vbi sunt? non est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena?*

L.11. in Is. c.39. 4. Reg. 20.1. 2. Par. 39.21. Isa.38.1. serm. 10. de verb. Apo. Luc.17.18.

Adhortatio ad gratitudinem.

3. Nos ergo post tot à Dei manu accepta beneficia ingrati non simus, præsertim post id quod reliquorum omnium caput & primarium est, incarnationis, inquam filij illius vnigeniti, ac mortis eiusdem in ligno crucis. *Gratiam fideiussoris tui ne obliuiscaris; dedit enim pro te animam suam*, ait Ecclesiasticus: Cùm ergo Christus pro nobis omnibus fide iusserit & soluerit vltrò suum sanguinem & vitam impendendo; æquissimum sanè videatur, tanti nos beneficij minimè obliuisci, sed nos propterea illi quàm gratissimos exhibere.

Eccl.29.20.

4. Angelicus Doctor Sanctus Thomas de gratitudine disputans, tribus modis gratias agi posse docet: *Primò*, corde & interiùs beneficij accepti magnitudinem agnoscendo & magnifaciendo, seque tali benefactori imprimis obnoxium esse profitendo. *Secundò*, eum laudando, celebrando, & verbis ei gratias agendo, quomodo paulo ante etiam hymnis & canticis Deô olim celebrata fuisse beneficia in scripturis dicebam. *Tertiò*, beneficium opere aliquo compensando, idque pro difficultate & modulo ipsum recipientis. Tribus ergo hisce modis gratias in singulis passionis mysterijs agere, consuescamus oportet. *Primò*, corde & animo talium & tam ingentium beneficiorum quæ in vnoquoque mysterio includuntur, magnitudinem agnoscendo, ipsaque magnipendendo; singillatim omnes illorum circumstantias, &, quæ per illa nobis obuenerunt, & in sempiternum obuentura sunt, bona expendendo, & nos obstrictos agnoscendo & fatendo, ad illi propterea totis animi viribus seruiendum. *Secundò*, Deum labijs nostris laudando & glorificando, atq; ex animo optando, vt, quidquid creatum est, in illo ob ipsa laudando & gratijs agendis nobis in partem veniat & auxilio sit, iuxta illud Apostoli: *Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius. Tertiò*, deniq; tantis beneficijs per opera respondere conando, & totum cor nostrum (vt superiori capite diximus) illi consecrando.

2.2.q.107 art.2. Tribus modis gratitudo exhibetur, animo, verbis, opere. *Heb.13.15*

5. Sug-

Pulchrũ excitamentum ad gratitudinem, ex S. Bernardo.

5. Suggerit S. Bernard. bonũ documentũ, vt in vnoquoq; ꝙ meditabimur, mysterio, imaginando nobis adstare fingamus Redemptorẽ Christũ, nobisq; verba illa insusurrare, quę aliàs suis dixit discipulis post eorum pedes ablutos: *scitis quid fecerim vobis?* Hocne mysterium intelligitis? hoccine beneficium creationis, redemptionis, vocationis, exactè nostis? *Ah quàm nescimus, nec intelligemus, quid pro nobis fecerit Deus!* si quidem, prout oportet perpenderem, nossem ac scirem, Domine, quòd tu, cùm esses Deus, mea causa factus sis homo, & pro me in crucem agi volueris; aliud profectò mihi calcar ad te ex toto corde amandum, amore tuo liquescendum, & vniuersum cor meum tibi dedicandum opus non foret. Atque hæc demum vera germanaque esset gratitudo.

Scitis quid fecerim vobis. Joan. 13. 12

Aliud ex S. Chrys. l. 2. de cõpũct. cordis.

Beneficia Dei cõmunia consideranda, & pro iis gratiæ agendæ, quasi vni soli exsubita forent.

6. Audiamus quid hac in re faciẽdum consulat S. Chrysost. *Hic est*, inquit, *affectus & sensus serui fidelis, vt beneficia Domini sui, quæ communiter data sunt, quasi sibi soli præstita reputet, & quasi ipse sit omnium debitor & pro omnibus ipse solus habeatur obnoxius. Hoc fecit Apostolus qui mortem Domini quæ vniuerso impensa est mundo, sibi soli præstitam dicit. quasi eum de se solo loquens ita scribit: Qui dilexit me, & tradidit semet ipsum pro me.* Meritò autem id Apostolus, & nos ad illius imitationem dicere possumus, ait Chrysostomus, tam enim beneficium hoc mihi prodest, quàm si mihi soli collatum esset. Sicuti lumen solis non aliter aut minùs mihi lucet meque illuminat, quàm si mihi soli luceret: quòd autem & alii ab eo illuminentur, de dono nihil decedit, imò ipsum adaugetur: alios enim dum illuminat, eos mihi dat socios, qui mihi auxilio sint & solatio, &, cum opus est, benefaciant. Pari modò, quod Deus humanam naturã assumpserit, mortemque in ligno crucis oppetierit, tantum mihi utilitatis adfert, quantum, si mea unius causa hoc factum esset: quod autem alii inde participent, de utilitate ac fructu meo nihil detrahit, quin potiùs hoc mihi insuper inde boni accedit, quòd hoc pacto socios inveniam qui me ament, recreent, & in gloria promerenda, adaugendaque mihi sint auxilio.

Gal. 2. 20

Simile.

Imo Dei ea vel uni soli præstare voluisset.

7. Huc accedit, quòd tantus Dei erga unumquemque nostrum fuit amor, tamquam si ipsum solum, nullum verò alium diligeret: & quantum fuit ex parte voluntatis & amoris Christi, tam is paratus & promptus erat pro singulis (si quidem opus fuisset) pati, & mysteria hæc operari, quàm pro omnibus simul. Et de facto tantus, teste S. Chrysostomo, Christi amor fuit, ut pro unoquoq; nostrum singillatim facere & pati non recusaret, quod pro omnibus, & toto simul mundo semel fecit.

homi. 18. ad Gal. 2.

Et revera uniuscuiusq; nostrûm fuit memor eum passus est pro omnibus.

8. Certum præstereà, Christum mei unius speciatim tum meminisse, sibique præsentem habuisse, cum est incarnatus, & in cruce mortem oppetiit. Adeò ut dicere cum Propheta de unoquoque possit, *Charitate perpetua dilexi te*; imo mortem suam rectè putavit impensam, quò mihi per eam vita daretur. Quamobrem sic hæc mysteria & beneficia Domini

Iere. 31. 3.

considerare quisque debet, quasi sui unius causa ea peracta essent: sic & amorem, è quo illa promanarunt, tamquam si se unum Dominus amasset: ac proinde cum Apostolo Paulo dicere: *Qui dilexit me & tradidit semetipsum pro me.* Itaque si divina beneficia, & amor è quo illa profecta sunt, hoc modò considerentur; ingentem utique in anima nostra gratitudinem & amorem erga eum qui semper & charitate perpetua nos dilexit, hæc consideratio excitabit.

Gal.2.20.

9. Addunt præterea hîc SS. Patres, non ideo Deum velle ut ei pro beneficiis collatis gratias agamus, quod illis opus habeat, sed ad maius bonum & commodum nostrum: & hac ratione nos novis accipiendis beneficiis dignos præstemus. Quemadmodum enim (ut S. Bernardus ait) ingratitudo divinorumque beneficiorum oblivio, in causa est cur homo iisdem à Deo deinde exspolietur: est, quippe *ventus urens, fontem pietatis exsiccans, rorem misericordiæ, & gratiæ fluenta non recipiens*: consimili modo gratitudo & gratiarum pro beneficiis receptis actio, causa est quare Deus & priora nobis conservet, & alia dona de novo & favores conferat & adaugeat. Atque ut flumina mare, quod ipsorum velut fons & origo est, repetunt, ut denuo ex eodem oriantur: sic, cum Deo beneficia accepta per gratiarum actionem refundimus, nova in nos dona & beneficia, insigni cum fœnore fluere incipiunt.

Chrys. ho. 25. in Gen. Deus nos vult pro beneficiis acceptis gratos esse, nostro bono, non suo.

ser. contra ingratit. & serm. 1. in cap. jejunii.

Caput VII.

De quinto affectu ex passione Domini, nempe Admiratione. item Sexto, Spe.

1. QVintus affectus, quæ in Passionis Dominicæ meditatione exercere possumus, est admiratio; obstupescendo & admirando, quòd *Deus*, qui impassibilis & immortalis est, patiatur & moriatur; & quidem *pro illis* ipsis qui mortem ei inferunt, & omni bono erant indignissimi; adhæc quod tot & *tam atrocia* tormenta, & cruciatus patiatur, qualia nullus mortalium hactenus perpessus est: admirando denique immensam Dei charitatem & pietatem, infinitam sapientiam, & altissimum consilium, *quòd inde secutum est*, quod nimirum tam conveniens & congruum homini salvando remedium delegerit, quo & misericordiæ, & justitiæ suæ simul satisfaceret. Certè, hæc alia que id genus, quæ in his relucent, attentè considerare & expendere, eaque admirari, nec non infinitam Domini bonitatem, qui pro indignissimis, vilissimis & ingratissimis vermiculis illa præstitit, optima futura est oratio, quinimò altissima quæ haberi vulgò possit contemplatio, quæ non est aliud, quam consideratione & expensione mirandorum Dei operum absorptum & abreptum esse.

Causæ admirandi super passione Domini.

2. Quo autem maiorem quis lucem & cognitionem horum mysteriorum habuerit, eaque exactiùs excusserit, hoc illa impensiùs mirabitur: in hac autem admiratione magnus

Admiratio maior erit quo cognitio cedet.

Dei

Dei amor, eximia quoque beneficiorum divinorum recognitio, & ob eadem gratitudo, simul & summa nostri confusio inclusa est.

Utilis est sanctus hic affectus.

3. Sæpè autem nobis enitendum, sanctum hunc affectum excitare, quòd non contemnendos hinc fructus eliciturі sumus. Plurimis in locis Psalmorum ad finem versiculorum in Hebræo textu legere est voculam *Sela*, quæ tantumdem sonat ac pausa, ponderatio & admiratio præcedentis proximè mysterij: qua monemur affectum hunc admirationis in iis quæ meditamur, mysteriis excitare.

Spes in Deum ex passione Domini nascitur.

4. E mysteriorum passionis meditatione & ruminatione elicienda quoque nobis est spes & magna in Deum fiducia: qui enim secum perpendet, quantum sui causa, nullo suo meritò, imò longè alia commeriti, præstiterit Deus, quàm item libenter, avidè & promptè Redemptor noster Christus salutem suam sit operatus, (hæc quippè *sitis* illa erat, qua in cruce laborare se clamavit;) non potest non animo erigi, ut à tali bonitate & misericordia speret, omnia sibi ad salutem necessaria & convenientia copiosissimè datum iri.

Rom. 8. 32. Quomodo spes nascatur ex passione Domini.

5. Dicit quippè Apostolus: *Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?* si autem id Deus pro nobis, cùm adhuc inimici essemus, fecerit, quid non facturus est, cùm illius amici esse procuramus: Hæc Apostoli ratio comprimis notanda est, utpotè permagnæ consolationis & fiduciæ plena: *si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filii eius: multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.* Si nos inimicos, & ob peccata in ipsum commissa exosos, oculis misericordiæ suæ respexit, & tanto suo impendio sibi reconciliavit Deus; quibus jam amicos, & pro quibus nullus jam sanguis, non vita impendenda est, (uti tunc) sed cùm omne impendium jam præstitũ est, nos oculis intuebitur? qui nos dilexit peccatis deformatos, quomodo jam sanguine suo pretiosissimo mundatos & dealbatos non diligat? si, cũ ab ipso fugiebamus, sanctisque eius inspirationibus pervicaciter obsistebamus, ipse nihilo seciùs nos quæsivit, & ad se invitavit, nec priùs trahere destitit, quam ad suam tandem domum pertraheret; quomodo jam tractos dimittet & oblivisce- tur?

Rom. 5. 10.

Admiratio major erit quo cognitio excedet.

6. Porrò ad hunc fiduciæ affectum excitandum non parum quoque conferet, immensam Dei misericordiam profundè excutiendo penetrare; præeunte nobis hîc Ecclesiâ, quæ eius proprium esse ait *misereri semper & parcere.* Iustissimus quoque est, fateor, tamque in eo magna est justitia, quàm est misericordia, quòd in Deo attributa omnia paria sunt: at maximè proprium eius opus, quodq; is de suo, & libentiùs facit, virtus quoque quàm potissimum exercet, est misericordia; attestante Psalmista: *Suavis Dominus universis, & miserationes eius super omnia opera eius* resplendent. Hoc opus, maximè illius, & velut proprium illi, dicitur: adeò

Deus ad misericordiam pronior quam ad Iustitiã.

Ps. 144. 9.

quidem, ut antonomasticè & perexcellentiam vocetur opus Dei: propterea quoque eum Apostolus *divitem in misericordia* vocat. Esto enim in omnibus dives sit, in misericordia tamen particulariter eum divitem dicit. Qui certè loquendi modus rei cuiuspiam excellentiam & eminentiam denotare solet, uti cùm vulgò dicimus: Iste dives est in pecore. Sic nulla in re Deus æquè dives est, magis excellit & eminet, quàm in misericordia. quare meritò de ipso canit Ecclesia: *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo & miserando maximè manifestas.*

Ephes. 2. 4.

Quomodo sine diminutione attributorum aliorum misericordia in Deo excellat.

7. Nulla quippè in re suam Deus omnipotentiam & magnitudinem æquè patefacit, ac in ignoscendo, & misericordiam suam exercendo, nihilque habet eo carius. Sicut vir quispiam nobilis, qui multis exercitiis & artibus oblectatur & deditus est, una tamen præ reliquis delectari solet, hic quidem hastiludio, ille munificentia & liberalitate: sic in nulla virtute Deus æquè sibi placet atque in misericordia. Vndè egregie mellifluus Bernardus: *Quod* Deus, inquit, *miseretur, proprium illi est: ex se enim sumit materiam & velut quoddam seminarium miserendi*: nostris ad hoc meritis opus non habet, nec ab iis, ut misericordem se nobis exhibeat, ullatenus dependet. Castigare autem & punire ab eo alienum est; nam ad hoc eum peccatis ipsi nostris quodammodo cogimus & compellimus. adeò *ut miserendi causam & originem sumat ex proprio, judicandi & ulciscendi magis ex nostro.*

serm. 5. de nati. Dom.

Similiter ex Apibus petito id declaratur.

8. Naturales & proprium apibus est, mellificare, pungere autem ab iis alienum, nec exercere eæ aculeum solent, nisi vexatæ & lacessitæ, adeò ut velut invitæ & coactæ id faciant, nec nisi injuria aliqua provocatæ: similiter Deus, cum quem castigare & condemnare debet, id facit coactus, invitus, & à peccatis nostris quodammodo compulsus.

Etiam castigando misereturDominus.

9. Ac vel tum etiam, cùm nimio pere lacessitus castigationem ulteriùs differre nequit, & punire cogitur, suam declarat misericordiam: uti è dolore illius & sensu, quem in flagellando ostendit, videre est. Huius rei fidem faciunt multa sacræ scripturæ loca. Cùm enim, hominum increscente nequitia, terræ universæ diluvium vellet inducere, ait de eo Moyses: *Et tactus dolore cordis intrinsecus, delebo*, inquit, *hominem quem creavi, à facie terræ.* Videtur hæc hominis & mundi deletio, ad intima illi cordis penetralia penetrare. Adhæc, cum Ierosolymæ eversionem & excidium in Evangelio Redemptor prædiceret, *videns civitatem flevit super eam.* Sic apud Isaiam quoque ingemiscens ait: *Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis:* instar mitissimi alicuius judicis, qui mortis sententiam ferre & signare compulsus, nonnisi cum lacrymis eam signat.

Gen. 6. 6.

Luc. 19. 41.

Isaia 1. 24.

Imo castigatio in hoc seculo est misericordia, emen-

10. Neque in hoc solùm, sed & in ipso supplicio & castigatione quod Deus nobis intentat, &, ad timorem incutiendum, interminatur, infinitus illius amor & misericordia, nec non incredibile salutis nostræ quo ardet desi-

dantis vel terrentis. desiderium elucescit. Observavit hoc solerter D. Chrysostomus in illa Psaltis verba: *Nisi conversi fueritis arcum suum intendit, & in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* Est non vulgaris, inquit, clementiæ & pietatis divinæ argumentum, per arcum nos terrere & minari, suppliciumque infligendum priùs verbis exaggerare, ne in ipsum incidamus. Perinde ergo nobiscum agit Deus, ac Patres filiorum amantissimi solent qui, ne eos peccantes punire cogantur, & filii sibi timeant, seque corrigant, verbis minacissimis exaggerativis iram præferunt, flagrisque se egregiè excepturos dictitant ni peccare desinant. Notandùm præterea, gladium cominus ferire, arcum verò & balistam eminus: ad gladio feriendum, nonnisi capulo manus admonenda, & ictus intentandus est: ad arcum verò explodendum opus primò est illum tendere, sagittas dein pharetra depromere, mox arcui inserere: adhæc, is dum tenditur, & explosus distenditur, stridorem aliquẽ solet excitare. Propterea indulgentissimus Deus nobis per arcum comminatur, ut tempus ad divinam ultionem & supplicium declinandam atque evadendam habeamus, juxta illud Davidicum: *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus, ut liberentur dilecti tui.*

Chrysost. Psa.7.13.

Psal 59.6.

Exempla Dei misericorditer corripientis.

11. Cumque mundum diluvio delere decrevisset, centum antè annis ipsum prænuntiat, ut se in tempore homines subducerent, sibique consulerent, perinde ac qui taurum vinctum emittere vult, adstantes imminentis periculi præmovere solet: quæ omnia eius amorem & nox castigandi voluntatem ostendunt, si fieri posset, & per nos non staret. Idem quoque S. Doctor de pœna agens serpenti a Deo inflicta quod Evam decepisset: *Est & hoc*, inquit, *ineffabilis misericordiæ Dei opus: nam sicut clementissimus pater puniens eum qui filium sibi carissimum occiderit, & gladium & telum, per quæ filius interemptus est, destruit, & in multas partes diffringit. eodem modo egit Deus cum serpente, qui quasi gladius quidam diabolicæ servivit nequitiæ, unde & perpetua ipsi pœna intentata est.*

Homil. 17. in Gen.

Deus nō vult mortem peccatoris.

12. Non vult enim Deus mortem peccatoris, nec hominum perditione lætatur: si enim ea lætaretur, jam sat multas tui occidendi hactenus ei occasiones dedisti: si enim illo, quo nosti tempore mortuus esses, jam abhinc multis annis infernalibus in ignibus arsisses: sed noluit infinita ejus misericordia morti & diabolo illuc te abripiendi facultatem dare. *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus: & non ut convertatur à viis suis, & vivat?* ait per Ezechielem Prophetam: Nam non vult, ut te ipse condemnes, quòd caro ei steteris, quodque te sanguinis & vitæ suæ impendio mercatus sit: nollet proinde tam carum & superabundans pretium sine fructu ullo prodigeretur, sed omnes converterentur & salvarentur. Testatur hoc Apostolus Timotheo suo scribens: *Qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* His aliisque eiusmodi considerationibus, quarum

Ezech. 18. 23.

1. Tim. 2. 4.

quarum divinæ litteræ, & Sactorum Patrum volumina plenissima sunt, excitare nos ipsi debemus, ad magnam de divina misericordia fiduciam concipiendam; ac præsertim re illa quam hic tractamus, scilicet ad passionem & merita Iesu Christi recursu.

Caput VIII.

De 7. affectu imitationis Iesu Christi, quem è mysteriorum passionis eius consideratione elucere nos oportet.

Incarnationis sco pus duplex redemptio & sanctificatio.

1. Septimò denique è sacræ passionis meditatione & consideratione elicere debemus virtutum, quas illa durante Redemptor Iesus exercuit, imitationem, in eaque nos seriò exercere. Duas potissimum ob causas unigenitus Dei filius, (ut communiter S. Patres docent) in mundũ venit, humanam carnem assumendo, & sacratissima illa mysteria inter homines operando. *Prima* ac præcipua fuit, ut sua hominem morte & passione redimeret. *Secunda*, ut perfectissimum ominum virtutum exemplum hominibus daret, eoque ipsos ad sui in illis imitationem & sequelam pelliceret.

Basil. in constit. monast. c. 2.

Sanctificationē procuravit exemplo suo sancto: absolvit sacramētis.

2. Idcirco, postquam in suprema cæna eximium illud profundissimæ humilitatis opus, quo in genua prostratus discipulorum pedes divinis manibus suis abluit & extersit, peregisset, statim hanc vocem subjunxit: *Exemplum dedi vobis, ut; quemadmodũ ego feci, ita & vos faciatis.* Quodque de illo opere tunc temporis asseruit, idem de omnibus aliis passionis suæ operibus intelligi voluit: unde in prima Canonica sua Apostolus Petrus, tractans de Christi passione, ait: *Christus passus est nobis, vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia eius.* Atque ideo Augustinus, *crucem Christi non solum lectulum vult esse morientis; sed & cathedram docentis* exemplo suo quid nos facere & imitari oporteat.

Ioan. 13. 15

1. Petr. 2. 21.

Tra. 119. in Ioann.

In passione sua fulgentissima dedit exempla Domini.

3. Quamvis autem tota Christi vita perfectissimum virtutum exemplum & speculum fuerit; in passione tamen earum quas tota vita verbo & exemplo nos docuerat, quoddam velut compendium nobis tradere voluit, in qua eæ in summo gradu & eminentissime elucerent. Vnde, ex horum mysteriorum consideratione quandam universarum in Christi virtutum imitationem & sequelam elicere debemus.

Method' intuendi ista exempla & meditandi aliquam virtutē.

4. Vnamquamque igitur virtutem per se & in specie attente considerando, itaque ardentem quendam eiusdem in voluntate affectum & desiderium, nec non efficax operum & actuum eiusdem exequendorũ propositum, præterea ingens vitii cōtrarii odium & detestationem inde eliciendo. v. g. Cùm quis humilitatem Christi considerat, quod nimirum, cum esset natura Deus, usque adeò se abjecit, & ultrò se hominum opprobriis, ludibriis, & sannis, & quidē tam indignis, exposuit: debet sese despicere, ut vilem & nullius momenti rem reputare, ex animo desiderare, ut à nullo honoretur, æstimetur, aut præ aliis in pretio habeatur; denique pro-

proponere, quòd, si aliquas ipsi contumelias, injurias & despectus contigerit irrogari, libententer eas perferret, & iis oblatis gaudebit, ut Redemptorem suum Christum hoc pacto aliquatenus imitetur & æmuletur. Pari modo cum Christi patientiam perpendet, apud se in voluntate statuet, libenter & ex animo quælibet adversa occurrentia amplecti, & boni consulere: adhæc, impensè desiderabit, ut id genus non pauca sibi succedant, Deusque sibi in hac vita affectiones & tribulationes immittat, ut Christo Domino suo hac in parte similis efficiatur. *Nolo Domine sine vulnere vivere, quia te video vulneratum*, ajebat S. Bonaventura. Hoc modo circa reliquas omnes virtutes, obedientiam, caritatem, mansuetudinem, castitatem, paupertatem abstinentiam, quòd hæ omnes in passione mirificè reluceant, faciendum est, nos in Christi in his omnibus imitandi desiderio exercendo.

1. Petr. 2. 21.

Tra. 119. in Ioann.

In passione sua sul gentissima dedit exempla Domini.

Method° intuendi ista, exempla & meditandi aliquam virtutē.

Tract. 3. c. 27.

In meditatione ad particulares virtutis casus descendendum est.

5. Notemus hic oportet, quod & suprà indicatum, in unaquaque virtute esse nobis ad casus particulares, qui occurrere possent, descendendum, eos ex amore Dei acceptando, in iisque gaudendo, hoc quippe majoris utilitatis est, quàm generalibus in casibus semper emaneret: ad hæc particularibus magis opus habemus. Exempli causa, cum de humilitate meditaris, ad particulares, qui occurrere plerumque solent & possunt, despectus & parvæ æstimationis tuę casus imaginandos tibi descendendum est: primò quidem ad faciliores, dein ad difficiliores, qui, si occurrerent, plus tibi allaturi difficultatis, & acerbiùs te puncturi videntur: vnde sic in ijs exerceas te & gaudeas imaginando oportet, ac si de facto tibi præsentes essent. Eodem modo, eùm de indifferentia, patientia, mortificatione, & cum Dei voluntate conformitate meditaris, agēdum est. Hoc enim pacto paulatim animæ virtus inseritur, passio autem & oppositum vitium remittitur & imminuitur. Hac item ratione ipse virtutis actus nobis postea, occurrente eiusdem exercendi occasione, longè fiet facilior, vtpote jam præuisus, & animo præceptus. Atque ad hoc conferunt pia desideria & proposita, in meditatione concipi solita.

omnes homines apti sunt ad meditandam passionem Domini.

6. Per hactenus igitur dicta lucu-lentam, copiosam, amplam materiam & perutilem methodum tradidimus, passionis Dominicæ, & mysteriorum sanctissimæ vitæ eius considerandorum & meditandorum. Vnde nemo verè ac iure dicere poterit, in eorumdem se meditatione non posse prout oportet versari, cum tot produxerimus affectus, quos in singulis punctis excitare meditanti liceat. Quibus addendum est posse nos, in singulis mysterijs, & vnoquoque eorum affectu, ad potentiùs nos circa illum emouendos, sequentia capita considerare & ruminare. *Primò*, quis: *secundò*, quidnam patiatur: *tertiò*, modum quo patitur; nimirum patientiam, humilitatem, mansuetudinem, & amorem, quo illas pœnas opprobriaque excipit & tolerat.

quartò, pro quibus: *quintò*, à quibus; *sextò*, finem ob quem illa patiatur. Quæ puncta hic sancti Patres communiter tradunt & magni faciunt, vt ijs insigni cum fructu ipsi nos exerceamus.

Sola imitatio Christi satis potest nos tota vita occupare in passione Domini.

7. Et, quamvis alij qui excitarentur, affectus non suppeterent, in solo certè postremo imitationis affectu satis superque materiæ inuenimus, in qua per omnem vitam nos exercerimus: quod duplici è capite licet perspicere. *Primò*, quia hoc modo circa omnes virtutes discurrere possumus: omnibus quippe opus habemus, omnes porro in Christo reperiemus. *Deinde*, si in unaquaque virtute per casus speciales, qui solent & possunt occurrere, discurramus, quos omnes ita faciles & complanatos habere nos oportet, ut eos non patienter modò, sed & gaudenter & hilariter excipiamus, sicut suprà dicere memini, affatim materię habemus, in qua tota vita occupemur, vel ad unam solum virtutem, ne dum ad tot alias perdiscendas.

Tract. 3. c. 17.

Ista est revera opimus affectus.

8. Quapropter ita statuo, quamvis reliqui affectus maximi sint momenti, hunc tamen imitationis, omnium esse præcipuum maximeque necessarium; quod affectum amoris Dei aliosque à nobis hactenus expositos, in se contineat, & reliquarum virtutum actus complectatur. Imitatio ergo non unus solus affectus est, sed quoddam omnium sanctorum affectuum, in quibus vita Christiana, ejusque perfectio consistit, compendium ac summarium. Hæc ergo ordinaria mentis nostræ in passionis ac sanctissimæ Domini nostri Jesu Christi meditatione esse debet occupatio; nec non præcipuus qui ex ea nobis eliciendus sit, fructus, ut ejus quisque virtutis imitationi insistat, qua maximè opus habebit, tamdiu in illa se exerceat, perstet, penetret ac se occupet, quoadusque profundè illa in animo radicetur, solidetur, ejusque habitus paretur, & contraria passio ac vitium mitigetur ac consopiatur. Deinde ad aliam, mox rursus ad aliam, transitus fiat. Hoc autem melius & utilius est, quàm in oratione multa delibare, eaque levi pede pertransire.

CAPUT IX.

Exemplis quibusdam confirmatur, quàm Dominicæ passionis meditatio utilis, Deoque grata sit.

I. Exemplum. Sylvester in rosa aurea, serm. de S. Maria Magd.

1. CVm Maria Magdalena post Christi in cœlos ascensionem, in desertum horridum concessisset, in quo duos & triginta per annos in magno vitæ rigore egit; eam jam inde à principio Redemptor docere volens, quo sibi gratissimo acceptissimoque in exercitio in vasta illa solitudine se jugiter occuparet; Archangelum Michaëlem, pulcherrimam crucem manu tenentem ad eam misit, qui ad speluncæ illius introitum eam fixit: ut Magdalena, eam numquam non præ oculis habens, simul quoque sacra

cra mysteria, quæ in illa repræsentabantur, & aliàs peracta erant, assiduè oculis mentis intueretur, nec eorum oblivisceretur. Vnde toto illo, quo in isthoc deserto egit, tempore jugiter est de passionis ac mortis Redemptoris ac magistri sui mysteriis meditata. Quod ipsa, sancta cuidam Deo servo è Dominicana familia, ut fusiùs prædictus Sylvester refert, revelavit.

I. Exemplum. Sylvester in rosa aurea, serm de S. Mariæ Magd.

2. Quidam etiam Dei servus, in solitudine perfectam sanctamque vitam ducens, scire avidus quænam se in exercitia & opera, Deo acceptissima, posset impendere, multis precibus & instanter id sibi ab eo petiit revelari. Ergo die quadam idipsum pro more petenti, apparuit Redemptor noster Christus, vulneribus fœdum in modum concerptus, nudus, ac tremebundus, gravi insuper cruce onustus, & ait: Rem mihi gratissimam & acceptissimam famuli mei præstiterint, si hac in cruce bajulanda mihi in partem venerint: id autem facient, si me pia omnium cruciatuum ac tormentorum meorum consideratione & meditatione comitentur, mihique ex intimo corde tenerrimo affectu compatiantur. Atque hæc cùm dixisset, ex oculis abiit.

Exéplũ. Ludolph. de Saxonia de vita Christi in proœmio passionis.

3. Cùm Sanctus Edmundus Archiepiscopus Cantuariensis etiamnum puer Oxonii in Anglia previa Grammatices rudimenta disceret, & die quadam per agros solus obambulans pii quidpiam animo meditaretur; derepentè apparuit ei puerulus Jesus *candidus & rubicundus*, uti eum Sponsa in Canticis depingit; & se quis esset indicans & suavissimos aliquot cum eo sermones miscens, inter alia ei suasit & commendavit, ut exinde quotidiè aliquod vitæ, passionis, & mortis suæ sanctissimæ mysterium meditaretur, ac mente pertractaret: hoc enim ei adversus omnes cacodæmonis insultus munimen, & ad comparandas conservandasque omnigenas virtutes, & tandem mortem felicem obeundam, singulare futurum præsidium. Hæc cùm consuluisset, abiens, adolescentulum incredibili gaudio delibutum reliquit. Qui ex eo tempore, magna cum perseverantia, quotidiè circa vesperam aliquod vitę passionisve Dominicę mysterium meditando percurrit; atque ex hac ipse meditatione magnum pietatis sensum, & singulare in omnibus rebus suis auxilium & opem percepit.

Exempl. Vincent. in specu. lo histor. Antonin. 3. p. hist.

Surius tom. 6. Cant. 5. 10.

4. Religiosus quidam Ordinis Prædicatorum, natione Germanus, miræ vir sanctitatis & virtutis, jam inde à puero insigniter erga Dominicam passionem affectus, de ea frequenter, magno cum devotionis sensu & lacrymis meditabatur, singula sacratissima Redemptoris Jesu vulnera solenni illa Ecclesiæ formula salutare & honorare solitus. *Adoramus te Christe, & benedicimus tibi, quia per crucem sanctam tuam redemisti mundum.* Atque hæc dicens quinquies genu flectebat, & orationem

Exempl. 1. p. lib. 1. c. 61. historia Dominic.

Dominicam toties recitabat, Dominum obtestans, ut sanctum timorem & amorem suum sibi largiretur. Hanc autem devotionem Deo placuisse ostendit mirabilis hæc visio. Etenim ei oranti apparuit Redemptor noster Christus, amabili placidoq; vultu, eum ad fruendum vulneribus suis (posito omni metu) invitans, quod cum ille profunda cum reverentia & humilitate fecisset, & sacratissimas ejus plagas esset exosculatus, tanta inde in animam illius dulcedo derivata est, ut exinde quidquid non esset Deus, ei absinthium & crux esse videretur.

Surius in vita S. Pachomii in Iunio.

Cùm Pachomius Abbati suo Palæmoni in Paschali festo agrestia olera in cibum præparasset, eisque olei pauxillum & salem pro condimento, (quod dies ille solemnior esset) addidisset, cùm reliquis diebus nonnisi salem oleribus superaddere pro more haberet; senex his gustatis, lacrymari cœpit, ac Dominicæ passionis recordatus, ait, *Dominus meus crucifixus est, & ego nunc oleum comedam? minimè gentium.* Et instante licet Pachomio, ob festum Paschale tanti illum jam ab eo deliciarum sumi posse; Palæmon adduci numquam potuit ut ex appositis gustaret.

Exempl. Thomas Cantipr. lib. 1. de apib. c. ult.

5. *Cùm Christianus captus cuidam Gentili tyranno serviret*, (verba Cantipratensis sunt) *& ille eum honestissimè tractaret, Christianus autem semper gemebundus incederet: miratus tyrannus tristitiæ causam quærit, quare cum aliis servis non gauderet. Respondit: semper tristis incedo, quia mortis Dei mei memor, continuò in corde meo passionis ejus stigmata porto. Hoc ut tyrannus audivit, graviter indignatus. Et ego experiar quæ dixisti. Nec mora, Lictore vocato jubet aperto pectore martyris cor evelli, & per medium cultro secari. Et statim, mirante tyranno cum suis, pro sigillo pars una cordis, & pro impressione pars ejus altera crucifixi Christi imaginem continens, reperitur. Quo viso tyrannus mox credidit, & cum suis sacrum baptisma suscepit.*

Exempl. p. 2. lib. 4. c. 11. Chronic. S. Francisc. Curtii in vita ejus c. 42.

6. Simile huic & æquè clarum miraculum de Sancta Clara de monte Falchio refertur. Hæc dum in vita passionis Domini ac sponsi sui fuisset deditissima, in ejus demortuæ corde ex una parte reperta est Christi crucifixi imago, additis clavis tribus, Lancea, Spongia, arundine: quæ omnia ex ipsius carne perfectissimè efformata fuere: ex altera verò flagellum quinque partitum, columna, spineum sertum. Quæ prodigiosa figura etiam hodie in Monte Falconis, Italiæ opido, spectatur.

Tra-

TRACTATVS OCTAVVS,

DE SACROSANCTA COMMVNIONE, ET TREMENDO MISSÆ SACRIFICIO.

CAPVT PRIMVM.

De incomparabili beneficio, & incredibili amore, quem in divinißimi Altaris Sacramenti institutione Dominus nobis exhibuit.

Duo Dei opera excellentia.

1. DVo nobis opera Deus præstitit cum primis augusta & excellentia, quæque humanas mentes præ reliquis eius operibus in admirationem rapiunt, ac præ stupore percellunt: adeò quoque in se rara & artificiosa, ut Isaias Propheta de his ipsis loquens, eas Dei inventiones vocet: *Notas facite in populis adinventiones eius.* Opera, inquam, in quibus cogitare quodammodo visus est, quomodo seipsum homini communicare & effundere posset.

Isai. 12. 4.

1. Opus, incarnatio Dei, mirabilis ob multa miracula. 1. Vnionis.

2. *Primum* fuit eius incarnatio: in qua se æternum patris Verbum naturæ humanæ tam arcta connexione, tam stricto, tam intimo vinculo copulavit, ut Deus simul & homo in unam personam & hypostasin coaluerint. Qui nodus connexioque omni rationi humanæ incomprehensibilis & incognita est, soli Deo nota & comprehensibilis: in qua quotquot sunt, capienda caligant & cæcutiunt, ille solus actum hic perspicit; reliquis meræ hic tenebræ & obscuritas, ei soli lux & claritas. nodus denique indissolubilis: quod enim semel conjunctum est, numquàm exinde dissolvetur, nec dissolutum est, &, ut ait S. Dionysius Areopagita, *quod semel assumpsit, numquam dimisit.* Amor enim virtus est unitiva, quia amantem in amatum totum transfert, & è duobus unum quodammodo constituit. Quod ergo nullus inter homines amor hactenus efficere potuit, hoc Dei amor propter hominem præstitit. Quis enim sub cœlo vidit umquam, ut amor ex amante & amato unum quid verè & realiter efficiat? at in cœlis id videre est: una quippe &

Alvar. tom. 2. lib. 3. & tom. 1. l. 3. p. 2. c. 3. medit. 5.

2. Firmitatis.

Cap. 4. divin. nom.

eadem Patris & filii est natura substantia, essentia: & ambo *unumquid* sunt; sed sub cœlo talis unio numquã facta est. Tam magnus porro Dei erga hominẽ fuit amor, ut ita se homini unierit, & cõjunxerit ut ex Deo & homine una tantũ conflata sit persona; eaque ita una, ut homo verè sit Deus, & Deus verè homo; & quidquid proprium est Dei, verè & propriè de homine dicatur; & vicissim quidquid homini proprium est, etiam dicatur de Deo. Adeo ut is quem homines deforis videbant, verè esset Deus, quem oris corporei organo loquentem audirent, esset Deus; quem comedentem, incedentem, defatigari viderent, esset Deus Naturam & operationes humanas realiter habebat, qui tamen eas operabatur & agebat, erat Deus. *Quis*, rogat Isaias, *audivit umquam tale, & quis vidit huic simile?* ut Deus sit puer, pannis involvatur, vagiat in cunis, infirmus & imbecillis sit, defatigetur, dolores & cruciatus subeat? Dixit olim Vates Regius Christo, *Altissimum posuisti refugium tuum, non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*: Iam verò flagella, clavos, spinas ad te videmus accessisse, & te in crucem actum esse. quod à Deo tamen quàm maximè est alienum. *Peregrinum est*, inquit Isaias, *opus eius ab eo*, opus, quod hominum simul & angelorum mentes in admirationem rapiat.

3. Communicationis Idiomatũ seu prædicatorum.

Isai. 66. 8.

Ps. 90. 9.

Isai. 28. 21

3. *Alterum opus*, (in quo infinitas eius amor æquè ac elucescit) fuit Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ institutio: *In primo* opere essentiam suam divinam carnali velamine, ut à nobis mortalibus conspici posset, contexit: *in hoc verò* non divinam solùm, sed & humanam, accidentibus panis & vini velavit, ut à nobis manducari posset. *In priore* Deus hominem sibi concorporavit & copulavit, naturam humanam Verbo divino ita uniendo hoc, ut eam in viscera Dei quodammodo transire fecerit: *in hoc secundo* vult ut tu ipsi concorporeris & eum intra viscera recipias. Priùs erat homo unitus Deo, jam se Deus homo tibi unire vult. *In priore* erat dumtaxat communicatio & unio cum una & singulari natura, sacra nimirum Christi Iesu humanitate, quæ Verbo divino personaliter & hypostaticè unita est: *in secundo* unit se Deus cum unoquoque nostrum singillatim, qui ipsum recipit, atque unum quid cum eo efficitur; non quidam hypostatica & personali unione (hæc enim minimè conveniebat) sed tali unione, qua nulla intimior & arctior, hypostaticâ illâ exceptâ, cogitari potest. Nam ipsemet in Evangelio ait: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Quod certe opus divinum prorsus & admirabile est. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus*, se neque solum, ut id vocat D. Thomas, *miraculorum ab ipso factorum maximum*, sed quædam omnium miraculorum synopsis & compendium.

2. Opus, Institutio Ven. Eucharistiæ eius-

quæ cum priore collatio.

Ioan. 6. 57

Ps. 110. 4

Serm. in festo corporis Christi.

4. Assuerus Rex opiparum & regale epulum, quod centum & octoginta duravit diebus, idque *& ostenderet*

5. Communionis mira ex figuris suis elucent.

deret divitias gloriæ regni sui ad magnitudinem atque jactantiam potentiæ suæ, legitur satrapis & principibus suis instruxisse. Sic Christus Redemptor noster, magnus ille Regum Rex & maior Assuero, regium convivium instruere voluit, in quo thesaurorum, divitiarumque suarum magnitudinem, gloriæ quoque suæ potentiam & majestatem exhiberet; nam, quem in eo apponit, cibus, ipse est Deus. Opus certè, quod non minus quam primum illud incarnationis, omnes in admirationem rapit, & stuporem provocat. Quid ni? cum vel umbra admirabilis huius mysterii, (in manna videlicet) magnum in Hebræis stuporem causarit. dicebant enim: *Manhu? quid est hoc?* & illorum posteri dixere: *quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandū?* Neque solum ad centum octoginta dies epulum hoc, (uti aliàs Assuericum illud) extenditur; sed jam mille sexcentis duravit annis, & ad finem usque sæculi duraturum est: semper de hoc pane comeditur, & numquā absumitur aut desinit. Iure ergo Propheta mirabundus exclamat: *Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram.* Obstupescit artificium, adinventionem & sapientiam consiliorum Dei, quod ad homines sanandos excogitavit. De secundo hoc opere, adspirante divina gratia, (qua certè cum primis opus habemus) hoc in tractatu, paucis disseremus,

Con-vivio Assueri.

Ioan. 6.

Psal. 45. 9.

Psal. 110. 4.

Sermo in festo corporis Christi.

5. Ioannes Apostolus & Evangelista de prima sanctissimi huius Sacramenti institutione loquens ait: *Cùm Iesus dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos* singulari quodam modo; tunc quippe majoribus & amplioribus eos est beneficiis prosecutus, & clariora iis amoris sui dedit pignora; inter quę facile primū & præcipuū fuit, sanctissimum hoc Sacramentū, in quo maiestas ipsius verè & realiter præsens adest. In eo certè ingentem illum, quo erga nos ferebatur, amorem mirificè declaravit: etenim primaria veri amoris conditio est, amati præsentia semper frui, nec ab eo umquam disiungi velle: amor enim amati absentiam non fert. Redemptor ergo noster ex hoc mundo ad Patrē abiturus, ita abire voluit, ut tamen totus non abiret; ita discedere, ut simul inter nos maneret. Nam ut priùs cœlo descendit, nec cœlum deseruit, sic modò de terra ascendit, nec tamen terram deserit: atque ut exivit à Patre, eum non relinquendo, ita jam à filiis abit, nec eos relinquit. *Exivi à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Habet hoc præterea verus amor, quòd in amati memoria jugiter velit vivere, utque amatus semper ipsius recordetur. Atque hac de causa amici invicem amantes, à se mutuo digressuri, reciprocum aliquod mnemosynon & munusculum, ad hanc memoriam semper renovandam & excitandam, elargiri solent. Vt ergo semper illius recordemur, sanctissimum hoc corporis sui Sacramentum, in quo ipse verè præsens adest, in sui memoriam & monumentum reliquit; nec inter se & nos inferius ac minus voluit exstare pignus, ad hanc

Ioan. 13. 1. Item ex eo quod in fine.

vitæ Christi institutū fuit in mnemosynō amantissimum, & perpetuum.

Ioan. 16. 28.

Exod. 16. 15.

5. Communionis mira ex figuris suis elucent,

hanc memoriam excitandam, quam ſemetipſum. Vndè cùm jam divinũ hoc ſacramentum inſtituiſſet, addidit: *Hoc facite in meam commemorationem*, mementote, inquam, quantopere vos dilexerim, & affectus, quo vos ſum proſecutus, & quantum veſtri cauſa paſſus ſim.

Luc. 12. 19. 1. Cor. 11. 24.

Item ex eo quod Dei præſentia ſenſibilis nobis per eam exhibetur.

6. Supereminentiam populi Iſraëlitici præ aliis nationibus admiratus Moyſes, ait: *Neque est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes ſibi ſicut Deus noſter adeſt, cunctis obſecrationibus noſtris.* Salomon quoque templo jam ædificato, ſtuporis plenus in hæc verba prorupit: *Ergone putandum eſt quod vere Deus habitet ſuper terram? ſi enim cœlum & cœli cœlorum te capere non poſſunt, quanto magis domus hæc quam ædificavi?* quanto potiori jure id nos jam dicere fas eſt, utpote qui non umbram & figuram, ſed ipſum verè Deum penes nos hoc in Sacramento habemus? *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem ſæculi.* Incredibilis certè gratia, magnæque conſolationis argumentum eſt, quòd Redemptor noſter apud nos, ad peregrinationis noſtræ tædia allevianda, manere velit. Quòd ſi amici cuiuſpiam præſentia & conſortium noſtris in afflictionibus, adverſis & tribulationibus ſolatio & delinimento nobis eſt, quo non erit Ieſum Chriſtum apud & inter nos habere, ac videre quod Deus portas domus noſtræ ſubeat, per vicos & plateas noſtras ambulet, geſtari, ferri deponi ſe ſinat, in templis noſtris ſedem figat, ibique eum ſepè viſitare, ad eum nulla non diei noctiſque hora recurrere, illic coram cum ipſo de rebus noſtris tractare liceat, noſtras illi adverſitates exponendo, tentationes aperiendo, atque in omnibus neceſſitatibus opem & auxilium illius efflagitando: firma cum fiducia, fore, ut qui adeò nos dilexit, ut nobis tam vicinus eſſe voluerit, procul à nobis non ſit, ad opportuna ſubſidia danda futurus. Vnde ipſemet ait: *Ponam tabernaculum meum in medio veſtri ambulabo inter vos, & ero Deus veſter*; ibo quocumque me deferre voletis, per plateas & vicos veſtros incedam, voſque honorabo. Quis, obſecro, adeò futurus durus & ferreus, qui Deum tam familiarem & velut domeſticum videns, eius amore non liqueſcat & inflammetur?

3. Reg. 8. 27.

Matt. 28 20.

Levit. 26. 11.

Ex eo quod etiã à nobis manducandus exhibetur per hoc ſacrã. Deus.

7. Neq; verò ſatis Domino fuit, in templis & domibus noſtris habitare, ſed & à nobis intra viſcera haberi, corpori & cordi noſtro includi, noſque ſanctiſſimi huius ſacramenti templum, calicem, depoſitorium, tabernaculum, & ſacrarium fieri voluit: *Inter ubera mea commorabitur.* Non datur hic nobis dumtaxat oſculandus uti paſtoribus Bethlehemiticis & Magis datus fuit, ſed & intima intra præcordia recipiendus. O amorem ineffabilem! ô liberalitatem hactenus inauditam! quòd ego omnipotentem & infinitum Deum, ipſum Chriſtum Ieſum, verum Deum & hominem, in me, & intra præcordia recipiam: & quem ſacratiſsimæ Angelorum Regina Maria concepit & novem ipſis menſibus utero & intra ſua viſcera geſtavit, illum ipſi intra noſtra

Cant. 1. 12.

nostra suscipiamus. Si Sancti Joannis Baptista mater Elisabetha, Beata Virgine matre tua, intra cujus viscera tunc gestabaris Domine, tectum ipsius subintrante, obstupescens & Spiritu S. plena exclamarit: *Unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?* (Luc. 1. 43) quid obsecro ego dicturus sum, te filium Dei vivi, non per domus meæ materialis, sed corporis & animæ januas, ad me subingredientem & divertentem videns? quanto potiori jure exclamem. *Unde hoc mihi?* mihi, inquam, qui tamdiu cacodæmonum fui receptaculum? mihi, qui toties te offendi: mihi tam rebelli & ingrato? *unde hoc mihi?* nisi à misericordiæ tuæ magnitudine, nisi quia es qui es, tam benignus, tam hominum amans? *unde?* nisi ex infinito amore tuo?

8. Adjungunt & considerant hoc loco SS. Patres, nec sine ratione, isthoc beneficium solis mundo corde & innocentibus Dominus concessisset, nihilominùs ipsum inæstimabile donum futurũ: at, quid dicemus, quòd dum se solis innoxiis communicare vult, necessariò per tot improborum & indignorum ministrorum manus transire & administrari cogatur, unde, sicut olim se à scelestis illis carnificibus & lictoribus amore nostri in crucem agi passus est, sic hodie necessariorum & sceleratorum sacerdotum manibus tangi se & contrectari sinit, atque in impurissima ac fœtida plurimorum flagitiosorum peccatorumque ora & corpora ingreditur, ut amicos suos visitet ac consoletur. Adhæc omnia sponte se offert Deus, vultq; iterum quin & sæpius jam divendi, illudi, crucifigi, & inter latrones suspendi, perinde atq; Apostolus eos qui graviter peccant, denuo (quantum est ex parte sua) Jesum Dominum suum asserit in crucem agere. *Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei.* (Hebr. 6.) Quod hodie pius ille Dominus perpeti non dedignatur, quò se tibi, & electis communicet. Considera itaque & perpende, an non amplum ei nos gratos exhibendi, & sedulo ei serviendi argumentum habeamus. Ecclesia certè in solenni cantico suo admiratur, quòd magnus ille Dominus puellæ uterum subingredi sit dignatus: *Tu ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis uterum.* (Cantic. S. Ambr. & August.) Sed puellæ illius purissimæ puritatem cum nostra conferamus, ac videbimus, quanto magis admirandum sit, quod fœtidum peccatoris alicujus corpus ingredi, & intra viscera ejusdem recipi, non exhorrescat.

(Ex eo quod etiam ad malos se demittit Deus in hoc Sacram.)

Caput II.

De excellentiis & mirabilibus quæ fides orthodoxa circa divinissimum hoc Sacramentum credere jubet.

1. Catholica nos fides docet, plurima per verba consecrationis hoc in mysterio mirabilia produci. *Primum* est, firmiter credendum esse, simul ac sacerdos verba consecrationis super hostiam protulit, verum ac reale Jesu Christi corpus præsens illic sisti; idem inquam, quod intemerato sacratissimæ Virginis utero prodiit; idem, quod in crucem actum est,

(Circa hoc Sacramentũ credendum est præsentia corporea Christi.)

est, & de sepulchro redivivum surrexit ; idem denique quód hodie ad dextram Patris sedet : adhæc simul atque verba consecrationis super vinum calicis protulit, verum & pretiosum ejus sanguinem in altari adesse: &, tametsi unâ eademque horâ per universam Ecclesiam, centum Missarum millia celebrentur, eo ipso tamen temporis momento, quo consecrationis verba sacrificans absolvit, mirabilem hanc conversionem & transsubstantiationem in omnibus illis Missis à Deo produci, & divinum Redemptoris nostri corpus & sanguinem verè ac realiter præsto esse, & eum qui hic per sumptionem consumitur, illic per consecrationem de novo sisti, atque hunc in omnibus locis unum & eumdem esse.

2. Circa hoc Sacram. credendum est absentia panis & vini à specie corundẽ.

2. *Secundum* mirabile hîc nobis credendum, est verbis consecrationis jam prolatis, panem & vinum non ampliùs illic existere, tametsi oculi, tactus, gustus, & olefactus secùs sentiant: contrarium autem nos docet fides. Isaac Patriarcha Jacobo filio, dum ad paternam benedictionem & primogenitura jus obtinendum pelliculis hædorum manus & collinuda vestiisset, quo fratri suo Esau hispido similis videretur, dixit: *Vox quidem vox Iacob est, sed manus, manus sunt Esau.* Pari modo, quidquid hic manibus palpamus, & sensibus tangimus, nonnisi panis & vinum videntur esse ; at vox (id est fides, *auditus autem per verbum fidei*) aliud credendum docet: *Præstet fides supplementum sensuum defectui.* Atque id ipsum etiam in manna, quod sacramenti hujus umbra & figura dumtaxat fuit, reperiebatur: ipsum quippè omnium escarum saporem referebat; perdicem sapiebat, perdix tamen non erat; sapiebat trutam, nec truta erat. Consimiliter hoc manna sapit panem, minimé tamen est panis; sapit vinum, nec vinum est. In reliquis Sacramentis, materia una in aliam non mutatur: hinc in baptismo aqua manet aqua, in confirmatione & extrema unctione oleum manet oleum uti prius: at in hoc, materia mutatur, adeò ut jam panis ampliùs aut vinum non sit, quod panis & vinum videtur esse; sed panis vinique substantia in verum Salvatoris Christi corpus & sanguinem convertatur. *Nam qui potuit* (verba S. Ambrosii sunt) *ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt in id mutare quod non erant?* Quòd si panis, quo quotidiè vescimur, vi naturalis caloris, brevissimo spatio, in nostram convertitur carnem; multò certè proclivius omnipotenti Dei virtuti erit, mirabilem hanc transsubstantiationem momento peragere, ut verò uno miraculo ad alterum credendum inducamur; plus certè, Deum factum esse hominem, Deum tamen esse non desiisse; quàm panem, desinentem esse panis, in carnem converti. Eadem ergo virtute, qua olim Dei filius factus est homo, jam panis & vinum in Christi carnem & sanguinem transeunt. *Quia non est impossibile apud Deum omne verbum*, ut Deiparæ Gabriel nuntius ait.

Gen. 27. 22.

Rô. 10. 17.

Conversio non modo naturalis.

L. de his qui initiantur myster. c. 9.

Sess. 13. SS. Eucharist. c.

Luc. 1. 37.

3. In hoc sacram. credendum est

4. In hoc Sacr. credendum Accide

3. *Tertiò*, huic conversioni id particulare & proprium est, quod reliquarum physicarum conversionem mote

Conversio non modo naturalis.

more non peragatur, in quibus, unâ re in aliam transeunte, semper aliquid de rei mutatæ substantia remanet: eadem enim manente materiâ, solùm mutatur forma, uti tum terrra in argentum, aqua in crystallum convertitur: aut cum è modica argilla vel cera modò equus, modò leo efformatur. Verùm in admirabili hac conversione, verbis consecrationis jam prolatis in hostia nihil de panis substantia remanet, neque in calice de substantia vini, nihil quoque de forma, nihil de materia, sed tota panis vinique substantia in Christi corpus & sanguinem transit. Vndè valdè convenienter & propriè (ut Concilium Tridentinum ait) Ecclesia ad hanc totalem conversionem significandam, aptissimo vocabulo eam Transsubstantiationem, quasi dicas substantiæ unius in alteram transitum & mutationem appellat. Quemadmodum enim physica generatio, quòd in ea forma mutetur, propriè potest dici transformatio, pari modo; quia in hoc Sacramento tota panis vinique substantia in totam corporis & sanguinis Christi substantiam convertitur, jure convenienterque dicitur Transsubstantiatio. Nihil ut hoc in Sacramento de panis vinique substantia ultrà remaneat, sed tantummodo color, odor, sapor, reliquaque panis & vini accidentia, quæ species sacramentales vulgo dicuntur, supersint.

Sess. 13. de SS. Euchari c. 4

4. In hoc Sacr. credendum, Accidentia hic sine subiecto esse.

4. Et est hoc aliud miraculum, quod hoc in Sacramento elucet, quod inibi accidentia illa sint, nullo tamen in subjecto vel substantia: cum tamen accidentium proprium sit Philosophorum omnium doctrina, substantiæ inhærere & connecti: certum quippe est, albedinem v.g. per se non posse subsistere, uti nec saporem & odorem. At hic, præter omnem naturæ cursum & ordinem, eadem panis ac vini accidentia manent, supernaturaliter per se, quasi in aëre, substantia: quia panis vinique substantia, uti diximus, illic jam esse desiit: atque in, & cum, corpore & sanguine Christi, quod ejus in locum succedit, illa accidentia esse nequeunt, unde illa ibi Deus perpetuo miraclo, per se sustentat.

5. In hoc Sacram. credendum est Christũ hic esse totum uti in cœlo est.

5. Adhæc, credamus oportet, in sanctissimo hoc Sacramento, sub illis panis speciebus & accidentibus, non solum Christi corpus, sed & totum Christum, verum Deum & hominem, eo modo quo in cœlis est, contineri proinde in hostia unà cum corpore, adesse quoque Christi sanguinem, sanctissimam ejus animam, & divinitatem: pari modo in calice sub vini speciebus non solùm Christi sanguinem, sed & corpus, animam, divinitatem denique ejusdem comprehendi. Verum notant hic Theologi non uno hæc omnia modo & ratione ibi adesse: sed quædam vi & efficacia verborum consecrationis, alia per concomitantiam (ut vocant) in hoc Sacramento inveniri. Illud vi & efficacia verborum ibi adesse dicitur, quod ipsa verborum consecrationis forma significat & exprimit: proinde in hostia aliud non est quàm Christi cor-

pus, nec in calice quam sanguis: quia id solùm verba producunt & efficiunt, quod significant; atqui hoc solùm significant, *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.* Illa verò per concomitantiam & consecutionem adesse dicuntur, quæ necessariò consequuntur id quod per verba significatur & exprimitur. Iam, quia Christi corpus solum non est, sed simul sanguinem, & animam, & divinitatem habet, hinc hæc omnia quoque in hostia reperiuntur. quia item sanguis jam solus non est, sed junctus corpori, animæ, divinitati, hinc & hæc omnia pariter in calice reperiuntur. quia, cum multa invicem & simul juncta & unita sunt, ubi eorum aliquod est, ibi & alterum sit, necesse est. Id quod hinc patebit. Tradunt Theologi, si Sanctus Petrus v.g. quivis alius Apostolus, triduo illo quo Christi corpus in sepulchro jacuit exanime, consecrasset, sub hostia animam ipsius futuram non fuisse, quia illo tempore corpori unita non erat: sed dumtaxat corpus exanime, quale in sepulchro jacebat, etsi divinitati unitam, eam enim numquam dimisit, fuisse consecraturos. Eodem modo, Christo in cœna ultima consecrante, aderat in Sacramento tunc ipse, verus Deus & homo, sed, uti tunc adhuc erat, passibilis & mortalis; at modo adest ibi vivus, gloriosus, redivivus, immortalis, & impassibilis.

2. Ex hoc quod panis & vini consecratio separatim fiat, cum tamen utrobique ponendus sit totus Christus.

6. Etsi autem & in hostia sanguis Christi, & in calice corpus eiusdem reperiatur, elegit tamen Dominus amore nostri ardentissimo unamquamque consecrationem separatim per se fieri, 1. ut hac ratione magis ad vivum & perfectiùs passio eiusdem, utpote in qua sanguis à corpore segregatus & seiunctus fuit, repræsentaretur. Vnde & in sanguinis consecratione eiusdem fit mentio, dum dicit sacerdos: *Qui pro vobis & pro multis effundetur.* 2. cùm Sacramentum hoc animabus nostris alendis sustentandisque sit institutum, ut esset perfectissimum hoc animarum convivium, voluit, ipsum non in cibo solùm, sed & potu (quòd his duobus plena corporis sustentatio & instrumentum contineatur) institui. 3. Vt quasi multoties sedaret, ac si una traditione sui pro una etiam vice non esset contentus, quæsitis quodammodo honestis variisque prætextibus aliter & aliter se impendendi. Hoc tamen posterius momentum, magis ad sacerdotes, quando sacrificant ipsimet spectare dignoscatur ex Christi Domini exemplo, quoniam tam Laici, quam sacerdotes cum non sacrificant una specie panis contenti esse debent. Hoc tamen in Laicorum & eorum qui Sacerdotes non sunt, solamen dico 4. quòd tametsi non sub utraque specie, (uti Sacerdotes sacrificantes) sed sub sola panis, multis gravibusque de causis, ob quas iis Ecclesia usum calicis abdicavit, communicent; tamen, dum in hostia corpus Christi recipiunt, simul eius omnia æque ac sacrificantes, nempe sanguinem, animam & divinitatem sumant, quòd ipse totus & perfectus sub utraque specie, uti dictum est, contineatur. Quamobrem com-

communis Theologorum ac SS. Patrum doctrina est, non minorem Laicos sub una, quam Sacerdotes sub utraque, communicantes, dummodo æquali animi dispositione ad sacram synaxin accedant, gratiam recipere. Vnde S. Hilarius docet, quemadmodum in manna, quod diviniſſimi huius Sacramenti figura fuit, nec qui plus collegerat, habuit ampliùs; nec qui minùs paraverat, propterea minùs invenit: ita nec qui hoc Eucharistiæ Sacramentum sub traque specie sumit, ideo plus aliis accipit; nec qui sub altera panis tantùm sumit minus. In sumptione rei, quæ sumitur, uterque æqualis est.

Exod. 16.

In eo quod Christus totꝰ quoque est in qualibet hostiæ parte.

7. Est præterea & aliud in altissimo hoc Sacramento mirandum; nimirum, quod Christus non solùm in tota hostia, totoque calice, totus sit, sed & in qualibet hostiæ particula, & singulis calicis sacrati guttulis, æque totus & integer, atque in cœlo, contineatur, quantumlibet particula illa minuta sit. Sicut ex ipso Evangelii contextu eruere est: neque enim Christus singulis, quas Apostolis singillatim porrexit, buccellas separatim consecravit. Sed unica vice tantam panis partem, ut illa divisa postea in particulas, ad omnibus aliquid inde impertiendum suffecerit. Ideò expressè de calice ait Evangelista, Christum discipulis illum porrigendo, dixisse: *Accipite & dividite inter vos.* Neque tunc solum cùm hostia aut calix dividitur, verum etiam ante divisionem, totum Christi corpus & in tota hostia, & in singulis eius partibus, continetur; ipse item totus in toto calice, & in unaquaque eiusdem guttula.

Luc. 22. 17.

Similibꝰ declaratur hæc mysterii veritas.

8. Quædam naturalibus in rebus exempla & similitudines sunt, quæ ad hoc quodam modo intelligendum aliquid suppeditare lucis nobis possunt. 1. Anima nostra tam est tota in toto corpore, quam in quolibet eius membro. 2. vox item mea, dum loquor (est hæc similitudo Sancti Augustini) tam est integra in tuis auribus, quam in omnium audientium. 3. Cape etiam speculum totum & integrum vultum in eo conspicies, quamvis ipsum multo te minus sit: imò, si & ipsum in multas particulas ac frustilla dividas, æquè illa tibi teipsum exhibebunt, ac cum te in integro speculo conspicabaris: Hæc aliaque id genus è Doctoribus sanctisq; Patribus exempla & similitudines ad hæc mysteria nobis declaranda adferuntur; sed, etsi nullum sit, quod rem plenè referat aut adæquet; aliquatenus tamen eam adumbrant, nostroque intellectui aliquam lucem subministrant.

Divisis specieb⁹ non dividitur Christus in se ipso, nec patitur, quod species patiuntur.

9. Denique latet hic & aliud non minus prodigiosum & æquè mirabile; nempè, si dividatur hostia vel calix, sola panis viniq; accidentia dividi, non Christum, sed eum in quolibet frustillo, quantumvis exiguo, integrum manere. adhæc, cum hostia à sumẽte commolitur dentibus, Christum non commoli, nec frangi. Meritò proinde exclamat S. Hieronymus: *O humanorum illusio sensuum! franguntur illa quæ humanis sensibus in te videntur accidentia: & tamen non corrumperis, nec frangeris: te dentes vi-*

tom. 1. p. 358. apud Euse.

dentur maſticare, velut materialem panem, & tamen numquam maſticaris: perfectus & integer, ſub qualibet, quantumcumque minima, contineris particula, & integra nobis reciperis, unde & canit Eccleſia:

in hym. D. Thom. Lauda Sion.

> *A ſumente non conciſus,*
> *Non confractus, non diviſus,*
> *Integer accipitur.*
> *Nulla rei fit ſciſſura,*
> *Signi tantum ſit fractura,*
> *Qua nec ſtatus, nec ſtatura*
> *Signati minuitur.*

Hinc aliud mirabile elucet.

10. Porrò hoc in convivio ſecus nobis uſu venit, atque in conviviis mundi huius, in quibus cibus & eſcæ appoſitæ conciduntur, non patinæ aut alia menſæ vaſa; at in divino hoc epulo ſecus ſit, dividuntur quippe & conciduntur lances & catini (id eſt accidentia Sacramenti) cibus verò & ſubſtantia integra manent. In aliis quoque menſis veſcimur eſcis appoſitis, non vaſis, non lancibus: at in divina & ſupercœleſti hæc menſa ſolùm manducamus cibum & ferculum, qui adeò tamen in ſe ſapidus & nectareus eſt, ut cum illo & lancem abſumamus.

Quomodo Dei mirabilia in S. Sacramento meditanda.

11. Hæc fidei dogmata & aſſerta nobis in præſens ſufficiant, ut illa credendo nos exerceamus & debito modo veneremur; non ut curioſius æquo ſcrutemur, illi S. Auguſt. fundamento ſemper innixi: *Demus aliquid Deum poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe.* Plus ſcil. ille poteſt potentia ſua, quàm nos intellectu poſſimus comprehendere. Nam, uti SS. Patres obſervant, Dei opera magna & eximia non forent, ſi ad ea intellectus & ingenium humanum ſuo poſſet acumine pertingere. In hoc ergo fidei meritum conſiſtit, ut credamus quæ minimè videmus.

Tract. 12. in Ioannem.

Speciales difficultates in hoc Sacramento, præter alia credenda.

12. Habent autem ſanctiſſimi huius Sacramenti myſteria iſtud præ reliquis ſingulare, quod, cùm in his credamus quæ non videmus (quod certè cumprimis laudandum, quia *beati qui non viderunt, & crediderunt*) in illis tamen non ſolum quod non videmus, verum etiam contrarium ejus quod nobis videre videmur, credere firmiter debeamus. Nam ſi quidem ſenſus noſtri conſulamus, nonniſi panem & vinum illic adeſſe putabimus, interim tamen credamus oportet, panem & vinum non adeſſe. fides ergo quam circa hoc myſterium exercemus, ſimilis eſt fidei Abrahami, quam uſque adeo extollit & commendat Apoſtolus: *qui contra ſpem in ſpem credidit*: naturalem ſcil. diffidentiam, quam videbant oculi, ſpes ſupernaturalis ſuperavit. Credidit enim & ſperavit, gignendum ſibi filium, ſecus ac ſpes naturalis credendum ſuadebat ac ei promittebat, etenim ſecundum naturæ ordinẽ (quod ipſe decrepitus, uxor vera effœta eſſent) filius naſci non poterat. Poſtea quoque, cum hunc ipſum filium, præcipiente Deo, immolare vellet, credidit nihilo ſecius Dei promiſſionẽ, qua in illo inſtar arenæ maris multiplicandum ſemen ipſius addixerat, adimplendam, *pleniſſimè ſciens quia quæcumque promiſit Deus, potens eſt & facere.* Sic in diviniſſimo hoc Sacramento credimus contra quam omnes

Ioan. 20. 29.

Rom. 4. 18.

omnes sensus nostri naturaliter credendum monent: proinde singulare fides hæc meritũ includit. Dixit olim populo Israëlitico Deus: *Mane saturabimini panibus, & vespere comedetis carnes.* Manè, præsens sæculũ & vita est, in qua se nobis Deus sub specie panis & vini exhibet: at ubi vespera, per quã gloria cœlestis adumbratur, advenerit, carnem Christi videbimus, clareque intelligemus quomodo & quo pacto illic adsit, tum velamen abrumpetur, tunc reductis cortinis omnia illa clarissimè facie ad faciem, & prout in se sunt, conspiciemus.

13. Possent huc usque asserta, plurimis iisque testatissimis miraculis confirmari, quibus plenæ sunt sanctorum & vitæ & scripta: verùm uno in præsens contenti erimus è Chronicis Hieronymiani ordinis petito: Religiosum quemdam Frat. Petrum de Cavannuelas dictum (qui postea Guadalupensis cœnobii Priorem egit) variè circa fidem, ac præsertim circa venerab. Altaris Sacramentum tentationes infestabant, suggerente ei importuna cogitatione, ecquinam fieri posset ut sanguis Christi in hostia consecrata sit? voluit tandem Dominus ab hac tentatione eum mirabili quodam modo liberare. Cùm enim die quodam sabbathi sacrum de Beata Virgine diceret, & consecratione peracta ad illam Canonis partem pervenisset, quæ incipit; *Supplices te rogamus*; ecce repente desursum delapsa nubes totum altare, cui sacris operatus adstabat, ita obtexit, ut impediente caligine, nec hostiam nec calicem videret. Quo ille casu perculsus & perterritus, Dominum instanter rogat, ut præsens periculum à se averteret, & quam ob causam id portentum accidisset aperire dignaretur. Ergò dum lacrymis timore plenus hæc orat; ecce, nube paulatim se subducente, altare inclarescit. Ille per altare circumspiciens, hostiam videt sublectam, & calicem detectum & vacuum, quod sanguis quoque ex eo submotus esset. Hoc viso, tantus eum timor invasit, ut propè exanimis vix pedibus consisteret. Sibi verò redditus, cœpit magno cum animi dolore, & fletu madens, denuo Dominum sanctissimamq; eius matrem (in cuius memoriam sacris operabatur) rogare, ut, siquæ in ipso culpa foret, ignoscerent, & imminens periculum amolirentur. Hoc in angore videt hostiam sublimem patenæ splendidissimæ superpositam, ori ipsius calicis imminere, ex eaque statim sanguinis guttas in calicem exstillare, tanta quidem nec maiore quantitate, quam priùs in calice fuerant. Hoc stillicidio cessante, calici suum rursus impositum operculum est, & hostia priori loco in corporali collocata. Hæc inter Sacerdos dum trepidat, quid ageret ignarus, ecce cœlitus ad eum delapsa vox est: *Perfice quæ cœpisti, &, quod vidisti, nemini manifestes:* Acolythus aut minister, qui sacrificanti inserviebat, nihil horum vidit, nec vocem audivit; sed sacerdotem lachrymantem, & longiorem solito in sacro peragendo moram notavit. Hæc autem omnia, post supradicti Petri mortem, in schedula ipsius manu conscripta reperta sunt, addita

Exod. 16.

Speciales difficultates in hoc Sacramento, præter alia credenda. Ioan. 20. 29.

Miracula Euchari. stia plurima. ... Speciali ... Hierol. ... Ludovici Bzovii ...

addita simul confessione generali, in signum quòd hæc evulgare sibi vetitum esset.

Caput III.

De præparatione, quam sanctißimi huius Sacramenti excellentia & dignitas requirit.

Apparet dignitas S sacramenti Eucharistiæ ex etiam nominibus.

1. Venerabile.

1. IN hoc, Venerabile Altaris Sacramentum præ ceteris dignius & eminentius est, quod Iesus Christus verus Deus & homo realiter vereque in ipso præsens adsit: unde & reliquorum Sacramentorum primarium & præstantissimum est & Venerabile seu super venerandum dici solet, maximasque in animabus gratias & effectus præ illis operatur: in aliis enim non aliam participamus gratiam, quàm specialem & particularem, quæ singulis eorum est annexa: at in hoc ipsum gratiæ omnis fontem recipimus. In aliis bibimus, velut de rivulo è fonte procurrente: hic verò ipsummet fontem, quia Christum ipsum, verum Deum & hominem hic sumimus: unde & *Eucharistia* (quasi dicas, bona gratia) vulgò solet nuncupari: quod omne bonũ, adeoque gratiæ ipsius principium, hic præstò sit, & ipse Dei filius, qui verè gratia & donum humano generi datum, ob incarnationis mysteriũ, vocatur, nobis communicetur. Eadem quoque de causa antonomasticè *communio* vocatur, juxta illud Sancti Lucæ de primis fidelibus testimonium: *Erant perseverantes in communicatione fractionis panis.* Hoc quippè Sacramentum sumentes, summi maximique boni, quod Deus est, participes reddimur, & per ipsum, omnium pariter spiritualium bonorũ & gratiarum. Etenim nobis carnem & sanguinem suum dando, dat simul & communicat thesauros omnes, quos per sacram hanc carnem & sanguinem nobis comparavit. Quamquam idcirco quoque communio dicatur, quòd fideles inter se uniat & coniungat: nam omnes unum eumdemque cibum manducantes, & uni assidentes mensæ, invicem communicamus, jungimur, & unum quid simus, saltem in fide ac religione, & unum idemque efficimur corpus; secundum illud Apostoli: *Vnus panis, unum corpus multi sumimus, omnes qui de uno pane participamus.* Atque idcirco S. Augustinus Sacramentum hoc rectè a Christo sub specie panis ac vini ait institutum; ad innuendũ, quod, sicuti panis è multis tritici granis, vinum è multis botriacinis conficitur, ita multi fideles de Sacramento communicantes & participantes, unum corpus mysticum conficiant. S. Ioannes verò Damascenus sanctissimum hoc Sacramentum ignito illi comparat calculo, quo de altari sublato unus de Seraphim Isaiæ labia mundavit, omnesque in eo imperfectiones excoxit. Pari modo vult, à cælesti hoc cibo, quod divinitati, quæ velut *ignis consumens est*, unitus sit, omnes imperfectiones & vitia nostra consumi & expurgari, omnibusque donis ac bonis spiritualibus nos cumulari. Hoc denique, est epulum illud Evangelicum, in quo invitatis dici

2. Eucharistia.

3. Communio.

Actio 2.42

Matt. 22. 4.

Ps. 67. 21.

1. Cor. 10. 17.

S. August.

4. Sanctissimũ Sacramẽtum Altaris.

Isaia. 6.6

Deut. 4. 24.

Heb. 12. 19.

5. Mensa Domini.

dici mandat Deus, *Ecce prandium meum paravi: tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata.* Dicendo autem *omnia parata* esse, innuit in sacro hoc convivio habere nos quidquid desiderari à quoquam posset. Unde & de hoc ipso cibo Regius Vates cecinit: *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* Non indicat expressè, ecquid nobis pararit, quòd tam eximium sit bonum quod hoc Sacramento & epulo continetur, nullis ut verbis exprimi pro dignitate queat. Unde non sine ratione exclamat Ecclesia: *O sacrum convivium, in quo Christus sumitur.* Convivii autem nomen nonnisi lætitiam & oblectationem, nec non abundantiam & saturitatem, quæ in eo reperitur, insinuat. *O sacrum convivium in quo recolitur memoria passionis ejus,* nec nō excessui amoris illius, quo nos Deus prosecutus est, dum nostri causa seipsum tradidit morti, morti autem crucis! *O sacrum convivium in quo mens impletur* & satiatur *gratia!* *O sacrum convivium in quo futuræ gloriæ nobis pignus datur!* non qualequale pignus, nec distinctum à munere quod postea nobis dandum est, uti vulgò pignora solent: sed is ipse Deus, qui nostrum pòst futurus est præmium est merces, hoc in convivio nobis in pignus datur, in eo tecte & nonnisi lancibus coopertis fercula inferuntur, at in cœlesti illa cœna gloriæ palam & aperta omnia ministrabuntur. Deniq; etiam dicitur Cœna Domini à tempore, quo hoc S. Sacramentum primitus fuit institutum & traditum discipulis ut sumerent & postea ad exemplum datum celebrarent, ut hoc nomine audito meminerimus, hunc demum cibum fore nobis ultimum & æternum.

Matt. 22. 4.

Ps. 67. 21.

2. Tanti porro Sacramenti excellentia, & infinita Domini quem recepturi sumus, majestas requirit, ut, quam adferre nos oportet, præparatio & dispositio etiam singularis sit. David Rex, de templo à se Jerosolymis Domino constituendo agens dicebat: *Opus namque grande est: neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo.* Cumq; infinitam auri, argenti, vasorum, marmorū, gemmarumq; vim coacervasset, nihil ei hæc omnia videbantur; & tamē nonnisi ad templi fabricam, cui inferenda erat arca, qua manna, sacramenti hujus figura, continebatur. Quo ergo modo præparetur templum & habitatio oportet, in quod Deus ipse personaliter admittendus est? quæ præparatio ei deberet esse major, quo figuratū dignius est figura, quo vivum picto & imagine præstantius.

Cœna Domini præparatio requiritur singularis ad hoc Sacramentum singulare.

1. Paral. 29. 1.

3. Ut autem taceam, magnam tanti Domini majestati admittendæ præparationem deberi, nostra certè permagni interest, singulari quodammodo præparatos ad sanctissimum hoc Sacramentum recipiendum accedere: qualis enim nostra erit dispositio & præparatio, talis erit & gratia quam recipiemus: perinde ac qui aquam è fonte haurit, non plus hauriet quàm vas quo haurire vult continebit.

Etiam nostra interest magnam præparationem institui.

4. Ut verò quod volo dicere, meliùs intelligatur; docent hoc loco Theologi, hominem non solùm majorem pro majore actuum & bono-

Quia gratia quā hoc

in Sacramento recipiemus, dispositioni respondet.

Sess.7.c.8

rum operum, quibus ad Sacramentum hoc sumendum accedit meritò, intensione & dignitate, & *ex opere operantis* (uti Concilii Tridentini Patres loquuntur) gratiam recipere; sed & ipsam Sacramentalem, quam è privilegio & institutione divina, Sacramentum hoc à se ipso dat, gratiam, (*ex opere operato* quam vocant) tanto ampliorem accedentibus collatum iri, quanto major & intensior erit eorum dispositio. Sic enim opera gratię operatur Deus, uti naturæ solet, atqui in naturalibus videmus, omnia operari secundum dispositionem & capacitatem quam in subjecto reperiunt. Sic ignis quamprimum agit & accenditur in signo arido, at in humido tardiùs ergo pro ariditatis diversitate & gradibus erit & ignis in ligno operatio. Sic ergo res & in hoc Sacramento se habet. Quare, uti dixi, quamplurimum nostra refert, quam optimè dispositos ad ejus sumptionem accedere.

Caput IV.

De munditie ac puritate, non solum à mortalibus, sed & venialibus peccatis & imperfectionibus, quam habere nos oportet ad sacram communionem accedentes.

Ante, in & post sumptionem Sacramenti quædam prestanda sunt.

1. TRia hoc in capite & sequentibus novem potissimum tractabimus, 1. de dispositione & Præparatione, quæ ad dignè augustissimum hoc Sacramentum recipiendum requiritur, 2. quid post ejus sumptionem faciendum sit, quæ agendæ gratiæ, 3. quē è sacra communione fructum & commodum nos elicere oporteat.

Ante sumptionem præstanda, necessario.

2. Ad primum ergo quod spectat non solum in genere longè major ad hoc Sacramentum requiritur dispositio & præparatio, quàm ad reliqua: quo enim illa excellentiora digniora que sunt, eo actiorem quoque inter se collata præparationem & majorem munditiem in sui recipientibus exigunt. Vnde quædam sunt sacramenta, ad quæ digne suscipienda verus de peccatis commissis dolor & contritio sufficit, uti de Baptismo constat, nec per se necessaria est confessio. At hoc divinum Sacramentum tantæ est dignitatis & præstantię, eo quod Deum ipsum in se contineat, ut, præter ea, quæ in commune omnia Sacramenta requirunt, hoc alia Sacramenta ad sui dispositionem prærequirat, ipsum videlicet baptisma semel & Sacramentum Confessionis, toties quoties aliquod mortale crimen recepturus commiserit. Adeò ut minimè sit satis cum dolore & contritione commissorum ad ipsum accedere, sed etiam illorum confessionem præcedere oporteat, è statuto & decreto Concilii Tridentini, innixi verbis illis Apostoli: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Quæ verba sacrosancta Synodus, cui credere & obtemperare debemus, non nisi de probatione, examine, & judicio cōfessionis Sacramentalis intelligēda censet. Quæ quidē dispositio ac præparatio, sub peccati mortalis pœna Christianis omnibus est necessaria, eaque ad

Confessio communioni præmittenda.

Sess.13.c.7.

1. Cor.11.28.

gratiam

gratiam in hoc Sacramento recipiendam sufficit præparatio.

Ante eã demprę-standa congruenter.

3. Verùm, tametsi ob venialia, aliaque vitia & imperfectiones minutas, quæ ad peccati mortalis gravitatem nõ ascendunt, Sacramenti hujus fructum homo prorsus nõ deperdat, sed semper gratiæ augmentum, è Theologorum sententia, recipiat; non tamen copiosum & abundantem illum gratiarum, virtutum, & aliorum effectuum mirabilium fructum, quem in animabus mundioribus & purioribus solet operari, participat. Licet enim venialia charitatem non planè tollant, ejus tamen fervorem imminuunt, devotionemque, quæ magis propria dispositio est ad hoc Sacramentum requisita, valdè restringunt. Proinde, si copiosum illum recipere fructum velimus, quem qui prout oportet ad sacras has epulas accedunt, recipere solent, mundi accedamus oportet non à mortalibus peccatis tantũ, sed & à venialibus. Quam nos dispositionem Redemptor ipse docuit tum, cum discipulorum suorum pedes lavit priùs quam suum ipsis corpus impertiret: tacitè nos, inquit Sanctus Bernardus, illam docens munditiem & puritatem, qua ad sanctissimum hoc Sacramentum accedendum est, ut mundi nimirum non à mortiferis solum, sed à venialibus simus, quæ per pulverem pedibus adhærentem commodè repræsentari solent.

Ioã. 13. 5.

Serm. de cœna Domini.

4. Addit præterea S. Dionysius Areopagita, velle hoc humilitatis exemplo Dominum, non solum puri simus à venialibus sed & à quibusvis vitiis, defectibus, & imperfectionibus, imò, *extremam* à nobis *munditiam exigere*. Ad hoc probandum adfert piam illam jam tum in Ecclesia usurpatam consuetudinem, qua Sacerdos celebraturus manus abluere solet; neque verò illas totas, sed tantũ extremos digitos ad innuendum videlicet, non solum à gravibus peccatis, sed etiam à levioribus, à defectibus quoque & imperfectionibus, puros ad sacram synaxin accedere debere. Quod si etiam Nabuchodonosor gentilis, nonnisi mundos & puros pueros, *in quibus nulla esset macula & decoros forma*, deligi voluit, quibus de mensa sua regia & vino unde bibebat ipse, annona præberetur; quanto erit æquius, nos, quò ad regiam ac divinam hanc Eucharistiæ mensam admittamur, summa munditie ac puritate nitere? Si enim Angelorum sit panis, Angelicam planè puritatem in eo sumendo præferamus oportet.

c. 3. Eccl. hierar. D. Thom. 3. p. q. 83. art. 5. ad 1.

Summa munditia communicatur necessaria.

Dan. 14.

5. Cum Sacerdos quidam, (ut Petrus Cluniacensis Abbas commemorat) in Germaniæ partibus, qui priùs sanctam religiosamque vitam duxerat, pòst in peccatum carnis fœdè lapsus esset, & in spurco illo cœno adinstar suis, invalescente jam consuetudine, identidem volutaretur; ausus fuit ad altare Domini sacra celebraturus, sine prævia confessione, nec concepto emendationis proposito accedere. (Hæc enim gravis nonnullorum illusio est, ut, si post laudabilem aliquamdiu vitam in aliquod carnis probrum labantur metu bonæ existimationis, qua apud alios

Lib. 1. miracul. c. 2. Exempl. Sacerdos in mortali celebrans punitus.

Mos quorundam malè verecundorum.

alios pollent, amittendæ, ipsum sacerdoti in confessione aperire erubescant, nec communione sacra, (ex cæcante ipsos occulta superbia) abstineant) Hunc ergo Dominus adinstár benigni patris castigare volens, rem fieri permisit, quæ illi oculos aperiret. Cùm enim sacram hostiam manibus jam teneret, illam pro more sumpturus, (jam quippe in sacro ad Sacramenti perceptionem deventum erat) ipsa derepente evanuit, ut & sanguis Dominicus è calice. Vnde illa die communione sacra abstinere coactus est, non sine magna admiratione. Quod cum deinde etiam secundo accidisset. (certiùs enim scire volens, an id divinæ indignationis argumentum foret, bis adhuc sacra celebrare præsumpserat) tandem apertis oculis suorum âgnovit scelerum enormitatem & gravitatem, quamque sibi merito Deus indignaretur. Vnde corde contritus & oculis lacrymantibus, Episcopum adit, & re omni ex ordine narrata magna doloris significatione peccata sua ei est confessus, impositamque ab eo pro flagitiorum magnitudine pœnitentiam libens suscepit, jejuniis, vigiliis & verberibus, aliisque id genus austeritatibus identidem corpus suum castigans, nec sacra celebrare præsumens, usque dum ei Episcopus jam satis illum Deo pro commissis fecisse ratus, celebrandi copiam fecit. Ergo cùm primum post peractum jam pœnitentiam, sacris operaretur, & ea magno doloris sensu & multis cum lacrymis ad usque Sacramenti sumptionem prosecutus esset; ecce, novo & hactenus inaudito miraculo, tres illas hostias, quæ priùs illius ob indignitatem & sordes ex altari iteratis vicibus subductæ fuerant, ante se inexspectato conspexit, tantum quoq; in calice sanguinis reperit, quantum priùs defuerat. Quo evidenti prodigio indicare illi voluit Deus, peccata illius esse plenè condonata. Ob quam ille condonationem ingentibus Deo gratiis actis, & divinam misericordiam obstupescens, tres illas hostias magna cum animi exultatione sumpsit: nec exinde est ad priorem immunditiam reversus, sed in cœpta vita puritate perseveravit Hoc sibi prædictus Abbas ab Episcopo Claromontano, multis aliis præsentibus, narratum scribit, cui non absimile suis in Dialogis refert Cæsarius.

Lib. 1. dial. c. 5.

Caput V.

De alia magis particulari dispositione & præparatione, quam in huius Sacramenti sumptione adferre nos oportet.

1. Ut verò admirabiles & eximios, quos divinum hoc Sacramentum in se includit fructus, perfectè consequamur, docent SS. Patres & vitæ spiritualis informatores, alia magis particulari dispositione, actuali inquam devotione, ad sacram hanc mensam nobis accedendum esse. Vnde hoc in capite declarabimus, qualis hæc esse devotio debeat, & quo illam pacto nobis excitare possimus.

Actualis devotio est necessaria ad hoc SS. Sacramentum.

In quo ista devotio consistat.

2. Volunt ergo ad sanctissimam nos communionem accedere. 1. cum profunda quadam humilitate & reverentia; 2. summo cum amore & fiducia, 3. cum intenso panis huius cœlestis desiderio & spirituali fame. Ad hæc autem tria capita reliqua affectuum genera, quibus actualem excitare devotionem possumus tam ante sanctissimi huius sumptionem, quàm ipso sumptionis tempore, quin & post ipsam communionem possunt reduci.

Meditatione excitantur affectus.

3. Sed quomodo in nobis istos affectus sacros excitabimus, qui ex nobis sumus uti frigidi lapides? utiq; meditatione & attentione, secundum illud Regii Vatis. In meditatione mea exardescet ignis. Quoniam verò plurimas variis in libris considerationes, ad hanc rem utilissimas, easque prolixè deductas & diffusas invenire est; ideò nonnisi paucas, sed potiores, & magis usitatas, quæque plus nobis utilitatis allaturæ videntur hîc adferemus, viam quodammodo aperiendo, ut hoc super fundamentum per se deinde quisque discurrat: quod enim sibi quis excogitabit, magis ipsum emovebit, & plus ei fructus afferet, juxta doctrinam quam in libello Exercitiorum Sanctus Pater nobis præscripsit & tradidit.

P. Ponte, Meyer, Andronus, Sucquet.

In annot. in princip. positis: annotat. 2.

Ante omnia excitanda est humilitas & reverentia.

4. Primo ergo ad sanctissimum hoc Sacramentum summa cum humilitate & profundissima reverentia accedamus oportet: quàm in nobis excitabimus, siquidem ex una parte consideremus supremam illam Dei Opt. Max. majestatem & magnitudinem, hoc in Sacramento verè & realiter præsentis; & hunc ipsum esse Dominum, qui sola voluntate sua cœlos, terram, & quidquid eorum ambitu continetur, olim condidit, & hactenus conservat, & perpetim gubernat; & hoc ipso nutu & voluntate solâ, omnia creata momento in nihilum potest redigere: illum denique, in cuius conspectu Angeli & celsissimi Seraphini præ humillima reverentia alas contrahunt, & contremiscunt, de quo *ad cuius nutum columnæ cœli contremiscunt & pavent*. Ex altera verò si oculos in nos ipsos conjiciamus, propriam vilitatem & miseriam considerando.

Iob. 26. 11.

Praxis exercendi humilitatem.

5. Vnde modò in personam & affectum induere possumus Publicam illius Evangelici, qui ad altare propiùs accedere non præsumebat, imò nec oculos ad cœlum sustollere; sed à longè stans magna animi cum demissione percutiebat pectus suum, dicens, *Deus propitius esto mihi peccatori*. Aliàs licebit cum filio prodigo accedere & dicere: *Pater peccavi in cœlum & coram te: jam non sum dignus vocari tuus; fac me sicut unum de mercenariis tuis.* Modò usurpare verba illa S. Elisabethæ; *Et unde hoc mihi!* uti suprà indicavimus. Non inutile quoque fuerit; attentiùs illa perpendere verba, quæ in Ecclesia sub ipsum communionis tempus pro more recitari solent, ex Evangelio deprompta: *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantùm dic verbo, & sanabitur anima mea.* Dignus non sum Domine, sed ideo ad te venio, ut tu dignum me facias. Infirmus &

Luc. 18. 13.

Luc. 15. 18. & 19.

Luc. 1. 43. cap. 1.

Matth. 8.

Vide Thō. Kempensis lib. 4.

languidus sum: sed ideo ad te accurro, ut tu me sanes & corrobores; nam sicut ipse aliàs dixisti, *non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus*, & hanc maximè ob causam tu in mundum venisti.

Matt.9,12

Exemplū humiliātis se.

6. Eusebius, S. Hieronymi mortem, cui ipse, utpote eius discipulus, interfuit, referens, ait hunc, cum jam hoc *sacrum Viaticum* esset recepturus, hinc immensam Domini maiestatem ac misericordiam admirando, illinc in semetipsum oculos conjiciendo, in hæc verba prorupisse: *Cur nunc Domine tantum te humilias, ut patiaris ad hominem descendere publicanum & peccatorem, & non solum cum illo manducare vis, sed teipsum manducari ab illo jubes?* Cum David Mephibosetho Ionathæ filio dixisset: *Tu comedes panem in mensa mea semper*; respondit ille magna sui cum demissione: *Quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei?* Si hæc dixit Miphiboseth, quod in Regis se convivam adoptari audiret, quid hominem dicere oportet, ad Dei sui mensam invitatum? Certè, quandoquidem ad divinum hoc Sacramentum non ea, quam ipsum prèmeretur, dispositione & præparatione accedere non possumus, eam profundam per humilitatem & reverentiam suppleamus, & cum Regio Vate magna cum nostri demissione, dicamus: *Quid est homo, quod memor es eius? aut filius hominis quoniam visitas eum?* & cum sancto Iob: *Quid est homo, quia magnificas eum?* Quare non immeritò admirabunda canit Ecclesia. *O res mirabilis, manducat Dominū pauper servus & humilis*, Dominumq; cœli & terræ intra os & præcordia sua recipit.

S. Hieron.

2. Reg. 9.7

Psal. 8.5.

Iob 7.17.

2. Amor & fiducia excitanda.

7. *Secundò*, ad sacram hanc mensam magno cum amore & fiducia est accedendum, qui affectus ut in nobis excitetur, infinitus D[illegible] in nos amor, bonitas ac misericordia, qui hoc in Sacramento etiam mirè elucescit, (ut initio diximus) considerandus est. Quis enim non redamet usque adeò nostri amantem? quis non fidat ei qui tanta nobis præstitit beneficia? quid enim non daturus est, qui seipsum donavit? Quare luculenter S. Ioannes Chrysostomus: *Quis pastor*, ait, *oves proprio pascit cruore? Et quid dico pastor? Matres multæ sunt, quæ post partus dolores filios aliis tradunt nutricibus: hoc autem ipse non est passus: sed ipse suis nos proprio sanguine pascit, & per omnia nos sibi coagmentat.*

Homil 6. ad popul. & homil. 8. & 3 in Matth. Vide Salesi Tract. de amore divino &c.

3. Desiderium cibi huius.

8. *Tertiò*, requiritur, ut intenso cum desiderio & appetitu ad Sacramentum hóc accedamus, nam, ut sanctus ait Augustinus, *panis iste esuriem quærit hominis interioris*. Quemadmodum cibus corporalis tunc in comedentis utilitatem cedere eique prodesse videtur, cum avidè magnaque cum fame sumitur: pari modo tunc divina illa esca nobis insigniter proficiet, si summa cum appetentia, esurie & desiderio ad eam anima accesserit, avida & percupida Deo se jungendi, & peculiarem aliquam gratiam ac donum ab eo recipiendi. Nam ut Propheta regius asserit: *Animam esurientem implebit bonis*. Et ipsa Domini huius mater suo in Cantico cecinit: *Esurientes implevit bonis.*

S. August.

Psal. 106. 9.

Luc. 1. 53.

8. Huic

Praxis excitandi famē huius cibi.

9. Huic autem fami & desiderio in nobis excitando mirificè conducet, una ex parte magnam nostram considerare necessitatem, ex altera mirabiles & stupendos Sacramenti huius effectus, quos in hominibus operatur. Quemadmodum Redemptor noster Christus cū adhuc mortalis inter mortales ageret, quotquot ad eum variis infirmitatibus & languoribus pressi spe opis inveniendæ veniebant, iis pulsis, sanitati restituebat, ac neminem qui quidem eam ab ipso petiit, à se repulisse, aut eam denegasse legitur. Venit quippe ad eum mulier illa sanguinis fluxum patiens, & ecce extima tantùm vestimenti ipsius fimbria contacta, momento à suo est morbo persanata: pedibus quoq; eius advoluta est notissima illa in Evangelio peccatrix, & peccatorum remissionem inde retulit: veniebant ad eum leprosi, & quamprimum à lepra sua mundabantur: veniebant denique à malignis spiritibus vexati, cæci, & paralytici, & quisque mali sui remedium & opem ad ipsum inveniebat: *quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Consimili ratione etiam modo in augustissimo hoc Sacramento facturus est, si hac cum esurie & desiderio ipsum accesserimus: idem est enim modò qui tunc fuit, nec suam naturam conditionemque, nec ad benefaciendum propensionem mutavit.

Luc. 6. 19.

Caput VI.

Aliæ considerationes ac modi, cumprimis utiles, ad sacram communionem se disponendi.

Passionis Christi recordatio bona est ad Eucharistiā suscipiēdam præparatio.

1. INter reliquas, quibus nos ad sacram communionem dignè recipiendam præparare possimus, considerationes, propria quàm maximè & aptissima est Dominicæ passionis recordatio & memoria, ut nimirum immensum & incomparabilem illum amorem, quo se unigenitus Dei filius pro nobis in crucem obtulit, sedulò recogitemus. Nam inter ceteras rationes, quæ Redemptorem nostrum Christum ad sanctissimum hoc Sacramentum instituendum pepulerunt, fuit, passionis suæ commendatio, ut nimirum eam semper in memoria præsentem & velut ante oculos haberemus: hinc jussit, ut, quotiescumque celebramus, illius non solum nobis memoriam refricaremus: sed & reipsa, ageremus faciendo, & adhibendo cæremonias significantes passionem eius, uti fit in Missis. *Hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem.* Quod ipsum est Apostolus Paulus deinde in epistola ad Corinthios repetit: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis:*

Luc. 22. 10.

1. Cor. 11. 24. & 26.

Exempla.

2. Vnde *S. Bonaventura* omnibus consulit, ut, quoties ad sacram synaxin nos conferimus, aliquod Passionis Dominicæ mysterium recogitemus: & hoc ipse se observasse, & inde animam suam in divino liquefieri amore

De præparat. ad missam c. 6. & in fasciculus c. 3.

Cant. 5. 6. amore solitam testatur. Sanctus verò *Chrysost.* *Chrysostomus*, ait eum, qui ad sacram communionem accedit, cogitare debere, quoties tremendum hoc Sacrament percipitũ, os se suum sacro vulneri lateris Christi adplicare, & pretiosum illius sanguinem inde exsugere; itaque in te transfundere & participare, quidquid hoc ipse nobis vulnere acquisivit. Sancta *Catharina Senensis* non aliter, nec alio affectu ad sacram hanc anhelabat, quam infans ad materna sitiens ubera anhelat & gemit. *Alii* verò, (quoniam venerabile hoc Sacramentum Dominicæ passionis memoriale est,) Christum sibi repræsentant & cogitant crucifixum, & cor suum montem imaginantur esse Calvariæ, in eoque Domini crucem figentes, ipsam dulcibus inibi & amorosis amplexibus stringunt, & pretiosissimi sanguinis ipsius guttas inde destillantes intra se colligunt. *Alii* se imaginantur ultimæ illi cœnæ interesse quam pridie quàm pateretur Redemptor Iesus cum discipulis suis sumpsit, perinde ac si medios inter Apostolos sederent, illiusque è manibus sacrosanctum corpus & sanguinem Dominicum acciperent. Neque verò hæc cænæ illius supremæ repræsentatio, mera fictio est aut nuda imaginatio: quia eadem revera hæc mensa est, idem convivium, idem denique Dominus, qui tunc temporis corpus & sanguinem suum Apostolis dedit, hodie ipsum dat nobis, & eodem prorsus cum amore, quo tunc iis exhibuit.

3. Bona quoque illa futura præparatio est, si quis hæc quæ sequuntur puncta consideret & recogitet. *Primò*, *Quis* ille sit Dominus, qui venit? nempe rerum omnium visibilium simul & invisibilium conditor, cœlorum terræque Dominus & Rex infinitæ maiestatis incomparabilis perfectionis Deus. *Secundò*; *Ad quem* veniat? ad me videlicet, qui non nisi pulvis sum & cinis, & sæpenumero eum gravissimè offendi. *Tertiò*, *Quare* veniat? nempe ad supereminentem passionis suæ fructum, & pretiosissima gratiæ suæ dona mihi communicanda. *Quartò*, Quomodo sive qua re impulsus veniat? non proprio commodo aut utilitate, quia rerum omnium Dominus est, & nullius indiget: sed ex puro amore, & vehementi, ut animæ meæ salus obtingat, & semper in illius gratia permaneat, desiderio. *Quinto*, exercere se quisque debet in trium virtutum Theologicarum, fidei, spei & charitatis actibus.

Considerandum in cõmunione, quis, ad quem, quare, quo sine veniat.

Excitandum in se desiderium Christũ dignè suscipiendi.

4. Quoniam verò nos ipsi dignè, ad hunc Dominum sumendum, præparare non possumus, nisi id ipse nobis largiatur; rogandus ipse cum primis, ut nostram animam humilitate, puritate, amore, reverentia debita disponere & exornare dignetur: quod ut faciat, obvia hac erit ratione inducendus: Si Rex quispiam potens, Domine, in paupercula cuiusdam viduæ ædibus diversari deberet aut vellet, non exspectaret utique, ut illa locum potentiæ suæ congruenter adornaret & concinnaret; sed suam ante

Alia præparandi praxis.

Ps. 9. 38.

Exẽpla.

ante ſuppellectilem, & aulæa, nec non ſtratores præmitteret, qui cuncta convenienter perſonæ ſuæ conveſtirent. Tu ergo idem fac pauperculæ animæ meæ cum ad illam divertere jam decreveris: præmitte, obſecro, aulæa & periſtromata tua, nec non ſtratores & miniſtros tuos Angelos, qui hoc domicilium, quod hactenus tam immundum, tot aranearum, ſcelerum inquam, telis oppletum fuit, everrant, adaptent, concinnent, teque dignam habitationem ex eo efficiant. Deinde ſacratiſſimam Virginem Mariam & Sanctos Patronos noſtros velut interceſſores adhibendo, ſumma animi cum demiſſione eos rogemus, ut hanc à Domino gratiam nobis impetrent.

Excitandum in ſe deſiderium Chriſtũ dignè ſuſcipiendi.

5. Præter hactenus dictas præparationes, addemus aliam cumprimis facilem, & perutilem, nec modicò in omnibns ſolatio futuram. Cum ergo quem velles, & qui ad tam magnũ recipiendum Dominum requiritur, fervorem, tamque incenſum deſiderium habere nequibis, intenſum ſaltem hujus deſiderii habendi, deſiderium & voluntatem in te excitare procura: itaq; omnem defectum, & quod hic tibi defuerit, abundè ſuppleveris: quia Deus reſpicit cor, & quod habere deſiderabis, perinde acceptabit & admittet, tamquam ſide facto habuiſſes: ſecundum illud Prophetæ: *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus præparationem cordis eorum audivit auris tua.*

Pſ. 9. 38.

Exẽpla.

6. Hanc devotionem & præparationẽ Dominus ipſe alias S. Mechtildem docuit, referente Lud. Bloſio, cui dixit: *Quando ſacram communionem perceptura es, deſidera & opta ad laudem nominis mei, habere omne deſiderium, omnemque amorem, quo umquam cor aliquod erga me flagravit & ita ad me accede: nam ego amorem illum in te accendam atque ſuſcipiam, non ſicut eſt in te, ſed ſicut velles eum in te eſſe.* Idem quoque de S. Gertrude Virgine tradit. *Hæc enim corpus Chriſti aliquando ſumptura, cum ſe nimis imparatam doleret, rogavit B. Virginẽ Mariam, & omnes Sanctos, ut Domino pro ſe offerent omnem dignitatem, præparationem & meritum, quam quilibet ipſorum umquam paratus fuerat ad ipſum recipiendum. Inde Dominus mox ad eam. Iam verè omnibus cœli civibus appares in eo ornatu quem tibi petiſti.* Optima igitur futura diſpoſitio & præparatio eſt, eo cum amore & fervore ad ſanctiſſimum hoc Sacramentum accipiendum accedere deſiderare, quo eximii ſancti ad ipſum acceſſerunt, ac Dominum obnixè rogare, ut quod nobis defuerit, de meritis & virtutibus Jeſu Chriſti ac ſanctorum omnium, ſupplere dignetur. Hoc quoque deſiderio in gratiarum actione, uti poterimus, quemadmodum poſtea dicturi ſumus.

Cap. 6. Monil. ſpirit.

Ibi ſupra.

Thom. à Kempis Lib. 4. cap. ſequent.

Præparationes poſſunt alternari.

7. His aliiſque id genus conſiderationibus actualem in nobis ipſis devotionem, cum qua nos SS. Patres volunt ad ſanctam communionem accedere debemus excitare: modò quidem hanc, modò illam, prout ſibi quiſque pro temporis ratione magis expedire cenſebit, uſurpando.

8. Vbi tamen animadvertendum

Quanto tempore præparatio durabit in Laico. *tra. ad præpar. ad Euchariſtiam.*

eſt, ut nos hoc pacto diſponamus, & hac in parte faciamus quod faciendum eſt, prolixiorem aliquam temporis partem hinc debere præparationi impendere. B. P. Franciſcus de Borgia in tractatu quem ea de re cõſcripſit, tres impendi vult dies, ut ſacræ ſe quis cõmunioni diſponat, tres item poſt eam ad gratias Deo convenienter agendas: plurimaſq; aſſignat conſiderationes, & exercitia ſubminiſtrat quibus toto illo tempore ſeſe occupet. Et foret hæc optima ratio, ut quis, per totam non dico hebdomadam, ſed vitam ipſam, recollectus & devotus incederet, partim ob tanti tamque eximii hoſpitis intra ſe recipiendi ſpem, partim ob accepti beneficii recordationem & memoriam. Etenim vel ſola hæc cogitatio, Cras mihi ſacra menſa adeunda; vel iſthæc recordatio, hodierna vel heſterna die eam adivi; ſatis eſt ad animum collectum habendum, omnemque diſtractionem evitandam.

Quanto tẽpore in ſacerdote.

9. Veruntamen ſi tantum, quantum P. Franciſcus requirit, huic præparationi temporis impendere nequeamus, nec integrum nobis fuerit; illo certè manè, quo ſacræ epulæ adeundæ, totam orationem, aliquam ſaltem illius partem, uni, vel pluribus, harum conſiderationum non inutile erit impendere. Non parum etiam profuerit, veſpera communionem precedente, dum cubitum jam concedimus, hanc animo cogitaionem & curam infigamus: Cras mihi ſacra communio adeunda eſt, in eaq; obdormiſcamus; & ſi quando è ſomno excitamur, hæc identidem menti recurrat: Mane verò, vix apertis oculis, ſomnoque diſcuſſo, eadem totos nos occupet. Si enim ad quotidianam orationem & meditationem rectè obeundam, B. P. N. id tam impensè requirat, in ſuis quas ad hoc aſſignat additionibus, quanto nos ipſum erit æquius eo præſtare die, quo tam auguſtum ſumpturi ſumus Sacramentum?

Libello Exercit. Annot. & Addit.

Caput VII.

Quid poſt Venerab. Euchariſtiæ ſumptionem nos facere oporteat; & quæ propterea Deo agendæ ſint gratiæ.

Poſt cõmunionem Deo gratiæ agendæ.

1. QVemadmodum ante comeſtionẽ utile cumprimis cenſetur, corporale aliquod exercitium obire, ad calorem naturalem excitandum; ſic & expedit, ſacræ communioni aliquod meditationis & conſiderationis exercitium, quo animæ calor, devotio inquam & amor (de quo ſuprà egimus) accendatur & concitetur, præmittere.

Exercitiũ corporale diſponit corpus, Meditatio Spiritum.

2. Præterea ſicut à menſa & ſumpto jam cibo ad ſanitatem confert, aliquantiſper amico colloquio animum exhilarare; ſic poſt divinam hanc eſcam ſumptam expediens erit aliquantum cum Deo tractare, de qua re in preſenti tractabimus. Commodiſſimum nimirum id tempus eſt, ad cum Deo agendum, cum eoque tacitè intra nos ipſos diſſuaviandum. Vnde par eſt ut rectè eo uti noverimus, nec vel minimam ejus particulam infructuoſam effluere ſinamus, juxta illud Sapientis monitum: *Non defrauderis à die bono: & particula boni doni non te prætereat.* Hoc igitur tempore

Colloquium à refectione prodeſt corpori: ita agere cũ Deo poſt cõmunionem.

Eccl. 14. 14.

tempore occupemus nos oportet considerationibus & affectibus quibusdam, quales communionem diximus supra debere præcedere.

Post cõmunionem Deo gratiæ agendæ.

3. *Præcipuè* verò impendamus nos oportet, primò laudibus divinis celebrandis, & gratiis agendis pro omnibus beneficiis adeò receptis, ac præsertim inæstimabili beneficio redēptionis ac specialiter pro eo quod Dominus jam nobis confert, semetipsum nobis communicando, & nostra viscera ingredi non dedignando. Quoniam verò ipsi nec possumus, nec novimus, pro tam eximio beneficio, eas quas par est gratias agere debemus, ad insufficientiã nostram supplendam, illas omnes gratiarum actiones & laudes ei offerre, quas cuncti ei Seraphini, adeoque universi Angelorum chori jam inde à mundi principio egerunt, & modò agunt, nec non eas quas beati omnes & cœlites egerunt, dum in terris vitam mortalem agerent, ac præcipuè eas quas jam agunt cœlesti gloria perfruentes, quasque in omnem æternitatem acturi sunt; nostrasque voces cum illorum vocibus conjungere, atque omnium cordibus & linguis eum dilaudare velle. *Cum quibus & nostras voces ut admitti jubeas deprecamur.* Omnes denique creaturas, ut in illo laudando & sanctificando nos adjuvent, invitare. *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipsum.* Atque hanc in rem utilissimè ordinavit S. Romana Ecclesia, ut sacerdotes peracto missæ sacrificio continenter dicant Hymnum. Trium puerorum, & Psalmum. Laudate Dominum de cœlis, in quibus omnes creaturæ & SS. in laudem Dei accersuntur. Ac quandoquidem ne hæc quidem universa laudem quæ Deo debetur, exæquant, quia major omni laude est, optemus & velimus ut se ipse amet & dilaudet, utpote qui solus se sufficienter amare & dilaudare potest.

Ps. 33. 4.

Actus amoris excitãdi.

4. *Secundò*, exercendi illo tempore sunt actus amoris Dei. Hic quippe sanctarum illarum aspirationũ (quæ sanè nihil sunt aliud quam actus quidam amorosi, & præcordialia quædam summi illius boni desideria) proprius est locus, si quis alius. Tales erant illi Davidis: *Diligam te Domine fortitudo mea.* Et, *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea* amoris telo vulnerata *ad te Deus.*

Ps. 17. 1.
Ps. 41. 1.

Faciendæ quoque petitiones, quæ in conviviis solēt esse impetrabiliores.

5. *Tertiò*, occupemus nos illo tempore in petitionibus faciendis: hoc quippe ad vota nostra & postulata proponenda, gratiasque divinas obtinendas convenientissimum est, ac tunc Deus quodammodo prensandus. Esther suam Assuero Regi indicare postulationem noluit, sed rogat ut quod paratura erat adire convivium dignetur, in eo enim se illam declaraturam. Dictum factum: itaque ab eo obtinuit quidquid postulabat. Ad eundem modum in hoc convivio, in quo supremus Regum omnium Rex, noster est conviva, aut potiùs ad quod nos ipsum invitavimus, quidquid petierimus, indubiè impetrabimus. *In die enim bona venimus*, & per oportuno tempore: ac dicere possumus, quod

Esth. 5. 8. c. 3.

1. Reg. 25. 8.

dicebat Iacob cum Angelo colluctans: *Non dimittam te* Domine, *nisi benedixeris mihi*. Ergo Domine, qui aliàs Zachæi ædes ingressus dixisti: *Hodie salus huic domui facta est*, dic jam idem de domo animæ meæ, quam subiisti. *Dic animæ meæ, Salus tua ego sum*: fiat hodie illi salus.

Gen. 32. 26. — Luc. 19. 9. — Psa. 34. 3.

Quænã sint post Communionem petenda.

6. Hic ergo petenda commissorum venia, robur ad passiones nostras edomandas, tentationesque debellandas, gratia quoque ad virtutes quaslibet, humilitatem, obedientiã, patientiam, ac perseverantiam impetrandas. Nec propriæ ac privatæ res modò rogandæ Deoq; commendandæ sunt, sed & pro generalibus ac particularibus Ecclesiæ necessitatibus Deo tunc supplicandũ, pro summo Pontifice, pro Rege, proque omnibus reip. Christianæ tam spiritualibus, quàm temporalibus Rectorib⁹, denique pro particularibus personis & causis, pro quibus ex obligatione orare tenemur, vel volumus, eo prorsus modo, quo Sacerdos submissa in *Memento* (de quo postea tractabimus) facere consuevit.

CAPUT VIII.

De alia quadam gratiarum actione.

Praxis pia gratiarum: Sensus & facultates animæ Christo agant gratias.

1. SVnt qui post sacram communionem, eo quo sequitur modo, gratias agere solent; fingunt & contemplantur Christum Dominum intra viscera sua, velut in throno & solio regio considentem, unde omnes animæ potentias & sensus advocant, ut eum pro Domino ac Rege suo agnoscant & venerentur: quemadmodum ac solet si quis virum aliquem Principem domo excipiat hospitem futurum, filios omnes & clientes, universamque familiam convocare, ut ei honorem & reverentiã pro dignitate exhibeant, adventumque gratulentur. Cum unaquaque autem facultate & sensu tria potissimum faciunt. *Primò*, pro illa illove accepto immensas Deo ex corde, gratias agunt. *Secundò*, se incusant & dolent, quod pro intentione ac mente datoris, ea non sint usi. *Tertiò*, gratiam & opem ab eo postulant, ad illa posthac meliùs & rectiùs utendum. Atque hæc agendarum gratiarum ratio cumprimis salutaris & utilis est: nec à primo orandi modo, è tribus illis, quos S. P. N. in Exercitionum spiritualium libro assignat, discrepat, imò re idem est.

l. exercit. spiritual.

Christus cogitandus est ut medicus.

2. Alii verò fingentes se in omnibus sensibus & animæ facultatibus infirmos & languidos esse, & probè gnari Christum medicum esse, *qui sanat omnes infirmitates nostras*; eum per omnes illas & singulas deducunt, perinde ac medicus per omnia valetudinarii loca deduci solet, dicuntq;: *Domine veni, & vide*: vide inquam infirmos illos oculos meos, illam linguam, &c. *ac miserere mei, quoniam infirmus sum*: *sana animam meam quia peccavi tibi*.

Psal. 102. 3. — Ioa. 11. 34. — Psal. 6. 3. — Psa. 40. 5.

Christus quoad humanitatẽ vere intra nos est, quam diu species sacramen-

3. Verum notandum hoc loco, ad hæc aliaque eiusmodi exercitia isthoc in tempore rectè obeunda, in iisque nos occupandos, minime opus esse aliquam loci compositionem fingere, aut eam extra nos quærere, cùm

cùm ipsum Iesum Christum, non solùm quoad divinitatem (quæ omni in loco præsens adest, verum etiam quoad sanctissimam humanitatem, præsentem, imò intra viscera nostra habeamus, hæc quippè toto illo tempore quo species sacramentales incorrupta supersunt (id est, quamdiu panis substantia, siquidem adesset, integra perduraret) realiter nostra intra præcordia continetur. Iam verò si vel nudus aspectus alicuius imaginis Christi animum nostrum potis est ad orationē habendam colligere & attentionem conciliare; quomodo non colliges intuitus eiusdem nō jam imagine aut in effigie crucifixi, sed ipsius prototypi, & in propria persona? Quisque ergo ad seipsum mentem reflectat, Christum perinde intra se & viscera sua considerando, uti cum Deipara mater intra se habuit dum eum in utero gestavit; illicque cum dilecto suo dissuavietur, dicendo cum sponsa: *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.*

tales durant.

l. exercit. spiritual.

Cant. 3. 4.

4. Vt verò, ad diutiùs in hac gratiarum actione perdurandum, plusque temporis illi insumendum animemur, non mediocriter nobis conducet cogitare id quod vulgò Theologi circa hanc materiam docent; nimirum, quod quo se quis toto eo temporis spatio, quo species Sacramentales, & realis Christi præsentia intra nos durant, intensius & magis in huiusmodi actibus exercebit, maiorem inde gratiam recipiet, non solùm ob maius actuum meritum & intensionem, atq; ut vulgo loquuntur, *ex opere operantis*, sed etiam *ex opere operato*, hoc est (ut supra declaravimus dum de dispositione ageremus) ex ipsius Sacramenti.

Caie. Gab. Maior Paludi. & aliiquos refert Frāc. Suarez. to. 3. in 3. par. disp. 63 sect. 7. dicens esse valde probabile.

Cap. 3.

5. Ex his autem quæ diximus, apparet, quam malè faciant, qui tempus illud, in quo tantum sibi bonorum & fructus comparare poterant, infructuosum elabi sibi sinunt & negligunt; & simul ac tam divinum hospitem tecto suscepere, ei velut tergum obvertant, &, illo vixdum per unam januam ingresso, per posticum illico se proripiunt, cæptumque vixdum cum eo sermonem inciviliter abrumpunt. Certè inter nos homines vulgo inurbanum reputaretur, si quis honorato & illustri aliquo viro intra ædes suas recepto, eum non alloqueretur, nec ullum ei obsequium re verbi, ne deferret. quo ergo erit inurbanitas tam eximium & incomparabilem hospitem inutiliter habere? Sanctæ Margaretæ Regis Hungarorum filiæ (uti in eius vita Surius memoria prodidit) solenne fuit, pridie quàm sanctam synaxin sumeret, in cibi illius cœlestis, quem exspectabat, reverentiam, in pane & aqua jejunare, noctemque illam totam insomnem ducere: sacro autem ferculo accepto, diem illum totum ad vesperam usque, meditationi precibusque vocalibus impendere, ac tum demum modico aliquo cibo corpusculum reficere.

Quā malè quidā post communionē otientur.

Surius.

Caput IX.

De fructu, quem è sacra Communione colligere nos oportet.

Fructus SS Sacramēti sunt plurimi.

1. Mirabiles porrò virtutes & effectus, quos SS. Patres venerabili huic Sacramento attribuunt, non serviunt modò, ad eius excellentiam, & immensum amorem ac caritatem, quo nos Dominus prosecutus est, declarandum. verum etiam ut, iis perspectis & consideratis, notabilem è sacra communione fructum capiamus. Vnde eorum nonnullos hunc ad finem hoc loco producemus.

Effectus duplex Eucharistię communis est gratia. at peculiaris est refectio spiritualis.

2. Habet ergo sacrosanctum hoc Sacramentum hunc cum reliquis Sacramentis communem effectum, quod dignè recipientibus *gratiam* conferat: habet autem & alium proprium & peculiarem, per quem ab aliis Sacramentis distinguitur, quem Theologi *refectionem spiritualem* vocant, id est sustentationem & nutrimentum animæ, quo illa reficitur, restauratur, & vires acquirit, ad pravis appetitionibus obsistendum, & virtutem complectendam. Vnde super illa Christi apud Sanctum Ioannem verba: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus vere est potus*; tradunt communiter Sancti Patres, atque ex illis Concilium Florentinum, eosdem effectus, quos cibus & alimentum corporale in corporibus operatur, divinum hunc cibum spiritualiter in animabus nostris producere. Atque idcirco Christum dicunt sanctissimū hoc Sacramentum nōnisi in alimenti specie instituere voluisse, ut in ipsa, in qua id instituit, specie, effectus quos operatur, nec non quàm ipso animæ nostræ opus habeant, nobis declararet. Ergo, quemadmodum cibus corporalis vitam corporis sustentat, viresque restaurat, & usque dum ad certam ætatem pervenerit, hominem facit excrescere; eodem modo Ven. Eucharistia, & divinissimus hic cibus, vitam spiritualem sustentat, vires deperditas animæ instaurat, virtutem debilitatam reparat, hominem adversus omnes hostiles tentationes corroborat, eumque in debitam & congruam usque perfectionem facit crescere. Hic quippè panis est, qui *confirmat* & corroborat *cor hominis*, & cuius virtute & fortitudine corroborati, adinstar Eliæ, quousque ad sanctum montem Horeb perveniamus, ambulare debemus.

Ps. 103, 15. 3. Reg. 19. 8.

Tertius effectus est suavitas quam Eucharistia sumenti adfert.

3. Habet & aliam præterea cibus corporalis proprietatem, quod comedenti gustum & suavitatem adferat; eoque majorem, quo melior & exquisitior est, & palatum meliùs dispositum: consimili ratione divina hæc esca non tantum nos sustentat, conservat & vigorat; sed & spiritualem quemdam gustum & suavitatem adfert, prout olim Iacob Patriarcha in propheticis illis benedictionibus, sub mortem super filios suos pronuntiatis, quid legis Evangelicæ tempore futurum esset annuntians, tacitè visus est præsignificare. Cùm enim ad Aser filii benedictionē perventum esset, ait: *Aser pinguis panis eius,*

Gen. 49. 20.

eius, & præbebit delicias regibus. Christus Redemptor, panis fertilissimus juxta ac suavissimus & sapidissimus est. Tantas autem delicias & voluptatem, cœlestem hunc panem causare S. Thomas asserit (in iis præsertim qui animæ palatum probè expurgatum habent) ut nullis eæ verbis queant exponi; quod spiritualis suavitas suo hic in fonte, qui Christus est, (fons videlicet omnis dulcoris, & rerum omnium vitæ, qui Sacramenti huius adminiculo in eum sumentis animam ingreditur) gustetur. Sæpe enim verò quoque tanta hic dulcedo derivatur, ut non spiritum & animam solùm reficiatur, sed etiam in ipsam carnem & corpus redundet: juxta illud Prophetæ Davidis de seipso assertum: *Cor meum & caro mea exaltaverunt in Deum vivum.*

Opusc. 57.

Psal. 83. 3.

Quartus fructus: Animam quoq; & corpus corroborat. *l. de perfect. ad sororem suam.* Exempla.

4. Atque hunc ortum habet, quod S. Bonaventura sæpè usu venire tradit, ut quis admodum debilis & imbecillis sacræ communionis mensam accedens, tantam è sacrosancti huius cibi virtute consolationem & dulcedinem sentiat, ut ita vegetus & corroboratus inde recedat, ac si nullus eum languor prius occupasset.

5. Guitmundus Aversanus Episcopus, scriptor perantiquus, scripto prodidit, priscos illos monachos tantam è sacra synaxi animi lætitiam ac simul robur corporis percipere solitos, ut nonnulli, hoc solo alimento contenti, nullum omnino corporalẽ cibum sumerent, sed cœlesti hac esca anima juxtà ac corpus pasceretur ac recrearetur, quo autem die sacro hoc ferculo eos carere contingebat, eo tantam in se virium debilitatem & imbecillitatem sentiebant, ut defectis viribus emorituri nec ultrà vivere posse viderentur. Addit præterea cœlestem hunc panem illorum quibusdam cellæ inclusis, ab Angelis delatum fuisse. In Cistertiensis quoq; Ordinis Annalibus refertur, monachum quemdam, quoties sacrosanctum hoc Altaris Sacramentum sumeret, sacrum mellis, cuius dulcedine triduo toto os illius delibutum manebat, sibi sumere visum fuisse.

Quis fructus è sacra communione capiendus.

6. Quem ergo è Sacramenti huius perceptione colligere debemus, fructum, est robur quoddam spiritus ad in via Domini & perfectionis strenuè ambulandum, jugiterque in ea progrediendum: nec non intrepida quædam animi generositas ad passiones & appetitus inordinatos subigendos, omnigenasque tentationes exsuperandas: *Parasti*, ait Psaltes, *in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me.* Ad hoc enim potissimum istud Dominus epulum instruxit.

Psal. 22. 5.

Comparatio mẽsæ Domini &c. Hominũ.

7. Ad sæculi huius mensas & convivia quisquis adversarium aliquem patitur, accedere metuit, nec in eis audet securè manere, quoniam timet, ne in eis vel cibo vel potu, aliove modo fiat inidoneus ad resistendum adversario: at in hac mensa accipit homo robur & fortitudinem, ad omnes inimicos suos debellandos & subigendos. Quin *tamquam leones ignem spirantes*, vult nos S. Chrysost. *ab hac mensa recedere, factos diabolo terribiles & formidabiles.* Hunc quoque effe-

hom. 60. ad pop. Antioch. & 45 in Ioan.

effectum Christus ipse non obscurè insinuavit tum, cùm Apostolis sacra hac esca jam refectis, & velut confirmatis ait, *surgite, eamus hinc.* Perinde ac si diceret. Iam sacro hoc viatico corroborati estis, *surgite* & ad patiendum abeamus. Atque hinc tantum in primigeniis illis Christianis, quibus sacra hæc mensa perfamiliaris & propè quotidiana erat, animi robur videre fuit, non solum ad Dei legem exactè adimplendam, verùm etiam ad atrocissimorum tyrannorum impetus, minas, furorem ac tormenta contemnenda, sanguinemque & vitam pro Christi nomine intrepidè profundendam.

Ioa. 14. 31.

Caput X.

Sacræ communionis frequens usurpatio, efficax est quidem contra omnes tentationes remedium, sed pro castitate tuenda antidotum cumprimis singulare.

Frequens communio tentationes imminuit.

1. Communis SS. Patrum doctrina est, frequentem divini huius cibi usum, præsentissimum esse ad quaslibet tentationes evincendas remedium: nam præterquam quod spiritui robur non vulgare conferat, passiones effrenes, pravos habitus, & ad malum propensiones admodum debilitat, concupiscentiæ fomitem, qui omnium malorum radix & origo est, etiam imminuit, nos denique promptos & expeditos ad divinæ voluntati exactè obsequendum, reddit.

3. p. qu. 69 art. 7.

2. Quod autem sanctissimum hoc Sacramentum à tentationibus & lapsibus nos tueatur, inter reliquas, hanc esse causam S. Thomas Aquinas docet, quod Dominicæ passionis memoria sit ac monumentum: quod enim spiritus maligni per eam subacti debellatique sint, idcirco quotiescunque Christi corpus & sanguinem in nobis vident, ilico se inde proripiunt, sancti verò Angeli nos comitantur & præsto sunt. Quam etiam ob causam SS. Ignatius Martyr & Cyrillus frequentem sacri huius epuli usum impensissime commendant, ut eius vi dæmones à nobis fugiant & se subducant. Si enim sanguis agni Paschalis, qui nonnisi typus & figura sanctissimi huius Sacramenti fuit, (ut ait Chrysost.) in domorum positus superliminaribus & poste utroque ea virtute fuerit præditus, ut earumdem incolas ab Angelo exterminatore sit tutatus, quanto magis Angelum Satanæ ab animæ nostræ penetralibus divinus hic sanguis arcebit?

Causa huius rei.

ep. ad Ephe. l. 3. in Ioan. c. 37

hom. 61. ad pop. Antio.

3. Sed singulare & efficacissimum ad carnales & sordidas & tentationes pellendas, ac castimoniam tuendam in sacrosancto hoc epulo remedium ac præsidium contineri docent universi: effrænes enim carnis motus compescit, fomitem peccati mitigat, atque, ut S. Cyrilli verbis utar, ardorem & appetitum sensualis cupiditatis non secus exstinguit, quàm ignem affusa aqua. Atque hoc in sensu exponunt S. Hieronymus & D. Thom. & alii illa Zachariæ Prophetæ verba: *Quid enim bonum eius, & quid pulchrũ eius, nisi frumentum electorium, & vinum germinans virgines?* Dicuntque, peculiarem cibi huius cœlestis virtutem

Contra tentationes carnis insigne remedium est communio.

Cyrillus.

S. Hieron. S. Thom. opu. 58. c. 46. Zach. 9.

tutem

tuteni atq; effectum esse, producere & germinare virgines. Nimirum uti corporalis cibus, cum bon⁹ est, bonū in corpore sanguinem & salubres humores procreat, ita divina hæc esca cum ipsum castitatis omnis fontē in se claudat, in anima castitatem & affectuum puritatē producit: huic (ut Cyrillus auctor est) non animam solùm, sed & corpus sanctificat, fitque (ut Ecclesia præscribente Sacerdos celebrans in Missa precatur) *nobis ad salutem mentis & corporis.* Est quippè farina illa Elisæi, quæ in ollam missa colocinthidarum omne venenum & amaritiem ab ea tollit, eamq; reddit sapidam. Atq; ut muliere illa hemorrhoissa; fimbriam vestimenti Dominici tangente, continuò fluxus sanguinis in ea stetit: & ut arca Testamenti Jordanis aquas intrante, ilico quæ supernè affluebant, steterunt, & currere desierunt: sic Christo corpus nostrū subeunte, tentationes omnes stant immotæ, & ipse concupiscentię ardor atq; ignis, vi sua quodāmodo destitutus urere desinit: O ergo *felix fructus ubertatis*, exclamāt meritò SS. Patres, *ex quo virginitas germinatur* Quare gravis quidam S. Theologiæ Doctor disertè nullū posse, ad castitaté tuendā conservandamve medium asserit reperiri efficacius, majorisque energiæ, quàm frequenter sacra Eucharistiæ mysteria capessere.

Cyrill. ep. ad Ephe. l. 3. in Ioan. c. 37. — 4. Reg. 4. 41. — Luc. 8. 44. — Iosu. 3. 16. — Viguer. in inst. Theol. c. 16. §. 1. — *in hist. Eccl. l. 18. c. 25. — *l. de glor. Martyr. c. 8. — *Evag. l. 4. c. 15. Baron. ad 552.

4. Narrant Nicephorus Callistes, Gregorius, Turonensis, Nauclerus, & alii non posterioris notæ scriptores rem cumprimis memorabilem, quæ Constantinop. contigisse perhibetur. Quam Nicephori verbis hic adferam: *Consuetudo*, inquit, *à multo tempore in Ecclesia Orientali fuit, vt, cum plusculum de partibus immaculati divinique corporis Domini & Servatoris nostri Iesu Christi reliquum esset, Sacerdotes pueros incorruptos ex iis qui ludum litterarium adeunt, & de quorum puritate esse poterant certiores, accerserent, qui jejuni reliquias illas ederent: Quod mihi quoque sæpenumerò, cùm puer admodum essem, & maximè à prima ætate in sacris ædibus versari studio haberem, contigit. Cum pueris ergo ad id delectis factum est, ut & viri religione Iudæi, vitro conficiendo vitam tolerantis, puer aliquando aggregaretur. Hic, ubi diutiùs ultra solitam horam moratus domum venit, & causam tardioris reditûs parentibus diligentiùs eam inquirentibus, quod scilicet cum aliis pueris in æde sacra divinas partes edisset, renuntiavit; pater furore percitus eum acceptum in fornacem flamma succensa candentē conjecit, ejusque ostium deforis occlusit. Porro mater ubi puerum diutius nō comparentem quæsivisset, nec invenisset, urbē omnem circumiit, per quam acerbe plorans atque lugēs: & die tertio ad officinā mariti consistens ingenti planctu seipsam lanians prolixtusque ingemiscens filium nominatim vocavit. Ille materna voce agnitâ responsum è fornace reddidit. Tū illa furni ostio effracto, mediis in prunis puerū stantē vidit, ita prorsus incolumem, ut ne capillū quidem flāma læserit. Quare fornace egressus, causamq; integritatis hujus rogatus, respōdit mulierem quamdam illustrem purpurea stola indutam frequentius ad eum venisse, & aqua affusa ignē à quo cingebatur extinxisse, cibū etiam cùm esuriisset, præbuisse. Hæc postquam*

Exemplum mirum.

quam Iustinianus Imperator cognovit puerum cum matre, qui Christianis sacris accedere volebant, divino regenerationis lavacro jussit ablui, patrem verò, qui in Iudaica perfidia perseverare decrevit, velut parricidum in arborem ficum, perinde ac in crucem, agi præcepit. Quod autem sanctissimum hoc Sacramentum in istius pueri corpore præstitit ipsum sine ulla læsione medios inter ignes conservando, hoc spiritualiter in animabus dignè ipsum recipientium facit, eas, in mediis tentationum æstibus integros & inviolatos custodiendo.

Caput XI.

Alius primarius sanctæ communionis fructus est, quod nos Christo uniat, in eumque quodammodo transformet.

Fructus communionis est unio cū Christo.

1. Inter alios fines & effectus, ob quos Redemptor noster Christus sanctissimum hoc Sacramentum instituit, non postremum, imò facilè primum, fuisse SS. Patres tradunt, ut nos in eo sibi arctè uniret, incorporaret, & unum quid (ut ita dicam) secum efficeret. Nam quemadmodum in Sacramenti hujus consecratione, vi verborum ejusdem, panis in ipsam Christi convertitur substantiam: ita sacræ hujus communionis virtute, is qui homo erat, miro quodam modo spiritualiter transformatur in Deum. Atque hoc sibi volunt verba illa ipsiusmet Christi: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: qui mādūcat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.*

Ioā. 6. 56.

2. Sicut enim cibus, naturalis caloris virtute in comedentis convertitur substantiam, cum eoque quid unum efficitur: sic qui de pane hoc Angelorum comedit, Christo unitur, concorporatur, & unum quid cum eo constituitur; ita quidem ut non Christus in ipsum comedentem transeat ac convertatur, sed ipse potiùs recipiens in Christum transformetur. Hoc adeò Dominus ipse S. Augustino olim asseruit: *Cibus*, inquiens, *sum grandium cresce, & manducabis me: nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me.* Quamobrem D. Thomas proprium Sacramenti hujus effectum esse docet, hominem in Deum transmutare, illum sibi similem efficiendo. Si enim ignis, quod tam nobile sit elementum, omnia sibi proxima & applicita mox in se convertat, consumendo priùs, quidquid in illis sibi repugnans ac contrarium reperit, ac deinde suam iis formam & perfectionem communicando: quanto magis abyssus illa infinitæ bonitatis & nobilitatis, quidquid in animabus nostris mali reperiet, ipsum destruet, expellet, easque sibi persimiles reddet?

Imo cōversio quædam in Christum.

4. senten. dist. 2. q. 2. art. 1.

3. Verum omissâ in præsens reali ac verâ Christi Jesu cum recipiente unione & conjunctione, quam significare ipse voluit verbis illis ante productis: *In me manet & ego in illo*, quamque SS. Patres aptis quibusdam similitudinibus declarāt; ac magis in particulari ad praxin descendendo fructus, quem ipsi è sacra communione colligere procurare debemus est, ut Christo spiritualiter uniamur in ipsum.

Ista conversio, non est essentialis sed moralis. Christi mores imitādo, & sic similes ei reddimur.

psumq; mutemur, & transformemur. Id est, ei quoad vitam & sanctos mores assimilemur: humiles fiamus adinstar Christi, patientes sicut Christus, obedientes ut Christus, casti denique & pauperes sicut ipse castus & pauper fuit. Atque hoc est, quod iteratò nobis Apostolus inculcat, dum Christum nos jubet induere: *Induimini Dominum Iesum Christum*: &, *Induite vos novum hominem qui secundum Deũ creatus est*: In consecratione tota panis substantia in Christi corporis substantiam convertitur, accidentibus integris permanentibus: in sacra verò communione, secùs fit, quia hominis substantiâ remanente, mutantur accidentia: homo enim ex superbo humilis, ex incontinente & lubrico castus, ex iracundo mitis fit ac patiens, itaque in Christum transformatur.

Rõ.13.14 Eph.2. 24.

S. 4. senten. dist. 2. q. 2. art. 1.

4. D. Cyprian. super illis Psalmographi verbi: *Et calix meus inebrians quàm præclarus est!* (quæ ipse de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento intelligi vult.) *Quemadmodum*, inquit, *vino isto communi mens solvitur, & anima relaxatur, ita epoto sanguine Domini, & poculo salutari, exponitur memoria veteris hominis, & fit oblivio conversationis secularis*, ut exinde nonnisi de cœlestibus agere & cogitare delectet. Quam longè alii facti sunt & mutati fuerunt discipuli illi Emauntem abeuntes sanctissimo hoc Sacramento jam percepto! *nam postquam cognoverunt eum in fractione panis*, ex nutantibus & incredulis facti sunt fideles, è miticulosis fortes. Sic & nos à sacra communione in alium hominem mutatos, & alios factos, surgere oportet. *Mutaberis in virum alium, in virum perfectum.* Idem quoque docet S. Basilius, & ad hoc confirmandum adducit testimonium Apostoli Corinthiis scribentis: *Vt & qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.*

Li.2. epist. 3. ad Cæcilium. Ps. 2 2. Exempl. & modus hujusce conversionis.

Luc. 24. 35.

1. Reg. 10 6. Eph. 4. 13

In regul. brevior. num. 172. 2. Cor. 5. 15.

5. B. Angela de fulginio rem certè cumprimis notabilem, & admodum spiritualem hac in parte, scripto tradidit: Agens quippe de signis & indiciis, è quibus agnoscatur, verene anima quæpiam in Deum sit transformata, inter reliqua ponit hoc, *si homo à qualibet creatura contemni, abjici, vilipendi desideret; & ex animo velit ut cuncti eum probris & contumeliis dignißimum habeant, nemo illius compatiatur, & in nullius creaturæ corde, sed solius Dei vivere gaudeat, ad hæc, non solum nullo modo aliquid esse reputari velit, sed & magno sibi honori ducat, pro nihilo haberi, & contemni, irrideri, quo Christo Dominò conformetur, quem sequi vera demum & summa gloria est; dicatque cum Apostolo. Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Hac ergo ratione in Christum transformari nos oportet in cęteris quoque moribus.

Cap. 66. Quod transformationis in Deum indiciũ sit.

Gal. 6. 14 Hic homo quoad veterẽ Adam superbũ mutatus est in virũ aliũ.

6. Atque hoc est genus conversionis seu transformationis, quod è sanctissimi hujus Sacramenti perceptione debemus moliri, quodque D. Joann. Chrysost. (obligationem quã ad divinum hoc sacramentum suscipiendum habemus, exponens,) declarat, dicens: *Cum nos ab ira corripi viderimus, vel ab alio vitio, aut tentatione, cogitemus quibus quantisque bonis*

In particulari exponitur illa transformatio.

Hom. 61. ad popul. Antioch.

facti simus digni, & sit irrationabilium nobis motuum correctio, talis cogitatio, ac velut frenum, quo, ne quod peccatum consciscamus, aut imperfectionem committamus, retineamur. Linguam certè, quæ Christum tetigit, par jam est sanctificatam esse, nullas post hac inanias & gerras proferre, nullisq; scurrilitatibus profanari: cor quoq; & pectus, quod Deum ipsum ut hospitem suscepit, ac quædam sanctissimi Sacramenti theca & tabernaculum facta fuit, vanorum desideriorum cœno sordibusq; nefas jam est inquinari, aliisque de rebus, præterquam solo Deo, agere vel cogitare. Et simili ratione procedendo per omnes facultates & vires nostras immutari nos oportet.

[Simile.] 7. Cùm quis mane aromaticũ aliquem pastillum comedit, per totum diem ejus odorem exhalat: tu verò divinum illum pastillum manducasti, qui cœlestem in se ambram continet, & omnigenas virtutes & ipsam Deitatem redolet, quam ergo earum fragrantiam passim exspires & exhales oportet? Virgo quædam sanctitate notissima dixisse perhibetur, è quo die sacras epulas adii, eo majore diligentia & accurratione cor meum custodio; Dominum quippe in eo, perinde ac in domo sua requiescere, mihi imaginor: quare omnem quam possum, tam in loquutione aspectu, incessu, quàm universa conversatione mea, servo modestiam, perinde ac qui digito labiis appresso adstantibus silentium indiceret, strepitumque ullum fieri vetaret, ne qui dormit è somno excitetur.

CAPUT XII.

De alio singulari fructu è sacra communione capiendo, ut nimirum Deo nos totos offeramus, inque ejus manus omnino resignemus: deque præparatione & gratiarum actione tunc nobis facienda.

1. Est ille nobis fructus è sacri ferculi sumptione eliciendus, ut in Dei manus nos totaliter resignemus & tradamus, perinde ac luti pauxillum in manu figuli, ut is de nobis, quod, quando, quodammodo cumque voluerit, statuat, sine ulla exceptione vel rei cujuspiam reservatione. Ipse Dei filius totum & totaliter sese Patri æterno in sacrificium, in ara crucis obtulit, omnem sanguinem, quin & vitam, nostri causa impendendo: quotidiè quoque se totum nobis dat in sanctissimo hoc Sacramento in cibum, corpus, inquam, suum, sanguinem, animam, divinitatem, æquum erit igitur, ut & nos ipsos totaliter & integros ei offeramus & tradamus. Atq; hoc demum propriè esse dicunt *communicare*; scilicet facere Deo, quod ipse tibi; dat & communicat ipse tibi quidquid habet, tu etiam vicissim illi da quidquid habes.

[Alius fructus communionis est resignatio sui in Dei beneplacitum.]

2. Hæc quoque sit oportet gratiarum actio, nobis percepta jam communione persolvenda: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* ac præsertim pro hoc eximio corporis sui mihi impensi beneficio. Nostin' quid ille sibi à te dari velit?

[Hæc resignatio est optima gratiarum actio.]

[Ps. 115. 12]

velit? quo jam hic loquimur. *Probe, fili mi, cor tuum mibi.* Luculenter id declarat sanctus ille scriptor, dum sic Dominum loquentem inducit: *Quid magis a te requiro fili, quam ut te studeas mihi ex integro resignare? quidquid præter te ipsum das, nihil curo: quia non quæro datum tuum, sed te. Sicut non sufficeret tibi omnibus habitis præter me: ita nec mihi placere poterit, quidquid dederis, te non oblato.* Te totum mihi impende & offer, ac sacrificium tuum acceptissimum mihi erit.

Prov. 23. 26.

Thom. à Kempi imi. Christi lib. 4. cap. 8.

3. S. Augustinus causam cur Caini sacrificium Deo displicuerit, & divinitus illius oculis ad eius numera oblationesque non æquè respexerit, atque ad fratris eius Abelis fuisse asserit, quòd Cain non rectè divideret, *dans Deo aliquid suum, sibi autē seipsum.* Quod, eodem Augustino teste faciunt, qui Deo aliquid suum, non propriam offerunt voluntatem. *Regnum cælorum,* inquit, *aliud non quærit, pretium, quàm teipsum. Tantum valet, quantum es tu, te da, & habebis illud.*

Lib. 1. de civit. Dei c. 7.

Cur Abel acceptus Deo & non Cain sacrificium.

Serm. 2. de omnibus sanctis, & 10. manual. c. 16.

4. In hac itaque plena nostri ipsorum in divinas manus resignatione & oblatione, post sacram synaxin nos occupare & detinere debemus: nec solum id faciendum in genere, sed etiam ad casus particulares & speciales descendendum, resignando & conformando nos divinæ voluntati tam in mala quàm bona valetudinem, tam in morte quàm vita, in tentatione æquè ac in consolatione: id speciatum exprimendo, in quo se quisq; maiorem sentire repugnantiam ac difficultatem deprehendet, atque id Domino in gratiarum actionem offerendo; nullum hic omittendo locum, officium, functionem ministerium, quantumvis humile sit abjectum, quousque nihil nobis occurrat, in quæ voluntatem nostram non planè cum divina conformem unitamque esse sentiamus.

Resignatio sui post cōmunionē non est obiter facienda.

5. Cui rei cumprimis deserviet devota oratio illa, quam habet S. Parens noster in libro Exercitiorum spiritualium; *Suscipe Domine universam meam libertatem, accipe memoriam, intellectum, atque voluntatem omnem, quidquid habeo vel possideo, mihi largitus es, id tibi totum restituo, ac tua voluntati prorsus trado, gubernandum. Amorem tui solum cum gratia tua mihi dones, & dives tum satis, nec aliud quidquam ultro posco.*

Formula plenæ resignationis.

In contempl. ad amorem spirit. in nobis excitandum puncto 1.

6. Quin & virtutum aliquarum, earum præcipue quibus maximè opus habebimus, actus hic exercendi & concipiendi nobis sunt: nam ad quidquid desiderabit & opus quis habebit; divinus hic cibus & manna ei sapiet, utpote *habens omnis saporis suavitatem,* omniumq; virtutū condimentū: unde modò in hac, modo illa virtute te exercere debes semper in illā imprimis oculos cōjiciendo, qua maximè indigebis. Si ergo humilitatem tibi deesse comperias, humilitatis hinc tibi gustum elice; utpote cuius egregium hic exemplum & saporem deprehendes, cùm altissimus Dei filius hic sub panis accidentibus involutus delitescat, quæ quia sunt accidentia, viliora & abjectiora sunt, quam panniculi illi & fasciolæ, quibus eum sacratissima ipsius mater in Bethleemitico stabulo involvit. Et

Imo & aliæ Virtutum actiones nobis necessariæ ita particulatim mysticarū debent.

Sap. 16. 20.

quæ, maior dari fingiq́ue humilitas potest. quid cogitari vilius, quam quòd se hic Deus per modum communis cibi nobis exhibeat, quo à nobis sumatur & comedatur; quodq; in illa altaris mensa ad hunc usum corporalia velut mappas & mantilia, patenam velut lancem, calicem denique loco cyathi adhibeamus; quòd nostris eum manibus contrectemus, ore sumamus, & in stomachum trajiciamus? Quo se Deus demittere potest profundius, quo homo ascendere altiùs? Adeò ut humilitas magis quadam tenus in hoc quàm in incarnationis mysterio reluceat. In hac ergo te exercita, & quidem tamdiu quousq; eam prorsus tibi inseri & adhærere, cordiq; tuo insculpi sentias. Offer Domino in gratiarum actionē omnis honoris & æstimationis humanæ despectum, optando & gaudendo propter illum contemni, despici & nullo in pretio haberi.

Etiam nostrorum defectuū particulariū extirpatio post communionem est masticāda.

7. Non inutile quoque est, descendere ad casus aliquos speciales & minutos, eosque hic Domino in gratiarum actionem offerre. Novit enim ferè quisq: defectus suos, novit quid maiori sibi sit quo minus proficiat, impedimento, atque in quæ crebriùs & communiter impingat; ex his ergo aliquid Deo in unaquaque communione in gratiarum actionem sacrificet & offerat. Si nimius deliciarū sectator sis, corporis commoditates studiosè captes, desq; operam ne quid tibi desit; offer Domino propositum te in hoc mortificandi, hodie in hac cras in alia occasione. Si confabulationibus infructuosis insigni cum temporis dispendio institui solitis gaudeas; in eo te mortifica, & id alterius communionis tempore Domino offerto. Si propriæ voluntatis adeò sis retinens, ut, ne quod mortificationis tædium aut laborem ipse subeas, fratribus tuis placere, cedere, moremve gerere recuses, quin & interdum asperè & præfractè eos alloquaris; in eo te evincere procura, hocq́ue Domino alia in communione dedica.

Hinc elicitur novus & optimus præparādi se ad communionem.

8. Atque ut alias cum de oratione ageremus, perutile fore dicebamus, certos quosdam actus illo ipso die exercendos sibi proponere: ita quoque in communione sacra utile erit, concipere propositum tui etiam per illum diem aliqua in re vincendi & mortificandi, & hanc mortificationem Domino in gratiarum actionem & laudem offerre. Tibiq́ue persuadeas velim, hoc Dominum vicissim à te, pro collato tibi beneficio & gratia deposcere: neque enim aliam à nobis compensationem requirit, quàm ut vitam moresq́ue in melius commutemus, in eoque potissimum corrigarum, quod ei maximè novimus displicere. Et hæc optima est gratiarum actio, quam post sacram synaxin ei persolvere possumus, & obsequium ei à nobis exhibendum longè gratissimum. Tribus diximus supra modis gratiarum actionē posse institui. *Primò*, beneficia accepta in animo grata recordatione agnoscendo: *Secundò*, benefactorem ob illa laudando, & verbis ei gratias agendo: *Tertiò*, etiam operè simile quid ei rependendo. Atque hæc optima est agendi

1. p. tract. 5. c. 10. Imo certos actus in diem communionis sibi impera, ex mortificatis,

Lib. 5. de sacramēt. c. 4. De verbis Domin. Evang. S. Luca ser. 28. tom. 2. epist. fol. 187.

Tract. 7. c. 6.

Ad communionem optima dispositio est sancta vita.

agendi ratio, eaque ipsa de qua hic agimus. Neque enim totum tempus est affectuosis considerationibus & speculationibus impendendum: quæ licet bonæ sint, meliora tamen longè sunt opera: nec ad aliud illæ debent tendere, quam ut ad hæc nos manu velut ducant.

Hinc elicitur novus & optimus præparandi se ad communionem.

9. Idem de præparatione ad sacram synaxin dicendum: etsi enim particularis illa dispositio, qua ad eam communiter per considerationes aliquot, prævias, se homines præparare solent, bona sit, nec facilè omittenda, quia sublimis huius Sacramenti reverentia requirit, ut quisque hic faciat quod in se est; verum tamen est, quod melior principaliorq; dispositio sit bona sanctaque vita; utque in iis quæ communiter agimus quotidie meliores perfectioresque evadere studeamus, ut hoc pacto maiorem puritatem & munditiẽ ad sanctissimum hoc Sacramentum suscipiendum adferamus, juxta tritam illam SS. Ambrosii & Augustini sententiam: *Sic vive ut quotidie merearis* sanctissimam Eucharistiam *accipere.*

Lib. 5. de sacramẽtis c. 4. De verbis Domin. Evang. S. Luca ser. 18.

10. Vnde R. P. M. Ioannes Avila in epistola quadam hac de re ad spiritualem amicum data eam quam ad dignè communicandũ adferre queat, præparationem in eo ait consistere debere, ut tota vita & tota septimana rectum vivendi modũ servet: & hoc probat exemplo & dicto pii cuiuspiam viri, dicere soliti numquam se particulari quodammodo ad hoc Sacramentum suscipiendum disponere consuevisse, quòd singulis diebus faceret quod in se esset. Hæc utique valde bona est dispositio, ac longè melior quàm ad horæ quadrantem dumtaxat, ante sumendam & post sumptam communionem animum colligere, æquè interim trepidum, immortificatum atque imperfectum ac fueras priùs manere.

tom. 2. epist. fol. 187.

Ad communionẽ optima dispositio est sancta vita.

Hæc est fructuosa communionis praxis.

11. Hæc ergo præcipua ac potissima est dispositio, & optima gratiarum actio; primarius item esse debet fructus, quem è sacra synaxi colligere nos oportet. Proinde sicut aliàs optimam ad orationem rectè instituendam, dispositionem esse diximus passionum nostrarum mortificationem, sensuum recollectionem, & accuratam cordis custodiam; & hunc facilè primum esse debere fructum ex eadem colligendum, & unam alteri debere esse adjumento: Pari modo hic bona sanctaque vitæ ratio, nec non conatus & cura ut omnia sua quàm potest optimè quis peragat, quo Deo suo placeat, præcipua ac primaria sit oportet ad sacram synaxin sumendam dispositio: primarius item fructus, quem ex ea debet haurire, unumq; alteri subserviat, ac communio præcedens sit ad alteram sequentem dispositio. Proinde sicut eam demum bonam orationem esse, & tunc in ea hominem profectum facere diximus, non cum miris in ea consolationibus, ac piis sensibus perfunditur, non etiam quando prolixas ac varias speculationes & sublimes contemplationes habet; sed cum egregiè ex ea humilis, patiens, indifferens, & mortificatus evadit: ad eumdem modum bona communio, eiusque fructus, non in multitudine considera-

tract. 1. c. 1.

siderationum, quantumvis eæ bonæ sint & sanctæ, non item in spiritualibus justibus & consolationibus perceptis, verum in vitiosarum passionū mortificatione, majoreque cum divina voluntate resignatione & conformitate, quæ hinc percipiatur, consistere censenda est.

Penes nos est bene cōmunicare.

12. Sequitur hinc quoddam permagnæ consolationis punctum, nimirum semper in nostra situm esse manu ac potestate bene digneque ad communionem accedere, luculentumq; ex ea fructum percipere: semper quippe, auxiliante Dei gratia possumus, & in nostra est manu, in Dei manus resignare & offerre, passiones comprimere, in ea quoque re nosipsos corrigere, quam divinæ ipsius maiestati novimus displicere. Hoc tute præsta & notabilem è sacra synaxi fructum percipies: tu, inquam quotidie te ex supera, mortifica, & aliqua in re emenda, Dagon idolum in arcæ testamenti conspectu corruat, idolum inquam, honorum & ambitionis idolum deliciarum & commoditatum quas consectaris, idolum denique propriæ voluntatis; hæc scilicet omnia in potentis huius Domini reverentiam corruant, & in te moriantur. Hoc modo si communicaremus, singulis vicibus aliqua in re, quantumlibet minuta, nos mortificando, & defectum aliquem corrigendo, quantum Deus bone, anima nostra proficeret.

1. Reg. c. 5.

S. Hieron. Prov. 31. 27. Expositio loci de forti muliere, pro recte communicante.

13. Apposité S. Hieronymus illud sapientis de muliere forti encomium. *Consideravit semitas domus suæ*, (per quas ipse examen conscientiæ & præparationem qua ad sacram hanc mensam accedendum est, intelligit) *& panem otiosa non comedit*, interpretans; tunc hominem negat sacrum Eucharistiæ panem otiosum comedere, *cum sacrificium Dominici corporis percipiens, studet imitari actu: quod in mysterio celebrat, bonis actibus insistendo.*

Væ panē Eucharistiam comedanti otiose.

14. Væ autem tibi, qui tot per annos panem hunc otiosus comedisti, cùm hactenus ne vel semel te ipsū viceris, nec in una quidem passione vitiosaque inclinatione mortificaris. Graviter ægrotes malæque habeas oportet, cum, quidquid comedis neutiquam tibi prodest,

Corrige te qui sic comedisti.

15. Absit hoc imposterum: & quisque intra semetipsum ingrediatur, animæ suæ angulos excutiat, & consideret passionem, vitium, pravamque propensionem & inclinationem, quam maiori hactenus damno impedimentoque sibi fuisse deprehenderit; eamque à se tamdiu expellere & mortificare procuret, quoadusque cum Apostolo Paulo dicere possit: *Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus.* In quæ verba sic idem commentatur Hieronymus: *Id est non vivit ille qui quondam vivebat in lege: quippe qui persequebatur Ecclesiam: vivit autem in eo Christus, id est sapientia, fortitudo, pax, gaudium, ceteræq; virtutes, quas qui non habet, non potest dicere, vivit autem in me Christus.*

Gal. 2. 20 Hieron.

❧(o)☙

CAP.

CAPUT XIII.

Ecquid in causa sit, cur, cum sanctissimum Altaris Sacramentum tam stupendos producat effectus, eos tamen nonnulli ipsum frequentes, minimè in se persentiscant.

Quæstio utilissima.

1. PEtat verò quispiam, cum sanctissimum hoc altaris Sacramentum tantam conferat gratiam, ac tot tamque mirabiles effectus edat, ecquid sit causæ, quare multi qui ipsum frequenter sumunt, non solum in anima illas spiritus delicias & dulcedinem quas suprà indicavimus, minimè percipiant, sed ne ullum quidem in virtute progressum facere videantur, at semper in uno eodemque statu permaneant?

Cap. 9.

Responsio falsa.

2. Respondent ad hoc aliqui tritoillo communique proverbio, *familiaritas parit contemptum*: perinde ac si frequentior communionis usus in causa sit cur minori cum reverentia, & non debita dispositione ad eam accedant, tantumque inde fructum non percipiant.

An frequentior Eucharistiæ sumptio causa sit exigui profectus.

3. Sed errant: neque enim hoc in rebus spiritualibus, & familiari cum Deo commercio locum habet: imò ne quidem inter homines sapientes & prudentes; cum magnarum iisdem familiaritas & usus frequentior, majorem potiùs illorum excitet æstimationem ac reverentiam, quo enim quis iis familior est, hoc magis illorum prudentiam & virtutem perspicit, majorique eos in pretio habet.

Responsio.

4. Age verò, demus proverbium hoc etiam in sapientibus mundi hujus habere locum posse, quia in misera hac vita nemo tam reperiri potest perfectus, qui non aliquos habeat defectus, quos familior cum eo usus & crebrum commercium tandem detegit & prodit: atque idcirco nimia familiaritas esse potest causa, cur opinio illius atque æstimatio diminuatur. Verùm non potest hoc cadere in commercium ac familiaritatem cum Deo: nam cum ipse infinitæ perfectionis & sapientiæ sit Dominus, quo quis cum eo crebriùs agit, magisque eum cognoscit, hoc illum impensiùs colit, plurisque facit; uti in Angelis & beatis cœli civibus est videre, qui etsi Deum perfectè norint, cumque eo assiduè versentur, ipsum nihilominus quo possunt cultu & veneratione prosequuntur.

Exēplo ostenditur responsionis veritas.

5. Quod & hac in vita nos & in terris experimur; quo enim quis Deo est per orationis commercium familiarior, eo ipsum profundius honorat, majorique in veneratione habet. Id ad oculum patet in muliere illa Samaritana cujus meminit Joannes Evangelista. Hæc cum Christum primo ut aliquem de plebe habuisset, dicens, *Quomodo tu Judæus cum sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana*? communi gentis nomine eum compellando; in colloquio porro progrediens, eum Dominum vocat: *Domine da mihi hanc aquam.* Ulteriùs dein paulò provecta, Prophetæ cum nomine donat: *Video quia Propheta es tu.* Tandem etiam illum ut Christum & exspectatum à Patribus Messiam agnoscit. Idipsum & in Sacramenti Eucha-

Ioan. 4. 9.

Eucharistici frequentiori sumptione usuvenit: prior quippe communio ad sequentem est dispositio. Et graviter falluntur, qui quo rarius & infrequentius ipsum accedunt, eo se præparatiores & majore cum reverentia id sumptoros arbitrantur. Ut enim gravissime SS. Ambrosius & Augustinus asseruerunt, *Qui non meretur quotidiè accipere non meretur post annum accipere.*

Lib. 5. de Sacram. cap. 4. De verbis Dom. in Evang S. Luca. ser. 23 & epist. 1. 8. ad Ianua.

1. Causa cur fructum è communione non sentiamus, est nostra parva dispositio.

6. Ergo ad propositam quæstionem respondens, dico *Primò*, quo minus è frequentiori Sacramenti hujus sumptione fructus optatus colligatur, interdum nostro vitio & culpa accidere: quia non pro eo atque oportet, ad ipsum sumendum nos disponimus ac præparamus, sed nonnisi ex consuetudine, & *pro forma*, (ut vulgò loquimur) ad illud accedimus, quasi diceremus: Communionem accedo, quia aut accedunt alii, aut quia ipse accedere consuevi: accedimus quoque quasi pro ceremonia, non considerantes aut reflectentes quid acturi simus, aut quorsum accedamus. Atque hæc exigui fructus solet esse causa. Unde cum advertit quis nihil se per frequentiorem Vener. Eucharistiæ sumptionem in spiritu proficere, secum dispiciat & accuratè expendat, num forsan ob exiguum sui ad hanc dispositionem id eveniat: idque si rerum esse deprehendat, emendare satagat, seque in posterum accuratiùs disponere.

Secundò lapsus voluntarius in peccata venialia.

7. Dico *secundò*. Solet hoc quoque accidere, quod scienter & advertenter quis in veniales culpas incidat. Duo sunt autem peccatorum venialium genera: alia enim committuntur inadvertēter, quamquam cum aliqua delinquentis incuria & negligentia: alia verò, volentes & dedita opera committimus. Illa ergo, inque homines timoratæ conscientiæ, Deique amantes & reverentes, minùs tamen advertentes, impingunt, tantùm noxæ non inferunt: at, quæ à tepidis, inque Dei famulatu torpidis & remissis, ex proposito deliberatè, advertenterque admittuntur, divinos sanctissimi hujus Sacramenti effectus magna ex parte impediunt. Quod & de iis dici potest defectibus, qui à Religioso circa regularum & constitutionum suarum observationem deliberatè & data opera fiunt. Quemadmodum enim Pater filium, cum quid deliquit, torvè intuetur, ut hac ratione illum concipiat, reprehendat, simulque tacitè commoneat, ut posthac cautius se gerat: sic Deus nobiscum in sacra communione, & oratione facere consuevit: Quare si copiosis illius fructus, quem, prout oportet ad sacrum epulum accedentes percipere solent, participes reddi velimus, caveamus quàm maximè ne quem defectum advertentes, scientes, volentes admittamus. Quod documentum cumprimis velim à timoratis Deique amantibus personis notari, cum magni sit momenti, ut ipsis Dominus spiritualia beneficia & charismata impertiatur.

8. Dico

Tertia, utilissima Dei providentia Ikvolúntas.

8. Dico *tertiò*, quod quis eos quos diximus, Sacramenti hujus effectus in se non percipiat sæpenumero nullam ipsius ob culpam fieri, nec ideò minorem enim anima fructum percipere, tametsi hunc ipse minimè sentire sibi videatur. Quòd & in oratione locum habet, de qua nō pauci eodem planè modò expostulare cōsuevere: in qua tametsi non eum, quem aut vellet, aut aliàs forsan sentire solet, gustum & consolationem quis percipiat, non minorem idcircò illa oranti utilitatem & fructum parit. Perinde ac cibus, quamvis ægro minus sapiat, nō minùs tamen eum alit, sustentat aut fructuosus est. Nimirum spectant hæc ad divinæ providentiæ arcanum, quæ suos hac ratione purgare, probare, exercere, & humiliare famulos solet, aliaq; ex hac ariditate bona elicere quæ solus ipse novit. Huc accedit, subinde Sacramentum hoc tam occultè & tacitè in anima operari, ut vix id homo in quo operatur, percipiat: gratia namq; naturæ adinstar, suam sensim sine sensu operationem peragit: uti in planta & frutice videre est, quæ etsi quando crescat non videatur, accrevisse tamen postea deprehenditur. Unde S. Laurentius Justinianus ait, quemadmodum in cibus corporeus hominem alit, & ad debitam staturam facit excrescere, tametsi quomodo excrescat, minimè percipiatur: sic divino hoc Sacramento animam, per gratiarum incrementum, corroborari, confortari, vegetari, quamvis id perceptibiliter minimè sentiamus.

S. Laurētius Iustinianus.

Non retrogredi in via spirituali est progredi

9. Dico *quartò*. Non solum profectus non nomen meretur, in via spiritus assiduè progredi, sed etiam, non retrogredi nec deficere. Vt non minoris est pharmacum morbi præservans, quàm sanitatem adaugens, faciendum. Quod imprimis velim notari, quippe permagnæ consolationi futurum iis, qui divini hujus Sacramenti effectus & fructus tam evidenter aut palpabiliter in se minimè persentiscunt. Etenim passim videre est, eos qui sacra hæc mysteria crebrius capescunt Deum timere, atque ideò integro anno, nonnullos etiam toto vitæ tempore, nullum letale crimen patrare. Hic nimirum præcipuus & primarius augustissimi Sacramenti hujus fructus atque effectus est, quòd hominem, ne in peccata proruat, præservet: perinde ac fructus cibi corporalis est, vitam temporalem tueri ac conservare. Atque ideò Sacramentum hoc à Sacrosancti Concilii Tridentini Patribus vocatur *antidotum quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservamur*. Quare, tametsi eum quis fervorem, devotionem, illam spiritualem perfectionem, saturitatem ac consolationem nec illum à sumpta communione vigorem, & ad bona opera exequenda promptitudinem, quam alii in se sentire solent, nequaquam in se sentiat: sed vice versa ariditatem, languorem, & teporem: non propterea nullum fructum è communione percipit: &, si quidem communionem adeundo in aliquas imperfectiones & delicta incidat,

Sess. 13. c. 3. de Eucharist. Sacram.

dat, numquam adeundo, hauddubiè in alia graviora corruet, faciamus ipsi quod in nobis est, quò illam, quàm diximus, dispositionem & reverentiam in communicando adferamus: etenim magnus futurus est fructus & commodum, quem animo è frequẽtiori divinissimi huius Sacramenti sumptione colliget.

l. 1. coll. c. 1. ex hist. Eccl. Alb. Crantzii, l. 1. c. 9. Exemplum.

10. Tilmannus Bredembachius narrat Wettekindum Saxoniæ Ducem, adhuc Ethnicum, curiositate motum ad Caroli Magni Imperatoris castra venisse, spectaturum quid ibidem ageretur: quod ut faceret commodius, peregrini habitum induisse. Hebdomada sancta tunc agebatur, & feriæ Paschales instabant, quibus solenne erat omnem exercitũ pane cœlesti refici. Ipse ergo singula accuratè inspiciens, inter alia dum sacerdotem sacras hostias in milites distribuentem observat, puerulum eximia forma vultuque splendidum sub singulis hostiis vidit, qui aliquorum quidem ora tam libenter hilariterque subibat, ut ultrò in illa se inserere, quin & festinare ad in illa involandum videretur: aliorum verò ora invitus, & velut coactus ingrediebatur, vultum quippe & manus avertebat, quin & pedes jactitabat, quasi qui obluctaretur ne in os insereretur. Quo dux ille spectaculo & miraculo permotus, sacra Christiana cum subditis omnibus suscepit.

Aliud exemplum.

11. Aliud huic suppar exemplum, & per quod prius magis cõfirmatur, refertur, de sacerdote quodam sæculari, quo sacra Missarum celebrante, quidam Dei servus, qui iis intererat, sub ipsum communionis tempus in patena non species panis, sed pulchellum puerulum conspexit. quem dum Sacerdos hostiam sumpturus, ad os elevaret, is vultum avertebat, & quasi qui reluctaretur, pedibus manibusque, modisque omnibus intrare os recusabat; Id ille non semel, sed sæpiùs vidit. Incidit fortè in hunc virum Dei Sacerdos, eique difficultatem, quàm in corpore Dominico sumendo non modicam experiretur, familiariter questus est, unde illa proveniret nesciens. Tum ille ei vicissim quidnam vidisset, ei exposuit, simulq; consuluit, ut rebus suis prospiceret, moresque corrigeret. quod ille monitum benignè admittens, ad meliorem se frugem recepit. Ergo cum Dei famulus sacro eiusdem more solito interesset, denuo eumdem puerum vidit sicuti priùs, sed qui jam sumendus, manibus pedibusque cunctis, per modum festinantis insumentis os ingredi gestiebat.

Henr. Strana. in exemp. verbo Euchar. exemp. 4. citatur à Doctore Santoro li. 4. prat. c. 100.

Caput XIV.

De sancto Missæ Sacrificio.

Dupliciter spectari potest S. Eucharistia ut sacrã. & sacrificium.

1. Hactenus de divino hoc Sacramento, eiusque effectibus & mirandis virtutibus in quantũ Sacramentum est, egimus: jam de eo, quatenus sacrificium est, reliquum est ut tractemus. Quod sacrosancta Synodus Tridentina divina verbi prædicatoribus, & animarum pastoribus & parochis, ut suas oves doceant, impensè præcipit; ut scilicet omnes & singuli norint, quàm pretiosum

Sess. 21.

sum Redemptor noster Christus Ecclesiæ suæ thesaurum legarit, cùm hoc nobis sacrificium reliquit, idque in suam illi utilitatem norint convertere.

Sacrificii necessitas, in omni statu humani generis.

2. Iam inde à mundi exordio, saltem post peccatum admissum, adeoque etiam *in lege Naturæ* semper aliquod sacrificium exstitit, eaque ad Deum iratum placandum, atque in infinitæ illius excellentiæ & maiestatis recognitionem honorandum colendumque necessaria fuerunt. Vnde *in Mosaica lege* Sacerdotes & sacrificia plurima ab ipsomet Deo sunt instituta. Verùm ut lex illa erat imperfecta, sic & sacrificia: multa tum immolabantur & mactabantur animalia, non ea tamen offerentes, ad perfectionem poterant perducere, uti nec Aaronis Sacerdotium, nec sacrificia ad homines sacrificandos, aut à peccatis emundandos per se satis erant. Vnde Apostolus: *Impoßibile est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata.* Vnde alium Sacerdotem *in Lege Nova*, secundum ordinem Melchisedec, Iesum Christum inquã, venire oportuit, qui aliud perfectius sacrificium, seipsum scilicet, offerret, quod & Deo propitiando, & hominibus sanctificandis & ad perfectionem adducendis abundè sufficeret.

Heb.10.9.

3. Atque hoc plenè per sacrificium corporis & sanguinis Domini impletum est. Vnde S. Augustinus omnia veteris legis sacrificia figuram, & imaginem, ac typum huius unius sacrificii fuisse ait: sicut enim res una multis locutionibus & linguis significari potest, sic unum verum & singulare sacrificium multis esse antea sacrificiorum significatum figuris; partim ut ipsum nobis impensè & diversimodè commendaret, partim ut illarum diversitas ac varietas illud tolleret fastidium, quod unius eiusdemque rei iterata & frequens repetitio solet adferre. *Ideo,* inquit idem Doctor, *immaculatorum & mundorum animalium sacrificia sibi Deus præcepit offerri, ut, quemadmodum illa immaculata erant à corporum vitiis & defectibus, ita speraretur immolandus esse pro nobis qui solus immaculatus fuerat à peccato.*

l.1. contra advers. legis & prophet. c.18.

Sacrificia vetera figura erãt novi.

4. Et certè si sacrificia illa Deo placebant (uti quidem tum temporis placuisse liquet) hoc idcirco solum fiebat, quòd per ea profiterentur homines, venturum aliquando Salvatorem ac redemptorem qui verum foret sacrificium: atque in illius virtute vetera illa aliquem tunc habebant valorem. Verum, postquam Salvator & Redemptor ille jam in mundũ venit, prisca illa sacrificia & victimæ Deo displicuere: asserente Apostolo: *Ideo ingrediens mundum dicit; Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: holocautomata es pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, Ecce venio. in capite libri scriptum est de me, ut faciam Deus voluntatem tuam.* Dedit unigenito suo corpus Deus, ut sic Patris sui voluntati morem gereret, semetipsum pro nobis in crucis ara offerendo. Vndo figurato & antitypo in mundum veniente, cessavit figura & typus, ac prisca illa sacrificia Deo placere desiere.

Imo illa vim omnem beneplacẽdi à figurato hoc accipiebant.

Heb.10.5. Psa.39.7.

5. Hoc igitur est sacrificium, quod in lege

Quã eximium sa-

crificium Novæ Legis. in lege gratiæ habemus, quodq; quotidie in Missa offerimus: ipse inquam Iesus Christus, verus Dei Patris filius, nostrum est sacrificium, *qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis.* (Ephes. 5. 2) Neque verò sunt hæc, aut mera speculatio, aut humanæ adinventionis doctrina, sed indubitatum fidei nostræ dogma: certum quippe est, *Missam passionis & mortis Domini memoriam ac repræsentationem esse*; unde & ipse cum augustissimum hoc sacrificium primùm instituit, dixit Apostolis: *Hoc facite in meam commemorationem.* (Luc. 22. 9) ubi facere pro sacrificare poni, docent Doctores ex S. Scripturis, tum eo loco tum aliis. siquidem Dominus dicens ut *facerent*, addebat, *quod pro vobis datur.* Dari autem pro hominibus Deo est sacrificare.

Missa est memoria passionis Christi, non solũ speculativa, sed & practica repetitio primi per ipsummet Christum.

6. Simul tamen noverimus oportet, ipsam non solùm memoriale & repræsentationem esse cruenti illius sacrificii, quo semetipsum Dominus pro peccatis hominum semel Deo Patri suo in altari crucis obtulit; sed & ipsissimum sacrificium esse quod tunc est oblatum, atq; eiusdem prorsus cum eo valoris & energiæ. Adhæc, nõ solùm idem sacrificium esse, sed & illum, qui modò hoc Missæ sacrificium offert, illum ipsum esse, qui aliàs illud cruentum in cruce obtulit. Adeò ut, sicut olim tempore passionis idem Christus Sacerdos fuit & sacrificium, sic & hodie in Missa ipse non modò, sacrificium sit, sed & Sacerdos ac Pontifex, qui se ipsum quotidie Patri æterno in Missa Sacerdotum ministerio offert. Atque hinc Sacerdos, Missam celebrans, personam Christi Domini repræsentat, ac velut minister & instrumentũ ipsius, sacrificium hoc offert. Quod vel ex ipsis consecrationis verbis colligere est: neque enim dicit Sacerdos, *Hoc est corpus Christi*, sed, *hoc est corpus meum:* quasi in persona loquens Christi, qui primarius Sacerdos & Pontifex est hoc sacrificium offerens. Atque ideo enim vocant tum Propheta Regius, tum Apostolus Paulus: *Sacerdotem in æternum secundùm ordinem Melchisedec.* (Ps. 109. 4. Heb. 7. 17. & 21.) Non rectè autem æternus & perpetuò duraturus Sacerdos diceretur, si semel dumtaxat sacrificium immolasset; sed idcircò æternus dicitur, quia semper Sacerdotum ministerio sacrificium offert, nec unquam sacrificare desinit, nec finem usque sæculi cessaturus est. *Talis enim*, ait idem Apostolus, *decebat, ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, priùs pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi.* (Heb. 7. 26) sed talis, *qui in diebus carnis suæ preces supplicationesque ad eum qui possit illum salvum facere à morte, cum clamore & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia*: (Heb. 5. 7.) talis denique, qui non alieno, sed proprio sanguine iratum Deum placaret.

Mirabilis Dei ars & sapientia in sacrificio missæ lucet ex quatuor in eo cõsiderádis.

7. Perpendamus autem hic Dei inventiones, & consiliorum eius artificium & sapientiam, ad homines salvandos: ac quid fecerit, ut isthuc sacrificium omni ex parte acceptabile & gratum fieret, quemadmodum id S. Augustinus luculenter expendit. (l. 4. de Tri.) Cùm

Cùm enim in sacrificio quatuor considerãda occurrant: *Primum*, cui offeratur, *secundum*, quis offerat. *Tertium*, quid offeratur: *Quartum*, pro quo offeratur; divina sapientia tali hoc sacrificium modo & artificio ordinavit, ut is, qui hoc sacrificium ad nos Deo reconciliandos offert. cum eo cui id offert, unus idemq; sit, cum iis quoque pro quibus id offerebat, unus factus sit, ipse deniq; illud ipsum sit quod offerebat; ut hoc sacrificium omni ex parte acceptabile, gratum & efficax foret.

Quanti valoris sit & efficaciæ.

8. Vnde tanti id valoris exstitit & efficaciæ, satis ut fuerit ad Deo, non pro nostris solùm peccatis, sed & pro totius mundi, ac pro centenis mundorum millibus, si darentur, satisfaciendum & placandum. *Ipse*, inquit Ioan. Apostolus, *est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi:* Quare communiter Theologi & SS. Patres docent, hoc sacrificium non sufficientem solùm pro debitis & peccatis nostris, sed & superabundantissimã satisfactionem & compensationem fuisse: multo enim maius est quod hic datur & offertur, quàm debitum quo tenebamur, magisque æterno patri hoc placuit sacrificium, quàm offensa præcedens displicuerat.

Ioan.2.2.

Nequidē Sacerdos maius nihil detrahit de valore sacrificii huius.

9. Inde etiam est, quod, quamvis Sacerdos offerens indignus sit & peccator, non ideo minorem hoc sacrificium fructum edat, aut abeat, minus prosit iis pro quibus offertur, aut ideo de valore & efficacia eiusdem quidquam diminuatur: quia Christus non sacrificium modò est, sed & Sacerdos ac Pontifex qui offert, perinde atque eleemosyna, esto per famulum improbum & nequam mittatur aut erogetur, nihil de merito ac valore suo deperdit. quod & Concilium Tridentinum verbis disertis docet: *Vna, inquit, eademq; hostia, idemque nunc offerens, Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa.*

Sess.22. c.2.

Sacrificiũ crucis cruentũ, Missæ incruentũ est.

10. Quod enim in cruce oblatum fuit sacrificium, cruentum fuit & sanguinis effusione peractum; erat enim tunc Christus adhuc mortalis & passioni obnoxius: hoc verò Missæ incruentum ceu citra ullam sanguinis effusionem: quia Christus jam gloriosus, & à morte resuscitatus est, ideoque mori & pati nequit. nam, teste Apostolo: *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur.* Docet autem prædictum Concilium, nec non Evangelistæ, Christum mundi Redemptorem cùm in cruce ad nos redimendos immolandus & moriturus esset, noluisse in illa ara sacrificium hoc perfici & consummari: erat enim *Sacerdos in æternum*, voluisse verò ut Ecclesia id haberet & perpetuo celebraret. Et quia *Sacerdos* erat *secundum ordinem Melchisedec*, qui panem & vinum obtulit, par & æquum erat, ut nobis sub panis ac vini speciebus in sacrificio perpetuò relinqueretur.

Rom.6.9. Matt.26.26. Matt.14.22. Luc.22.17. Ps.109.4.

Amor Christi in dando hoc sacrificio ingens.

11. Ergo in ultima illa cœna, (*in qua nocte tradebatur accepit panem & gratias agens fregit, deditque discipulis suis*) cùm de morte illi inferenda impii agerent, ipse de danda hominibus vita agebat. Voluit igitur sponsæ suæ, visibili

1. Cor.11.23.

visibili Ecclesiæ, visibile (ut hominū natura exigit) sacrificium relinquere, quod non solùm cruentum illud sacrificium crucis repræsentaret, & eius memoriam refricaret; verùm etiam eamdem cum ipso virtutem & efficaciam haberet, peccata condonandi, Dei placandi, hominesque ei conciliandi, atque adeò effectu & reipsa idem prorsus esset. Atque ideò corpus & sanguinem suum sanctissimum sub panis vinique speciebus consecravit, panē in sacrum corpus suum, vinum in sanguinem transsubstātiando, & illis sub speciebus Patri æterno se obtulit. Atque hanc Doctores dicunt primam fuisse Missam in orbe celebratam. tunc item ipse discipulos suos novi Testamenti Sacerdotes constituit, iisque & ipsorum in sacerdotio successoribus præcepit, hoc ut sacrificium offerrent, dicens, *hoc facite in meam commemorationem.*

Festum Corporis Christi omnium maximū vel lætissimum.

12. Quam ob causam censent nonnulli, festum Venerab. Sacramenti omnium quæ Ecclesia in Christi Redemptoris nostri memoriam celebrat, festorum maximum ac præcipuum esse; alia enim solùm sunt memoria & repræsentatio rei alicuius tunc peractæ, v.g. Incarnationis, nativitatis, resurrectionis, & ascensionis: neq; enim in illis tunc Dei filius fit homo, neq; nascitur, neque resurgit, neque de novo cœlos ascendit, quia semper illic est. hoc porro festum nō memoria modò & repræsentatio est; sed Christus ipse, quoties Sacerdos consecrationis verbo profert, de novo illuc venit, & sub speciebus sacramentalibus se præsentem sistit: quotidieque illud ipsum denuo sacrificium in Missa offertur, quod oblatū fuit tum cùm Dominus pro nobis in cruce mortem oppetiit.

Explicatur Christi in nos amor, quoad juge sacrificium institutū,

13. Incomparabilem ergo Christi Domini erga genus humanum amorem hic perpendamus, quantumque illi debeamus: neque enim satis illi fuit, semel se in cruce pro peccatis nostris offerre, sed voluit in terris in sacrificio manere uti non semel, sed sæpius, imò quotidiè, ad finem usque sæculi sacrificium acceptabile haberemus, quod Patri æterno offerremus; & oblationem munusque tam pretiosum & eximium, ad illi pro peccatis nostris, in propitiationem offerendum, ut nullum eo maius, pretiosius, & accepti⁹ possit inveniri. Quid essemus obsecro, Christiani, si hoc sacrificium Deo placando propitiandoque non haberemus? *Quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus*: & jam dudum Deo vindicante, peccatis nostris exigentibus, periissemus & consumpti fuissemus. Atque hunc D. Thomas proprium sacrificii huius effectum esse docet, quod ipso Deus nobis propitius redditur, juxta illud Apostoli: *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis.* Nempè sicut hic in terra quis placatur, & cōmissam in se offensā propter aliquod obsequium aut munus quod ei defertur; remittit: ita hoc sacrificium ac donum quod exhibemus, tam gratum Deo acceptumque est, ut, ad eum nobis placabilem reddendum, & nos in oculis eius audacter comparere possimus, nosque ille benignis

Isaiæ 1, 9.

3. p. qu. 49. art. 4.

&bene-

& benevolis oculis intuetur, ipsum sufficiat.

Magnitudo hujus beneficii.

14. Si ipso Parasceves die, quo Redemptor Jesus in crucem actus fuit, cruci adstitisses, & pretiosi sanguinis ipsius guttæ in caput tuum destilassent, quo in anima consolationis sensu perfusus fuisses, quod animi robur cepisses, quàm certam redemptionis & salutis inveniendæ spem concepisses? Latro ille, qui usq; in eam horam nonnisi latrociniis & cædibus patrandis intenderat, tantum tunc animi & roboris concepit, ut è latrone, Confessor factus sit, & in cruce invenerit paradisum. Idem ergo Dei filius, qui tunc temporis in cruce se obtulit, hodie pro te se offert in Missa, & tanti hoc sacrificium valoris & meriti est, quanti illud: unde canit Ecclesia: *Quoties hujus hostiæ commemoratio celebratur, opus nostræ redemptionis exercetur.* Nec enim eximii, cruenti illius sacrificii fructus in nos derivantur aut communicantur, nisi per hoc incruentum.

Dom. 9. post pentecost. in ora secreta.

Ejusdem excellentia.

15. Est q. hoc sacrificium tam sublime, tantæque excellentiæ, ut soli posset Deo offerri, ut egregiè S. Tridentina Synodus observat, ait enim: *Quamvis in honorem & memoriam sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consuevit, non tamen illis sacrificium offerre: unde nec Sacerdos dicere solet, offero tibi sancte Petre, vel sancte Paule; sed soli Deo, qui illos coronavit; de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.*

Sess. 22. c. 3

16. Quare divinum hoc mysterium, non tantummodò Sacramentum est, uti sunt cetera, sed simul sacrificium: non modicum autem inter hæc duo Sacramentum scilic. & sacrificium, discrimen est: ratio enim sacrificii in eo consistit, ut Sacerdotis ministerio & opera in missa offeratur. Porrò communionis receptaq; Theologorum omnium sententia est, hujus sacrificii essentiam in utriusq; speciei consecratione consistere, ac tum demum verè id offerri. Nam quemadmodum eo temporis articulo, quo Christus in ligno exspiravit, cruentũ illud sacrificium, quo se Patri æterno pro nobis in crucis ara obtulit, fuit consummatum: consimili modo, hoc Missæ sacrificium (quod vera illius repræsentatio, & cum eo idem numero est) eo temporis instanti essentialiter consummatur, quo verba consecrationis super panem & vinum jam prolata sunt: tunc quippe ibi, virtute & vi verborum, corpus Domini præsens adest in hostia, sanguis in calice, & in illa consecratione sanguinis, quæ post corpus consecrationem instituitur, sanguinis Dominici effusio, ac consequenter animæ à corpore separatio, quæ ex hac sanguinis effusione & à corpore sequestratione consecuta est, ad vivum repræsentatur. Igitur per verba consecrationis sacrificium, quod offertur, producitur, & illis ipsis fit oblatio. At ipsa Sacramenti ratio incipit esse, post peractum jam consecrationem, nimirum tamdiu durant species panis, sive in ciborio id asservetur, sive ad ægros deferatur, sive in communione à fidelibus sumatur: neque tunc habet

Discrimen inter Sacramenti esse & sacrificiũ.

habet rationem aut virtutem ſacrificii.

Aliud diſcrimẽ.

17. Eſt præterea & alia differentia, quod quatenus Sacramentum eſt, adinſtar reliquorum Sacramentorum ſumenti proſit, gratiam, & alios effectus ſibi proprios ei dando; quatenus verò ſacrificium, non recipienti ſolùm, ſed & aliis pro quibus offertur, conducat. Has duas enim ob cauſas Chriſtum divinum hoc myſterium inſtituiſſe Synodus Tridentina notat. *Primò*, ut quatenus Sacramentum, animæ cibus & nutrimentum foret, ad vitam ſpiritus conſervandam, reſtaurandam, & renovandam. *Secundò*, ut perpetuum haberet Eccleſia ſacrificium, quod Deo in peccatorum noſtrorum condonationem & ſatisfactionem, in neceſſitatum quoque remedium, in beneficiorum acceptorum compenſationem & gratiarum pro illis actionem, denique innovarum gratiarum & donorum à Domino impetrationem offerret: nec in vivorum ſolùm juvamen & ſolatium, ſed & defunctorum in gratiæ ſtatu demortuorum, & jam purgatoriis ignibus detentorum, hoc ſacrificium cedit.

Solatiũ magnũ quod ſacris qui interſunt una cum Sacerdote ſacrificium offerunt.

18. Neq; ſilentio hic prætereunda res, non mediocris ſolatii, quod, ſicuti Sacerdos celebrans, hoc ſacrificium tam pro ſe quàm aliis offert; ſic &, quotquot iis interſunt, unà cũ ipſo illud tum pro ſe, tum pro aliis offerent. Eo ferè modo, quo ſi reſp. aut communitas quæpiam munus aliquod honorarium Principi ſuo deferat, tres quidem aut quatuor ſimul venire ſolent, ſed eorum unius duntaxat Principem alloqui, etſi ceteri munus deferant & offerant: ad eumdem modum, licet ſolus Sacerdos hîc loquatur, & ſuis ſacrificium hoc manibus offerat, per illius tamen manus offerunt univerſi. Hac tamen ex parte ſimilitudo quam attulimus, claudicat, quòd, tametſi munus illud deferentes, unum qui omnium nomine loquatur, deligant, quilibet tamen de ſociis non minus quàm ille, partes has obire poſſet, at non ſic in Miſſa. Nam ſolus Sacerdos, qui ad hoc à Deo delectus eſt, poteſt conſecrare, & facere quæ in Miſſa facienda ſunt; reliqui tamen qui ei vel miniſtrant vel aſſiſtunt, unà cum eo hoc ſacrificium etiam offerunt. Vnde & Sacerdos ipſe ad populum converſus, ait: *Orate fratres, ut meum ac veſtrum ſacrificium acceptabile fiat apud Deum patrem omnipotentem.* Nec non in Canone: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.* Quo vel ſolo nomine omnes ad Miſſas tum audiendas, tum iis miniſtrandum animari excitarique deberent. Quod proximo in capite plenius tractabimus.

CAPUT XV.

Quomodo Miſſa audienda ſit.

Tres modi devotionis ſub miſſa ſuggeruntur.

1. QUæ dicta ſunt hactenus, obligare nos & depoſcere videntur, ut, quomodo Miſſa audienda ſit, quid ve in ea nobis agendũ, declaremus. Quamobrem tria de hac re tractabimus, tres, inquam, devotiones, quas ſingulis in Miſſis exercere poſſumus: quarum unaquæque magni eſt

momenti

momenti, & quæ non incongruè poterunt simul omnes usurpari: nec erunt eæ à nostro cerebro adinventæ aut excogitatę, sed ex S. Matris nostrę Ecclesiæ (ut quo par est, loco eas habeamus) præscripto & doctrina traditæ.

I. Modus

2. Primò ergo præsupponamus oportet, Missam (prout priùs diximus) esse passionis & mortis Dominicę memoriā & repræsentationē. Voluit sc. Redemptor sanctum hoc sacrificiū passionis & sui in nos amoris monumentum esse, sciebat enim, si semper memoria recoleremus quod ipse pro nobis passus sit, magno nobis hāc repetitionem incitamento fore ad eum amandum & serviendum, nec futuros nos similes Israëlis, *Qui obliti sunt Deum qui salvavit eos* & Ægypto eduxit. Quare his positis, utilis illa inprimis fuerit devotio in Missa recolere & revolvere passionis Dominicę mysteria, utpote quę in illa nobis reprę sentātur ex iis actus amoris, & ardentia Domino serviēdi proposita eliciendo. Huc non mediocriter conferet, eorum quæ in Missa cùm aguntur, tum dicūtur, significationes novisse, ut eximia illa quæ ibi nobis reprę sentantur mysteria meliùs intelligamus, magisque nobis sapiant: cùm nullum in ea verbum, nulla crucis signatio, nulla sit cerimonia, quæ non suam habeat significationem: &, notabile aliquod innuat mysterium.

Psal. 105. 21

Extant libelli aptissimi Coloniæ editi ad hāc praxin, ut, mysteria vitę Christi sacrificio Missæ aptata

Vestimentū sacerdotalium significationes.

3. Quin & singulæ vestes & ornamenta, quibus Sacerdos sacræ celebraturus induitur, idem nobis repræsentant. Amictus quippe (ut hinc ordiamur) juxta SS. Patrum expositionem, illud denotat velum, quo Redemptoris vultum Judęi obvelarunt, tum, cùm percutientes eum in facie dicebant: *Propheti Za quis est qui te percussit?* Alba vestem designat illam tum qua ab Herode tum est indutus, cum ab eo & exercitu illius spretus & illusus ad Pilatum remissus est. Cingulum eos repræsentat funes & vincula, quæ illi injecta fuere cùm primum in horto caperetur, vel certè flagra & laureas, quibus jussu præsidis fuit flagellatus. Manipulus secunda signat vincula, quibus illius manus ad columnā vinctæ sunt, dum flagris concideretur, ingeritur hic brachio sinistro (quod cordi proprius est) ad immensum amorē, quo atrocia illa flagella pro peccatis nostris Dominus excepit; necnon reciprocum amorem quo nos tanto ejus amori & beneficio per gratitudinem necesse est respondere, innuendum. Stola, tertia significat vincula, funem in quam illum qui ejus fuit collo injectus, cum exivit bajulans sibi crucem, in quam ageretur. Casula denique chlamydem refert coccineam, quam ad eiilludendum & exsibilandum milites ei circumdederunt, aut, juxta aliorum mentem, tunicam illam inconsutilem, qua illum exuerunt, ut nudem cruci injicerent.

Cæremoniarū expositio.

4. Ingressus Sacerdotis in sacristiam ad sacras hasce vestes induendas figura est adventus Christi in hunc mundum, & ingressus in sacrariū uteri virginalis sacratissimæ matris suæ; in quo humanitatis nostræ vestes sibi circumdedit, ut indutus illis, hoc sacrificium in ara crucis perageret.

ageret. Sacerdote autem è sacristia, exeunte canit chorus Missæ introitũ, quo intensa SS. Patrum denotantur desideria & suspiria, quibus filii Dei adventum & incarnationem identidem exspectabant, dicentes: *Emitte agnum Domine dominatorem terræ.* Et, *Vtinam dirumperes cœlos, & descenderes!* Introitus autem secundò repetitur, ad frequentiam illorum clamorum & desideriorum, quibus ad Christi in carne adventum SS. Patres anhelabant, exprimendam. Confessio à Sacerdote, tamquam peccatore pronunitata, nos monet, Christum omnium nostrũm peccata in se, ad eadẽ expianda, assumpsisse, peccatorem videri, & ut talem passim haberi voluisse, ut Isaias Propheta insinuat, quò nos justi & sancti essemus. Aliquoties iteratum *Kyrie eleison* (quod sonat *Domine miserere*) miserum illum indicat statum, in quo ante Christi in mundum adventum omnes agebamus. Longum & prolixum negotium foret singula sic mysteria percurrere; sufficiat semel nosse, nihil omnino in Missa peragi, quod nõ mysteriis plenum sit. Adhæc omnes illæ significationes crucis, quas super hostiam & calicem Sacerdos facit, memoriam nobis refricant multorum graviumq; illorum tormentorũ & cruciatuum, quos nostri causa Christus in cruce pertulit. Præterea ipsa hostiæ & calicis jam consecrati in altum elevatio (præterquam quòd populo adoranda proponantur) crucis repræsentat erectionem, ut in ea pendens ab omnibus undiquaq; conspici posset. Poterit quisque se in unius aut duorum ex his mysteriis, in quibus majorem devotionem sentiet, consideratione tempore sacri exercere, aliquem inde sibi fructum colligendo, tantoque erga se amori & beneficio respondere connitendo. Quod longè ei erit consultius & utilius, quàm multa mysteria obiter raptimq; memoria percurrere. Atque hæc prima est devotio quam Missæ tempore exercere poterimus.

Isaia 16.1. *Isaia. 64.1* *Isai. 53.4. & 11.*

5. Alter debite Missam audiendi modus, æquè magni est momenti, eique admodum proprius; quem superiori capite obiter innuimus. Ad huius autem intelligentiam duo capita, ibidem exposita, nobis præsupponenda sunt. *Primum*, Missam non solum Dominicæ passionis, sacrificiique quo se ipse in cruce pro peccatis nostris Patri æterno obtulit, memoriam ac repræsentationem, verum etiam illud ipsum esse sacrificiũ quod tunc temporis oblatum est, eiusdemque prorsus valoris & efficaciæ. *Secundum*, quamvis solus sacerdos loquatur, suisque manibus sacrificium hoc offerat, nihilominùs omnes circumstantes unà cum ipso etiam offerre. His ergo positis dico, optimũ sacri audiendi modum esse, una cum Sacerdote sacrificium hoc offerre, &, prout poterimus, facere quod ipse facit, cogitantes nos in templo simul convenire, non solum ad Missam audiendam, verùm etiam ad unà cum sacerdote sacrificium hoc offerendũ, & quod ipse facit, faciendum, quia ita reipsa contingit. Atq; idcirco prudenter constitutũ est, ut Sacerdotes clara & modicè elata voce recitent in Missa

2. Modus Devotionis exercendæ sub Miss.

Offerant una cum sacerdote qui sacris intersunt.

Missa ea quæ adstantes nosse & audire expediat, ut unà cum sacerdote se disponant, ad hoc sacrificium ea cum præparatione, quàm idcircò tam maturo consilio & deliberatione S. Mater Ecclesia præscripsit, offerendum. Quidquid enim ibi aut dicitur, aut fit præparatio, quædam ac dispositio est, tam Sacerdoti quàm omnibus circumstantibus, ad sublimem hoc sacrificium maiore cum devotione & reverentia offerendum.

Tres partes Missæ præcipuæ. 1. Vsque ad Offertorium.

6. Vt autem hoc melius in praxin deducere possimus, notandum est, tres præcipuas Missæ esse partes. Prima est jam inde à confessione usque Offertorium, qua tota populus disponitur, ad hoc sacrificium dignè offerendum. Principio per confessionem & versus illos psalmodicos, etiam antequam ad altare accedatur. Mox iteratum illud *Kyrie eleison*, præterquam quòd insignem nostram miseriam, in qua ante Christi adventum agebamus (ut diximus) significet, simul innuit eum qui cum Deo agere vult, non juxta rigorem iustitiæ, sed & misericordiam poscendo agere debere. Sequitur mox, *Gloria in excelsis*: quo hymno Deo ob incarnationem peractam gloria asscribitur, simulque beneficii ex ea nobis secuti magnitudo agnoscitur. Deinde sequitur oratio. Notandum porro, sacerdotem dicere *Oremus*, non *oro*, quod omnes orent una cum ipso, & ipse in persona omnium. Vt autem maiore cum spiritu id fiat, Spiritus sancti ad hoc assistentia & auxilium prius requiritur, sacerdote ad populum converso, dicente, *Dominus vobiscum*; populoque vicissim ei respondente, *& cum spiritu tuo*. Epistola, veteris Testamenti, nec non S. Ioannis Baptistæ doctrinam denotat, utpote quæ velut rudimentum, præparatio & catechismus doctrinam Evangelicam præcessit. Graduale porro, lecta Epistola sequi solitum, eam designat pœnitentiam quam Iudaicus populus ad Ioannis prodromi prædicationem egit: *Alleluia* autem, quod post Graduale submittitur, illam insinuat alacritatem & lætitiam, quam anima peccatorũ remissione per pœnitentiam inventã in se sentit: Evangelium demum illam doctrinam, quã Christus ore suo sacrosancto mundo prædicavit. Signat autem sacerdos librum, è quo ipsum legendum, signo crucis, quia Christum crucifixum nobis, est prædicaturus: postea verò tam ipse quam omnes adstantes, signant frontem, os, pectus, hoc signo profitentes gestare nos Christum crucifixum in corde ore quoque & linguis, quin & palàm atq; aperta fronte eum confessuros, & hac in confessione victuros & morituros. Ad Evangelii lectionẽ novi accenduntur cerei, quia doctrina eius animas nostras illuminat, simulque lumen est quod Dei filius in orbem attulit. *Lumen ad revelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.* Ipsum dum legitur, stat populus, ut discamus, qua ei promptitudine obedire, &, cùm opus est, ipsum defendere nos oporteat: Caput quoque aperit, ut reverentia, qua verbum Dei audiendum & excipiendum est, denotetur. Excipit hanc lectionem Symbolum; qui est fructus, doctrina

Luc. 2. 32.

Evangelica eliciendus: in eo quippe primarios fidei nostræ articulos & mysteria profitemur. Hæc autem prima Missæ pars est, dicta antiquitus *Missa Catechumenorum*; quia eatenus Catechumenis nondum baptismo expiatis, nec non infidelibus, tam Iudæis quàm Gentilibus, sacro interesse concedebatur, ut verbum Dei audirent, in eoque instruerentur.

Secunda Missæ pars ab offertorio ad pater noster.

7. Altera Missæ pars est ab offertorio ad usque orationem Dominicam, quā *Missam sacrificii* vulgò nuncupant, cui quoniam solos Christianos interesse fas erat, solebat Diaconus è suggestu proclamare Catechumenis, ut templo excederent, dicendo. *Ite, Missa est.* quasi diceret: Abite vos, quia Missa, id est, sacrificium jam incipit, cui vos interesse nefas. Hæc Missæ Primaria pars est, in qua consecratio peragitur, & quod consecratum, offertur. Hinc sacerdos silere, & orationes secretas, ne à populo adstante audiantur, fundere incipit, utpote sacrificium suum jam aggrediens. Sic, Passionis tempore jam instāte, dicitur Redemptor Iesus in desertum civitati Ephrem vicinum concessisse, & *jam non in palàm ambulasse.* Sacerdos ergo sacrificium jam peracturus, lavat manus, innuens quanta animi munditie & puritate ad hoc nos sacrificium accedere oporteat; conversusque ad populum orat, ut unà cum ipso Deum orent, ut hoc sacrificium divinæ Maiestati fiat acceptabile & complaceat. Postquam ergo aliquantum secretò oravit, Præfationem exorsus abrumpit silentium: est hæc autem particularior quædam commonitio, qua tum se, tum populum adstantem Sacerdos ad sacrificium hoc disponit, eum exhortans, ut *sursum* & in cœlum *corda* extollant, gratiasque Deo agant, quòd è cœlo ad carnem humanam assumendam, descenderit, ac diram pro nobis mortem oppetierit. *Benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in excelsis.* quibus olim vocibus eum Iudæi Ierusalem in die palmarum invectum exceperunt. *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth.* His autem viribus perpetuò eum laudant sancti cœli cives & incolæ, testibus Isaia & S. Ioanne in Apocalypsi. Exinde incipit Missæ canon, in quo Patrem cœlestem sacerdos rogat, ut per Iesu Christi, filii sui unigeniti ac Domini nostri, merita sacrificium hoc acceptet, pro summo Pontifice pro Antistite ordinario pro Rege. Mox pro aliis particularibus personis Deum secreto rogat, pro illis etiam sacrificium hoc offerendo: facitque primum *Memento*, quod vulgò *vivorum* nuncupamus. Nominatim verò pro adstantibus & circumstantibus id offert: *& omnium circumstantium.* Quare nemini non perutile Missæ interesse, qui enim & intersunt, de Dei donis plus ceteris participant, perinde ac qui regis mensæ assistunt, aut ei primum civitatem ingredienti, obviam procedunt, aut denique ut ii qui sub cruce eius adstiterunt, uti Deipara mater, S. Ioannes Beata Maria Magdalena & conversus latro. Vnde præclarè Rupertus Abbas, eum, qui Missæ præsens adest, exequiis

Ioan. 11. 45.

Isaia. 6. 3. Apoc. 4. 8.

exequijs Christi Domini quodammodo ait interesse. Mox sequitur cõsecratio, in qua consistit & offertur Missæ sacrificium pro omnibus illis, quorum in *Memento* facta est memoria.

Praxis pro 2. parte Missæ.

8. Optima ergo quam in ea habere quis potest deuotioni eo consistit, vt ad ea quæ Sacerdos ibi aut dicit, aut facit attendat, &, quod ipse facit, pro modulo suo facere studeat, tamquam qui in rei tam sublimis, quæ ibi peragitur ac celebratur, partem vocatus sit ac particeps factus. Sacerdote ergo viuorum *Memento* peragente, auctor sum, vt & quisque suum *memento* obeat, Deum pro viuis rogando, vti & postea pro defunctis, in *Memento* de mortuorum.

Isai. 6.3. Apoc. 4.8.

viuorum Memento. B.P. Frãcisco de Borgia.

9. Porro B.P.N. Franciscus de Borgia hoc modo *Memento* peragebat. Posito enim, per sacrificium hoc repræsentari, imò idem numero sacrificium esse, quod pro nobis in cruce oblatum est, suum ipse *Memento* per quinque Christi vulnera dispertiebatur. *Ad manus dexteræ* vulnus Deo commendabat summum Ecclesiæ Pontificem, Cardinales, Episcopos, Antistites, Clericos, Parochos, omnesque personas Ecclesiasticas: *ad sinistræ* autem, Regem, ministros regios, iudices, & omnes bracchij sæcularis præsides *ad pedis dextri* vulnus omnes Religiosos Ordines, atq; imprimis Societatem Iesu *ad sinistri* omnes suos consanguineos, propinquos, amicos, benefactores, & quotquot ipsius se precibus peculiariter commendassent. *Lateris*, vulnus sibi soli reseruabat, vnde in ipsum ingrediebatur, intraque illud se abscondebat. *In foraminibus petræ, in cauerna maceriæ*, in eo à Deo delictorum veniam, & in necessitatibus & miserijs suis opem deposcens. Vnde sacrificium hoc pro omnibus & singulis his rebus offerebat, idque tam accuratè, tamquam si pro vnaquaque singillatim obtulisset: semper pro illo, aut illis, particulatim offerendo, pro quibus vel ex obligatione, vel deuotione Missam celebrabat, id semper intendens, vt ex sancto illo sacrificio illa ei pars tota applicaretur quæ ex lege & debito ei debebatur, nec ob illos, quibus ipse pariter sacrum applicabat, vel minimum deperderet.

Cant. 2.14.

Eiusdem Memento pro defunctis.

10. Eodem prorsus modo peragebat *Memento* defunctorum, offerendo *primò* illud sacrificium pro persona aut personis pro quibus in particulari Missam celebrare intundebat: *Secundò*, pro animabus parentum ac propinquorum suorum. *Tertiò*, pro defunctis Religionis suæ: *Quartò*, pro amicis, benefactoribus, item sibi speciatim commendatis, ac pro omnibus illis pro quibus orare tenebatur. *Quintò*, denique pro animabus derelictis, id est quæ nullum habent qui ipsarũ pietate tangatur: pro ijs quoq; quæ grauissimè in Purgatorio torquentur, maiorique in angustia versantur, pro ijs item, quæ noxarum reliquias flammis iam proximè expiassent; pro ijs demum pro quibus maior caritas & Dei obsequium foret, sacrificium offerre. Hoc & nos par est imitari, hoc illove modo in eo nos gerendo, erga quem se quisque magis propensum sentiet.

Specia-

Speciales necessitates pro quibus offerre oportet.

11. Speciatim autem tria, quæ inter alia multa maximè nos obligant, ac velut vndique obsessos tenent, hoc in sacrificio offerendo nos obliuisci nefas est. *Primum*, vt offeratur in gratiarum actionē pro tam singularib⁹ à Dei manu acceptis beneficijs, tū generalib. tum particularibus. *Secundū*, vt in satisfactionē & expiationē pro peccatis. *Tertium*, ad remedium nostris in necessitatibus & infirmitatib⁹ petendum, nouasque à Deo gratias consequendas. Consultum quoque est, vt hoc sacrificium quisque Deo in triplicem illum finem non pro se solum, sed & pro proximo offerat, scilicet non tantum pro beneficijs quæ ipse priuatim recepit, sed & ijs quæ omnibus hominibus Deus hactenus fecit, & quotidie etiam num facit: neque solum in suorum peccatorum expiationem & satisfactionē, sed & omnium à quolibet mortalium vmquam admissorum; cum sufficiens sit ad pro illis omnibus Patri æterno satisfaciendum, eiusque iram placandam: deniq; non tantum ad remediū in proprjs particularibus, sed & vniuersis ac singulis totius Ecclesiæ necessitatibus ac miserijs postulandum. Quod dum facit homo, magis se sacerdoti conformat, vtpote id in omni sacrificio agenti. Vt taceam, caritatem ac zelum animarum exigere, vt quis non solum de suiipsius, verumetiam communi totius Ecclesiæ bono sollicitus sit. In genere, bonum id est pro omni eo offerre, pro quo id Christus in cruce pendens Patri suo obtulit. Quin etiam laudabile est, vnà cum Christo nosipsos in sacrificium Patri cœlesti in Missa quotidie, ob illas, quas dixi, res offerre; nihil vt in nobis reliquum sit, quod non illi offeramus. Tametsi enim opera nostra ex se modici valoris sint, Christi tamen sanguine tincta, meritisque & passioni eius vnita erunt maximi, Deoque maximopere placebunt.

3. Modus Deuotionis In tertia Missæ parte est spiritualiter cōmunicare.

Hom. 3. de incompreh. Dei natura.

12. Docet verò S. Ioann. Chrysostomus, tempus illud, quo sanctissimum hoc sacrificium offertur, esse ad cum Deo agendum commodissimum, maximeque oportunum; & Angelos illud velut conuenientissimam occasionem ducere, ad humani generis beneficia à Deo impetranda, in illoque magna cum contentione & studio pro nobis ad Deum clamare, quod tempus illud ad hoc tam proprium sit. Vnde adstare illic ait plurimas Angelorum, Cherubinorum & Seraphinorum phalanges, supplices, summaque cum reuerentia coram diuina maiestate genu flectētes; & hos ipsos, ceu veredarios, cùm sacrificium hoc offertur, ad animas Purgatorio detentas quàm celerrimè euolare, vt illius carceres laxentur, & quidquid relaxationis & remissionis pœnarum in sacro impetratum est, ijs de facto applicetur. Quare & nos æquum est hanc oportunitatem magni ducere, tamque bona occasione in rem nostram vti, & ad sacrum abire, ad sacrificium hoc diuinum magna cum fiducia offerendum, confisos nimirum per illud nos Patrem cœlestē iratum placaturos, scelerum nostrorum reatus & debita ex soluturos, & quas petierimus gratias ac beneficia consecuturos.

Iob. 31. 31

Ps. 89.

13. Tertia

3. Modus Devotionis In tertia Missæ parte est spiritualiter cōmunicare.

13. Tertia ex iis quas initio dixi, devotio propriè ad tertiam Missæ partem spectat, quæ ab oratione Dominica ad usque Sacramenti sumptionem se extendit, quæ autem post eam dicuntur orationes, nonnisi quædam gratiarum sunt actio pro recepto beneficio. Ergo qui sacris intersunt, debent tunc etiam sacerdotem imitari, & quoad licet, facere quod ipse facit. Quamvis autem in singulis Missis sacramentaliter communicare non liceat, licet tamen spiritualiter. Hæc ergo tertia sit devotio, quam in Missa exercere oportet, utilis cumprimis & bona; nempe, ut Sacerdote Sacramentaliter communicante, adstantes spiritualter communicent. Quod faciunt, cum intenso quodam Sacramenti hujus recipiendi desiderio tenentur, juxta illud Iob: *Si non dixerunt viri tabernaculi mei* (id est boni Christiani & timorati) *Quis det de carnibus ejus ut saturemur?* Nempe ut gulosus quispiam cupedias & escas delicatiores semper spectat & intendit sic Dei servum oportet semper oculis & corde ad divinum hunc cibum ferri, & ardentissimè anhelare. Unde, Sacerdote os ad eum sumendum aperiente, aperiat & ipse animæ os, intenso quodam cum desiderio divinum hunc cibum manducandi, ejusque saporem velut in se percipiat. Cui cordis illius desiderio Deus faciet satis, gratias & charitatem in eo adaugendo; sic enim per Prophetam suum facturum se promisit. *Dilata os tuum, & implebo illud.*

Iob. 31. 31

Ps. 80.

14. Notant verò quoad hoc Sacrosanctæ Synodi Tridentinæ Patres, ut Sanctissimæ Eucharistiæ sumendæ desiderium spiritualis dici possit communio, ipsum è fide viva, quæ à charitate informata sit, proficisci debere. Id est, ut is qui hoc in se desiderium sentit, sit in charitate & gratia Dei: tunc quippe Spiritualem illum fructum consequitur, Christo sese arctiùs uniendo. In eo autem qui in mortalis peccati statu agit, desiderium istud Spiritualis communio non foret; imò si tali in statu communicare desideraret, mortale peccatum consciceret: & si quidem desideraret communicare à peccato suo jam liber & pura conscientia, tametsi desiderium illud in se esset bonum, Spiritualis tamen non esset communio: quod enim in gratiæ statu non sit, ejus percipere fructum non potest. Hoc ergo ante omnia necessarium: & qui tum tale in se desiderium sentit, verè Spiritualiter communicat: per hoc namque spiritualium bonorum & gratiarum fit particeps, quæ participare solent Sacramentaliter communicantes. Imò fieri potest, ut spirituali hoc modo communicans, majorem recipiat gratiam, quàm qui Sacramentaliter, esto in gratiæ statu hic communicet.

Sess. 13. c. 8.

Conditiones spiritualis communionis, sive modus ejus.

15. Etsi enim Sacramentalis communio longè ex se sit utilior majoremq; gratiam conferat, quam spiritualis, quia Sacramentum est, ac proinde gratiam ex opere operato conferendi vim ac privilegium habet: quod spirituali communione deest: potest tamen quis tanta cum devotione

Fructus communionis spiritualis.

votione, reverentia, & humilitate sacram hanc escam manducare desiderare, ut majorem propterea recipiat gratiam, quàm qui Sacramentum de facto sumit, sed non tanta cum dispositione. Habet & aliud non contemnendum spiritualis hęc communio bonum, quod enim secreto fiat, nec ab aliis notetur, nullum in ea est vanæ gloriæ ab astantibus captandæ periculum, quale est in Sacramentali quæ publica est. Habet præterea & illud præ Sacramentali privilegium, quod sæpiùs fieri possit: illa n. nonnisi semel per hebdomadā sit, aut cum frequentissimè, quotidiè semel; at spiritualis non solùm quotidiè, sed & sæpiùs per diem potest institui. Unde multorum est, & quidem summè laudanda, illa devotio, ut non solum cum sacris intersunt, verum etiam quoties Sanctissimum Altaris Sacramentum visitant, quin & aliis temporibus, spiritualiter communicent.

Alius modus spiritualis communionis.

16. Ille quoque non contemnendus spiritualiter communicandi nonnullorum Dei servorum modus est, quem hoc loco ponere operæ pretium duxi, ut, quisquis voluerit fructum ex eo possit capere. Ergo cum aut Missam audis, aut sanctissimam Eucharistiam visitas, aut quotiescumque sacramentaliter communicare cupis; cor tuum affectibus & desideriis quibusdam sanctissimi hujus Sacramenti recipiendi excita, ac dicito. *Vtinam eam cordis puritatem & munditiem habere, Domine, quæ ad tantum hospitem pro dignitate recipiendum necessaria est! Vtinam dignus sim te quotidiè sumere, & semper intra præcordia mea continere! Quam essem Domine, dives, quam beata mea sors, si te domo mea excipere, & ad eum deducere mereret! sed minimè requiritur, ut, quo locupletes, Sacramentaliter ad me divertas; tu modò velis Deus meus, & satis erit, tu jube Domine, & justificatus ero*, & idcirco dicas cum Centurione. *Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea.*

Matt. 8. 8

Nũ. 21. 9 Simile.

17. Qui à serpentibus morsi erant, solo ænei serpentis intuitu sanabantur: sic etiam satis hic erit, te viva fide & ardenti tui recipiendi desiderio intueri. Vtilem quoque erit adjungere antiphonam: *O sacrum cōvivium*, &c. nec non versum, *Panem de cœlo*, &c. & orationem de SS. Sacramento pro coronide subnectere.

CAPUT XVI.

Aliquot exempla circa devotionem quotidiè sacri audiendi vel dicendi, ac reverentiam in illo præferendam.

1. Exempl. Pius II. in cosmographia, in descri. Europæ.

1. NObilis quidam in Patribus Istriæ, quæ provincia Hungariæ & Austriæ contamina est, (referentibus Pio II. Pontif. & Sabellico) pietatis cultor egregius, gravissimè à cacodæmone jugiter incitabatur, ut laqueo fauces sibi præcluderet, ut subinde parum abesset, quin restim indueret. Importuniorem hanc infestationem tandem Religioso

gioso cuidam pio juxtà ac docto viro aperuit, simul exquirens quid facto sibi opus sit. Hic insigni præmissa consolatione & cohortatione, auctor ei fuit, ut, quocumque pergeret sacerdotem qui quotidiè se præsente sacris operaretur, conduceret. Placuit pio homini consilium, & cum Sacerdote quodam conventione factâ, ambo in castro rurali per annum sunt commorati. Nobilis toto eo tempore, cum quotidiè divinis interesset, immunis à tentatione vixit. Sed fortè die quadam cum sacerdos, bona nobilis venia, ad vicinum presbyterum sibi notum solemnitatis cujuspiam celebrandæ ergo abiisset, nobilisque eodem se conferre, sacris ut interesset, decrevisset, morâ nescio unde injectâ ad meridiem usque tergiversatus, castro serius egressus est, anxius tamen & subveritus ne ea die sacro frustraretur: Recurrente interim pristina tentatione, in agricolam è loco, quem ipse adibat, reducem incidit, ex eoque rem divinam jam peractam didicit, his auditis, Nobilis suam plangere sortem, & quòd eo die sacris non interfuisset, planè de se actum credere. Rusticus è contra solari virum, negareque esse cur tātopere se discruciaret, vendere se illi Missam quam ea die audisset, & omne quod ex ea apud Deum meritum collegisset. Nobilis conditionē libentissimè acceptat, & vestem qua erat indutus, & quam pretii loco rusticus poposcerat, quamprimum cedit, itaque ab invicem digressi sunt. Pergit interim nobilis ad pagum, preces in ejus templo, uti constituerat, fusurus, quo peracto, post paulo reversus, infelicem rusticum in ipso simoniæ commissæ loco, ex arbore pendulum conspexit, Deo ad justam peccati ejusdem castigationem id permittente. Hoc nobilis attonitus spectaculo, Deo Opt. Max. ingentes pro disscusso periculo gratias egit, inque sua devotione magis confirmatus; & esto multos exinde per annos vixerit, ab ea semper tentatione extitit immunis.

II. Exēpl. p.2. lib.8. c.28. Chronic. S. Franc.

2. S. Elisabetha Lusitaniæ Regina, & S. Elisabethæ Hungariæ Reginæ neptis, inter alias, quibus excelluit virtutes pauperum & ægrorum juvandorum studiosissima fuit; intimaque ac viscerali eorum commiseratione tangebatur, unde nulli eorum opem stipemve poscenti, eam umquam denegabat. Suo ad hæc eleemosynario in mandatis dederat, ne cui petenti quidpiam denegaret. Cū ergo nobilis cujusdam, quem à cubiculis habebat, ministerio & opera in eleemosynis erogandis & aliis operibus pietatis uteretur, quod moribus esset probatissimis, & pietatis cultor egregius: factū est, ut alius quispiam Regis Dionysii (quem illa maritum habebat) minister ac perfamiliaris, Reginā plus æquo alteri faventē conspicatus, tum quòd hinc fortè invideret, tum ut Regis gratiam aucuparetur, cum apud illum detulerit, quasi quem Regina parum casto amore prosequeretur. Rex, quia nō satis honestam agebat vitam, dæmone insti-

 gante,

gante, & ab uxore alienior paulo, malè cæpit de ea suspicari. Tametsi verò calumniatori pro omnia non crederet, sed in opinione nutaret, nihilominus cubicularium illum de medio tollere decrevit fortè eo die Rex haud procul à calcaria fornace equitans, eius ministris, qui tum eam succendebant, foras ad se evocatis in mandatis dedit, ut missum ad ipsos unum de cubiculariis suis, quæsiturum perfecissentne jussa regia, quantocyus arreptum in fornacem injicerent, utpote promeritum, & regiæ majestatis læsæ reum, ac flammis absumi sinerent. Postero igitur mane Rex illum Reginæ famulum cum mandatis ad calcariam fornacem ablegat, ut quod pridie operis præceperat, in eo executioni mandarent. Sed Domino, qui suos in necessitate neutiquam deserit, & innocentes nusquam non protegit; permittente factum est, ut innoxio illo adolescente per iter juxta templum quoddam transeunte, signum tintinnabulo ad sacræ hostiæ in Missa elevationem daretur. Ingressus ille, reliquam Missæ illius partem, nec non alias binas ex ordine, quæ mox celebrabantur, audivit. Rex interim scire avidus, num prior ille nuntius jam de medio sublatus esset, alium famulum (ac fortè fortuna incidit in illum qui probum falso detulerat) quam citissimè ad fornacem allegat, inquisiturum, regione imperia jam perfecta essent. Vix dum illa hic exposuit, quin ab operis (existimantibus certis è cōjecturis illum ipsum haud dubiè esse, quem Rex designarat) abreptus vivus vinctusque in fornacem conjectus est. Alter interim innoxius, sacris jam finitis ad fornicarios, Regia mandata relaturos, abit, petitq; num quæ Dominus fieri imperasset, essent peracta. quibus affirmantibus, ad Regem responsum relaturus ilicò revertitur. Quo conspecto obstupefactus Rex, ac eventu planè quā destinarat, ac mandarat, cōtrario perterritus, juvenem cæpit objurgare, petitq; ubinam tam diu hæsisset? Ibam jussa majestatis tuæ exequuturus, cum propter viam in templo quodam audio companula signum dari elevationis corporis Dominici, & illud ingressus, Missam reliquam, nec non alias duas quæ subsequebantur, integras ausculto hoc quippe parens meus sub mortem mihi benedicens velut testamento reliquit, ut quas Missas viderem inceptas, eas ad finem usque audirem. Tum demum è justo hoc Dei judicio, rei ipsius veritatem, Reginæque innocentiam, ac famuli sui fidelitatem virtutemque perspexit, itaq; ad missam temere de utroq; suspicionem sinistram à se ablegavit.

Missam audiens quotidie ditatur.

III. Exempl. *Verbo Missa & vitis Patrum, & Surius de vita S. Joan Eleemosynarii.*

3. Duo opifices uno in opido (prout in Promptuario Exemplorum legere est) eiusdem ambo artis degebant: quorum alter uxorem, liberos, servos satis bellè alebat; interim tamen tam studio se singulis diebus sacro intererat, ut nulla ob impedimenta ipsum audire negligeret: quam eius pietatem Dominus etiam egregiè est remuneratus, nam & eius opificium optimè procedebat, & res familiaris indies notabiliter accrescebat. Alter contrà cum nec liberos, nec

Matth. 33.

nec famulos haberet, sed solam uxorem, adhæc diu noctuque perpetim laboraret, etiam diebus festivis; raro autem sacrum audiret, ægrè se & uxorem alebat, sed jugiter cum inopia rerumque domesticarum angustiis conflictabatur. Ergo tam prosperum rerũ alterius successum videns, quadam die ei obvius factus, eum est percontatus undenam tam bellè res eius procederent, tantumque ei lucrum accederet: cum enim liberos uxorem, & familiam numerosam alendam haberet, numquam ei de necessariis quid deesset, sed semper omnia quibus opus haberet, abundè suppeterent; ipse verò cui sola esset alenda uxor, quique assiduè laboraret, continua rerum penuria premeretur? Tum alter, qui sacro quotidie interesat, Veni, inquit, cras ad me, & locum tibi monstrabo, unde tantus mihi quæstus proveniat. Postera die Venientem deduxit in templum; & cum ambo sacrum audissent, domum jussit ad operandum reverti, nec verbum ultrà addidit. Idem fecit & altero die. Verùm idipsum & tertio facere volenti respondit alter: Si tantum de templo adeundo, amice, agitur, duce te non habeo opus, viam novi eò ducentem: hoc solum nosse volui, ubinam locus sit qui tantum tibi lucri adferat, ut & ego eo inventorem adaugeam. Hic alter: Sanè locum, ubi & thesaurum corporalem, & vitæ æternæ præmium quæritem, extra templum, nullum scio, nec habeo. An ignoras dixisse alias Dominum, *Quærite primum regnum Dei, & justitiam eius, & hæc omnia* velut auctarium, *adjicientur vobis*? His auditis miser ille, rem intellexit, ac veritate comperta, peccatorumque dolore concepto, vitam correxit, & factus exinde egregius pietatis sectator, & quotidie sacrum audiens felicem omnium rerum suarum postea successum est expertus.

Missam audiens quotidie ditatur.

Matth. 6. 33.

4. Cùm, teste S. Antonino Archiepiscopo Florentino, duo juvenes invicem amici die quodam festo venatam abirent; eorum alter priùs sacrum, juxta Ecclesiæ præceptum, audire voluit, alter neglexit. Ergo in agros iis jam egressu, ilico cœpit aër perturbari, tam horrendis cœlum tonare fragoribus, ac fulmina intermicantia evibrare, ut mundi machina dissolvenda videretur, & densissimus imber secuturus. Inter hæc audita de cœlo ab his duobus vox est: *Percute percute eum.* Ad quam exterriti, dum nihilominus iter suum prosequuntur, ecce, illis non opinantibus, fulgur è cœlo evibratum, illum repentè contrivit qui manè sacrum audire neglexerat. Hoc conspecto alter, præ consternatione velut sui impos, quid ageret, ignorat; præsertim quia jam loco, ad quem venandi causa abierant, erat vicinior. Iter ergo prosecutus, rursus eamdem de cœlo intonantem vocem audivit, *Percute, percute eum.* Ille pavidus & consternatus, utpotè quid socio post talem vocem contigisset, recolens, hæsitat: sed inter hæc alia ex aëre vox supervenit, dicens: Non possum, quia hodie audivit: *Verbum caro factum est.* Id est, quia sacro interfuit, ad cuius finem recitari S. Ioannis Evangelium, de more

IV. Exempl. *S. Antoninus 2. p. Theolog. tit. 9. c. 10. §. 2.*

de more consuevit, in quo prædicta verba occurrant. Sic adolescens ille subitam & horrendam illam mortem evasit.

V. Exempl. *In vita.*

5. S. Bonaventuram, litteris proditum est, cum hinc eminentem Dei in Venerab. Altaris Sacramento latitantem Maiestatem, illinc suam vilitatem agnosceret, timeretque ut ea qua par erat dispositione ad ipsum non accederet: ad dies aliquot ab altari abstinuisse. Igitur cùm die quadam Missam audiret, ecce, Sacerdote hostiam in partes dividente, una ad eum invisibiliter de altari advolat, seque in os eius ultrò ingerit. Vnde ipse pro incomparabili hoc beneficio, Domino gratias agens, hinc facilè intellexit, longè Deo gratiores esse, qui ex amore & viscerali affectu ipsum recipiunt, iis qui è timore & anxietate quadam communione abstinent, Dominumque sumere verentur, uti & ipsemet postea scripto tradidit, & post ipsum etiam Doctor Angelicus Thomas.

Tract. de exercit. spirit. qui dicitur fascicul. c.7. p.qu. 80. ar. 10. ad 3.

VI. Exempl. *Ferdinan. de Talavera Archiepis. Granat.*

6. De S. fratre Ferdinando de Talavera primo Archiepiscopo Granatensi memoriæ proditum est, cùm in aula regia multis gravissimisque negotiis ad regni incolumitatē spectantibus distineretur, ac propterea æmulos pateretur non paucos, nihil hos in eo aliud criminari potuisse, quàm quòd quotidie sacris operaretur: mirabantur enim, quomodo vir tanta negotiorum mole obrutus tam semper asset paratus, ac mente serenata, tranquilla, quieta, ut quotidie sacrificare posset, perinde ac si in monasterio privatus degeret. Vnde cùm Ioannes Gonsalvius de Mendoza, Cardinalis Hispaniæ & Toletanus Archiepiscopus: die quadam in familiari sermone, quid in ipso æmuli sugillarent, retulisset, respondit ei vir Dei: Sic se res habet Domine: quod enim regia Majestas tam gravia humeris meis onera imponat, negotiaque tam ardua curanda jubeat, quibus tractandis impar sum, & sub quorum fasce succumbo: aliud, quo nitar, fulcimentum nō habeo, quàm quotidie ad sacram Eucharistiam confrigore, ut inde vires mutuer, ad quæ mihi à Rege concredita sunt, negotia prout oportet peragenda, commissarumque rationem reddendam.

Quotidie celebrās negotiis maximis non succumbit.

VII. Exempl. *Surius in vita 10.3.*

7. S. Petrus Cœlestinus (qui postea summus Ecclesiæ Pontifex fuit) cùm quodam tempore hinc supremam Domini in Venerab. Sacramento majestatem, ac magnitudinem, illinc suam indignitatem ac vilitatem perpenderet; simulque exemplo SS. Pauli primi Eremitæ, Antonii, Francisci, aliorumque Sanctorum, qui quotidie sacra mysteria tractare, aut sacrosanctas epulas adi e è reverentia quadam ausi non fuerunt, memoria recoleret; timore quodam retentus, ad aliquot dies hoc sacrificio abstinuit: quin &, increscente reverentia, statuit Sedem Apostolicam adire, eamque consulere, satiusne foret semper à celebrando abstinere, an vero nonnisi aliquoties per annum celebrare? Ergo cum se jam in viam dedisset, apparuit ei sanctus quidam Abbas nuper defunctus, qui religionis habitu ei cōtulerat, & ait. Ecquis, fili,

fili,tametsi Angelus, hoc dignus est Sacramentum sumere? ceterum au-ctor tibi sum, ut sacro cum timore & reverentia frequenter sacris opereris, atque his dictis,ex oculis evanuit.

VIII. Exempl. ho.37.in Evang. & lib.4. dial.c.57.

8. Non longè à suis temporibus factum narrat S. Gregorius, quòd quidam ab hostibus captus in longinquas terras abductus est. *Cumque diu*, inquit, *teneretur in vinculis,eum uxor cùm ex eadem captivitate non reciperet,exstinctum putavit, pro eoque jam velut mortuo hostias hebdomadibus singulis curabat offerri. Cui toties vincula solvebantur in captivitate, quoties ab eius conjuge oblatæ fuissent hostiæ pro anima eius absolutione. Non longe pòst tempore vir ad propria reversus,valde admirans suæ indicavit uxori, quòd diebus certis hebdomadis singulis eius vincula solvebantur,quos videlicet dies eius uxor atque horas discutiens, tunc eum recognovit absolutum,cùm pro eo sacrificium meminerat oblatum. Hinc ergo*, addit S. Gregorius, *fratres charissimi, colligite, oblata à nobis hostia sacra, quantum in nobis solvere valeat ligaturam cordis, si oblata ab altero potuit in altero solvere vincula corpus.* Similem huic historiam refert Beda in rerum Angelicanarum historia.

Missa celebratio captivi solvit vincula.

Reverentia Angelorũ sub Missa. l.4.c.21. & 22. Bredemb. li. collat. sacr.c.4. l.7.de Sacerdot.

9. Censet porro S. Chrysostom. eo,quo sacerdos divinæ mysteria celebrat tempore, Angelos plurimos assistere,& in Domini qui ibidem offertur, honorem, altare ab eorum phalangibus venerabundis circumdari,additque se è viro fide digno audivisse, de quodam eximiæ sanctitatis Sacerdote, qui de repente innumeram Angelorum multitudinem cœlo viderit ad altare descendere,seque celebrantem ab iis circumdari; eosq; tam splendis indutos fuisse vestibus,ut fulgorem illarum nemo ferret; eam insuper animi demissionem & venerationem universos exhibuisse, quam solent aulici in conspectu Regis. Idque ita se habere, fatetur Chrysostomus,ubi enim Rex est, illic adsint oportet & aulici. In hanc quoq; sententiam S. Gregorius: *Quis fidelium, ait, habere dubium poßit, in ipsa immolationis hora ad Sacerdotis vocẽ cœlos aperiri,in illo Iesu Christi mysterio Angelorum choros adesse, summis ima sociari,terrena cœlestibus jungi?* Hoc autem in sensu exponunt multi SS. Patres illud Apostoli monitũ,quo mulieres in Ecclesia *velamen super capita* habere jubet *propter angelos:* quòd enim illic sanctissimum Sacramentũ adsit,minimè dubitandum, quin adsint & Angeli qui ipsum venerentur, & colant. Certè S. Nilus de hoc ipso Ioanne Chrysostomo, præceptore a-crãs suo, tradit, eum. cùm templum ingrederetur,vidisse infinitam Angelorum multitudinem albis indutorũ, nudis pedibus,corporibus quoq; ob summam veneratione inflexis, eosq; summo cũ silentio & velut attonitos, Domini nostri Iesu Christi hoc in Sacramento præsentiam adorantes.

Angeli Sacerdoti celebranti adsistunt.

l.4.dial. cap. 30.

1.Cor.11.

in epist.ad Anastas. epis in Biblioth.SS. Patr.refert etiam Turcianus tract. 2 de Euchar.c.2.

In quorum confirmationem ait idem qui supra Chrysostomus: *Dum conspicis Dominum immolatum,Sacerdotem sacrificio incumbentem ac preces fundentem, tum verò turbam circumfusam pretioso illo sanguine rubefieri, ne te inter mortales versari atque in terra consistere existimes:* an cœlestium illarum tur-

l.3.de Sacerdot.

marum,

marum, Cherubinorum, Seraphinorumque, &c. huic cœli terræque domino aſſiſtentium vicinitatem nò percipis? Quamobrem fratres, inquit, ſummo cum ſilentio, timore, tremore in templis agite: videte quam palatim Regis in conſpectu, venerationem, ſilentium, modeſtiam, quietem, reverentiam præferant: nullus vel hiſcere aut verbum altiùs proferre, nemo oculos hanc illamve in partem audet torquere: atque hinc diſcite, quo in Regis regum Dei conſpectu vos modo conſiſtere oporteat.

FINIS PART. II.



